Sac. FELIX M. CAPPELLO

Heinr. Stolte.

DE CURIA ROMANA

IUXTA REFORMATIONEM

A

PIO X

SAPIENTISSIME INDUCTAM

VOL. II.

DE CURIA ROMANA "SEDE VACANTE"





FRIDERICUS PUSTET
PONTIFICALIS BIBLIOPOLA
ROMAE
RATISBONAE, NEO-EBORACI, CINCINNATI
1912.

LIBER II.

DE CURIA ROMANA

Sede vacante

CAPUT I.

De Sede vacante in genere

ARTICULUS I.

Quotuplici modo S. Sedem vacare contingat.

Bibliographia: Ballerini, *De vi ac ratione primatus Romani Pontificis,* Veronae 1766; Bellarminus, *De Romano Pontifice*, Romae 1721; Billot, *De Ecclesia Christi,* Romae 1910; Bouix, *Tractatus de Papa,* Paris 1868; Brugère, *De Ecclesia Christi*, Paris 1878; Fr. Abr. Bzovii, *Pontifex Romanus*, Coloniae 1619; Ders, *De potestate eccl. Summ. Pontif.* Veronae 1786; Franzelin, *Theses de Ecclesia Christi,* Romae 1887; Hurter, *Theol. Dogm.*, 1890; Kempeneers, *Dissertatio de Roman. Pontif. primatu eiusque attributis,* Veronae 1741; Lambrecht, *Tractatus de Ecclesia*, Paris 1890; P. Murray, *De Ecclesia Christi*, Dublini 1860-66: Muzzarelli, *De auctoritate Romani Pontificis,* Romae 1815; Palmieri, *De Romano Pontifice,* 1896; Pesch, *Institutiones Propaedeuticae*, Friburgi 1894; Roccaberts, *Bibliotheca max. Pontif.*, Romae 1698; Roskovany, *Romanus Pontifex,* Nitr, 1867; Segna, *De Ecclesiae Christi constitutione et regimine,* Romae 1900; Soglia, *Institutiones iuris publ. eccl.* Lauret. 1853.

Barruel, *Sul Papa ed i suoi diritti*, Genova 1803; Cervicchi G., *Chi è il Papa? Conferenze accademiche*, Siena 1888; De Nardi, *Il Papa. Dissertazione,* Imola 1822; De Sanctis, *Il Papa*, Firenze 1864.

Bouvet, *Du Pape*, Paris 1863; Joseph De Maistre, *Du Pape*, Paris 1821; Gonzales, *Le Pape en tous les temps*, Paris 1854; P. Zaccaria, *La primauté du Pape justifié par le raisonnement et par l'Histoire*, Paris 1858-59.

Hageman, *Die röm. Kirche*, 1890: Langen, *Gesch. Römischen Kirche bis zum Pontif.* Paris 1892; Schenbemann, *Der Papst d. Oberhaupt d.*

Gesemtkirche, 1867; I. F. SCHULTE, *Die Stellung d. Konzilien, Päpste u. Bischöfe*, 1871.

BAROW A. *Treatise on the Pope's Supremacy*, 1856; IAS. BANNERMANN, *The Church of Christ*, 1898; LITTON, *The Church of Christ*, 1851; MORRIS, *Ecclesiology*. New York 1885.

Summarium: 1. Modus ordinarius. — 2. Modus extraordinarius. — 3. Quaestiones.

1. **Modus ordinarius.** — Modus ordinarius vacationis Apostolicae Sedis est obitus Pontificis. Siquidem mors, cum vitae hominum finem imponat, aufert suapte natura quae cum vita physica seu corporali necessario connectuntur. Aliunde porro compertissimum cuique est Romanum Pontificem supremam, qua pollet, potestatem non obtinere ad tempus, vel ad libitum fidelium, aut episcoporum vel Cardinalium, sed in perpetuum, nimirum quoad vixerit, ita ut Papa semel rite electus, semper Papa remaneat usque ad extremum vitae.

Verum occurrente Pontificis obitu, Apostolica Sedes non extinguitur, sed vacat dumtaxat legitimo Pastore, quia Ecclesia semper duratura erit pro hominum salute ex positiva Christi voluntate: et e vivis Papa erepto, Sedes Romana, cui Primatus ex iure divino saltem mediato (iuxta nostram sententiam, quam veluti certam docemus) est adnexus, minime cessat, ut liquido patet.

2. **Modus extraordinarius.** — Extraordinarius modus, quo vacare contingit Apostolicam Sedem, est renuntiatio.

Olim acriter disputatum fuit inter Doctores num Papa nuncium mittere valeret pontificiae potestati.

Quaelibet autem disputatio sublata fuit per solemnem Coelestini V declarationem, qua statutum fuit « *Romanum Pontificem posse libere resignare* ». Bonifacius vero VIII hanc declarationem ratam habuit et confirmavit eamque ad perpetuam rei memoriam authenticae suae collectioni inserendam esse duxit.

« Quoniam aliqui curiosi disceptantes de iis quae non multo expediunt, et plura sapere quam oporteat (contra doctrinam Apostoli) tenere appetentes, in dubitatione solicitam, an Romanus Pontifex (maxime cum se insufficientem agnoscit, ad regendam universalem Ecclesiam, et Summi Pontificatus onera supportanda) renuntiare valeat papatui, eiusque oneri et honori, deducere minus

provide videbantur, Coelestinus Papa quintus, praedecessor noster (dum eiusdem Ecclesiae regimini praesidebat) volens super hoc haesitationis cuiuslibet materiam amputare, deliberatione habita cum suis fratribus Ecclesiae Romanae Cardinalibus (de quorum numero tunc eramus) de nostro et ipsorum omnium concordi consilio et assensu, auctoritate Apostolica statuit et decrevit Romanum Pontificem posse libere resignare. Nos igitur ne statutum huiusmodi per temporis cursum oblivioni dari, aut dubitationem eandem in recidivam disceptationem ulterius deduci contingat, ipsum inter Constitutiones alias ad perpetuam rei memoriam, de fratrum nostrorum consilio, duximus redigendum » (1).

Historice constat Coelestinum V et Gregorium XII papali dignitati renuntiasse. Imo non desunt exempla antiquiore quoque aetate. Benedictus IX (a. 1045) et Gregorius VI (a. 1046) videntur nuncium dedisse pontificiae auctoritati. Attamen, ut merito historici auctores animadvertunt, his exemplis non nimis est insistendum, cum istorum Pontificum tum electio tum resignatio plura habeat vestigia humanae fragilitatis.

Ratio iuridica propter quam Papa resignare valet haec est: potestas *iurisdictionis* nil aliud est quam relatio quaedam moralis inter Superiorem ac subditum, quae ab humana pendet voluntate; potestas e converso *ordinis* est quaedam relatio, omnino distincta, quae innititur physico ac indelebili charactere animae impresso, ita ut minime ab hominis arbitrio pendeat.

Hinc fit quod *iurisdictionis* potestas auferri seu resignari valeat, cum scilicet aufertur moralis relatio inter Superiorem et subditum, quae ab humana pendet voluntate; potestas *ordinis* contra auferri seu resignari minime potest, cum humano arbitrio nullo pacto obnoxia sit.

Qua de causa sicut R. Pontifex per liberam acceptationem electionis supremam potestatem actu est assecutus, ita per liberam et publicam resignationem eandem amittit potestatem.

Quaenam conditiones requiruntur ut *valida* ac *licita* sit resignatio? Ut *licita* sit hoc unum requiritur, nimirum ut iusta causa habeatur, seu necessitas vel utilitas non privata, id est personalis dumtaxat, sed Ecclesiae universalis. Ut autem *valida*

---

(1) Cap. I. *De renunt.*, lib. I. in Sext.

sit, oportet *libere* fiat sensu inferius in quaestionibus exponendo. Ad validitatem – sedulo animadvertatur – non requiritur neque *causa,* neque *admissio* ex parte Superioris. Non requiritur ulla *causa,* quia ius divinum vel naturale eam minime exigit ad validitatem resignationis, sed ecclesiasticum tantum; atqui R. Pontifex iure ecclesiastico non ligatur, nec coactive se eodem ligare valet. Ergo.

Non requiritur *admissio* ex parte Superioris, quaemadmodum in resignationibus episcoporum, parochorum etc., quia Papa Superiorem in hisce terris nullum habet; nihilominus renuntiatio fieri debet in manibus Collegii Cardinalium. Neque ad novam Cardinales procedere valent electionem, nisi postquam publice constiterit de renuntiatione per Bullam seu Constitutionem ipsius Pontificis renunciantis ad universum catholicum orbem transmissam.

3. **Quaestiones.**

Quaest. I. *Quid foret dicendum si R. Pontifex, e vivis ereptus, dein revivisceret, alio Papa iam legitime electo?*

R. Casus est mere hypotheticus; at inquisitio neque iuridice neque theologice inutilis apparet.

Pontifex redivivus nulla potestate polleret, seu Papa minime esset. Et ratio est, quia in rebus seu factis humanis ea sunt attendenda quae *naturaliter* eveniunt, minime autem quae *extraordinario* tantum *modo,* seu per miraculum fiunt. Miracula enim, ut ex ipsa definitione liquido constat, sunt facta sensibilia quae fiunt praeter ordinem communiter in rebus servatum. Quapropter Pontifex per mortem seu factum naturale amittit papalem dignitatem; et si redivivus fiat per miraculum seu factum omnino extraordinarium et innaturale, ut ita dicamus, nullo pacto acquirit amissam iurisdictionem.

Eo vel magis quod persona rediviva dicitur incipere ac reapse novam incipit vitam.

Quod valet non modo si alius Papa in locum Pontificis defuncti electus sit, sed etiam si Sedes Apostolica vacans adhuc permaneat. Pontifex defunctus ac redivivus nova in casu indigeret electione, ordinario modo facienda.

Quaest. II. *Valida censerine debet resignatio per vim facta?*

R. Minime. Sicut enim Pontifex per liberum suae voluntatis actum, id est liberam acceptationem electionis Primatum conse-

cutus est, ita per liberum voluntatis actum resignare valet. Relatio moralis inter Superiorem et subditum, in qua reponenda est iurisdictionis essentia, non alio modo aufertur quam eo, quo ortum habuit, nimirum per actum liberae voluntatis. Qua de causa manifesto patet renuntiationem per vim factam invalidam profecto esse.

Nil vetat autem quominus electio, licet ab initio nulla, valida fiat ex libero consensu Pontificis, qui non vim sibi illatam confirmare velit, sed tantum fortasse consulere optet paci concordiaeque in Ecclesia restaurandae.

Quaest. III. *An valida sit renuntiatio per fraudem vel metum extorta?*

R. Resignatio *per fraudem* extorta est semper valida, modo habeatur *verus ac proprius consensus* ex parte Pontificis. Ratio est quia, ex dictis superius, nulla requiritur causa ad renuntiationis validitatem.

Quod attinet vero resignationem per metum extortam, ita distinguere praestat: vel metus tollit voluntarium, vel non. In primo casu resignatio est invalida omnino; in secundo casu per se est valida, quia actus sub metu positi, quoties voluntarium non auferatur, naturaliter validi sunt.

Quaest. IV. *Num renuntiatio sub conditione valide fieri possit?*

R. Per se nihil prohibet quominus resignatio fieri queat etiam conditionate. Etenim ius divinum et naturale id minime vetant. Attamen plura incommoda ex resignatione conditionata facile oriri possent; quapropter bonum Ecclesiae omnino exigit ut Pontifex conditionate nuncium minime mittat papali dignitati.

Quaest. V. *Quid foret dicendum si Papa, qui pontificiae renunciaverit dignitati, illam iterum adipisci velit?*

R. Benedictus IX videtur nuncium pontificiae auctoritati misisse anno 1045 ac iterum eandem adipisci conatus fuisse anno 1047 (1). Quidquid sit de hoc facto historico, quod in dubium revocant nonnulli auctores vel peculiari modo explicant, id unum indubie dicimus, nimirum R. Pontificem, qui libere renunciaverit, quodlibet ius eo ipso amisisse, ita ut, pro denuo papali

(1) Cfr. Lucius Lector, *L'election papale*, p. 337.

munere exercendo, nova requiratur electio ex parte Collegii Cardinalium et si renuncians absque nova electione dignitatem pontificiam rursus exercere audeat, tamquam antipapa habendus profecto sit. Id liquido patet ex conceptu iuridictionis ecclesiasticae suapteque natura profluit ex modis quibus eadem iurisdictio amitti solet.

ARTICULUS II.

Num R. Pontifex deponi possit a Cardinalibus vel a generali Concilio.

Bibliographia: Ballerini, op. cit., p. 145; Bellarminus, op. cit, lib. II, cap. 30; Bouix, op. cit., to. II, pag. 653 ss.; Billot, op. cit., to. III, p. 141 ss.; Cappello, *Institutiones iuris publici ecclesiastici*, Augustae Taurinorum 1907-08; Cavagnis, *Institutiones iuris publici ecclesiastici*, Romae 1898; Kempeneers, Op. cit. p. 140 ss.; De Luca, *Institutiones iuris publici ecclesiastici*, Romae 1897; Muzzarelli, op. cit., p. 83 ss.; Palmieri, op. cit., p. 40; Soglia, op. cit., p. 128 ss.; Suarez, *De fide*, disp. 10, sect. 6, n. 6 ss. Pepé *Instit. theol.*, Paris, 1894.

Barruel, op. cit., p. 96 ss.; Cernicchi, op. cit., p. 28 ss.; De Sanctis op. cit., p. 14 ss.

Bouvet, op. cit., p. 35 ss.; Joseph De Maistre, op. cit., p. 18 ss.

Hageman, op. cit., p. 126 ss.; Gesch. op. cit., p. 13 ss.

Barow A. op. cit., p. 38 sq.; Jas. Bannermann, op. cit., p. 86 sq.; Litton, op. cit., p. 65 ss.

Summarium: 1. Opiniones erroneae. — 2. Quaestio de Papa haeretico. — 3. Doctrina catholica tenenda.

1. **Opiniones erroneae.** — Multiplex error, qui haeresim manifesto sapit, invectus fuit a regalistis aliisque pseudo catholicis, principiis gallicanismi plus minusve imbutis.

1° Quidam docent Cardinalibus ius competere non modo Summum Pontificem eligendi, sed illum quoque iustis de causis deponendi.

2° Alii affirmant potestatem deponendi Papam ad universum fidelium coetum seu ad Ecclesiam spectare.

3° Alii asserunt praedictam facultatem competere non Cardinalibus aut Ecclesiae seu fidelium communitati, sed tantum generali Concilio. Hinc nota propositio Gallicanismi: « *Concilia oecumenica sunt supra Papam etiam excluso tempore schismatis* ».

4° Quidam autumant Romanum Pontificem esse deponendum a generali Concilio cum gravissimae causae occurrant, nimirum: *a*) si inepte Ecclesiam gubernet; *b*) si invisus factus sit episcoporum aut christifidelium coetui; *c*) si impie seu iniuste subditos regat; *d*) si vitam inhonestam ducat; *e*) si in haeresim prolabatur.

5° Alii auctoritatem oecumenici Concilii Pontificem deponendi ad casus extraordinarios tantum coarctant, puta si scandalosus, vel haereticus aut dubie legitimus sit. Ita v. g. Bossuet (1).

6° Non desunt tandem Doctores qui dicant R. Pontificem ob quaedam atrociora crimina, potissimum ob pravos mores, haeresim, etc. amittere *ipso facto* iurisdictionem, ita ut nulla requiratur sententia depositionis ex parte Concilii generalis; ad summum, aiunt, requiri et sufficere sententiam criminis declaratoriam dumtaxat.

Huiusmodi opiniones sunt plane erroneae, ut ex infra dicendis luculenter patebit.

2. **Quaestio de Papa haeretico.** — Dogma catholicum est, R. Pontificem cum ex cathedra loquitur, id est cum omnium christianorum pastoris et doctoris munere fungitur, infallibilem esse ex peculiari Spiritus Sancti adsistentia. Quaestio igitur praesens non respicit Pontificem in quantum est Pastor ac Doctor universalis Ecclesiae, sed in quantum consideratur ut *persona privata*. Qua in re Auctores inquirere solent num R. Pontifex in haeresim prolapsus amittat *ipso facto* supremam potestatem, vel sit deponendus ab oecumenico Concilio.

Videbimus infra num suppositum sit admittendum vel non. Quinque habentur communiter sententiae.

Prima affirmat R. Pontificem propter haeresim etiam *occultam* amittere ipso facto papalem iurisdictionem, quin ulla requiratur depositio (2).

Secunda asserit per *haeresim notoriam* et *palam* divulgatam Papam ipso facto sua potestate privari ante quamcumque sententiam declaratoriam (3).

---

(1) *Defensio*, lib. X, cap. XXI.

(2) Cfr. PALMIERI, *De Romano Pontifice*, p. 40.

(3) Cfr. BELLARM., *De R. Pontif.*, lib. II, cap. 30; BOUIX, *De Papa*, to. II, p. 653 ss.

Tertia contendit R. Pontificem ne per haeresim quidem *notoriam* seu *publicam* ipso facto excidere sua potestate; at nihilominus illum posse ac debere *deponi* per sententiam saltem criminis declaratoriam (1).

Quarta putat Summum Pontificem ob haeresim suam iurisdictionem minime amittere, nec eadem privari posse per depositionem (2).

Quinta declarat R. Pontificem neque ut doctorem privatum n haeresim prolabi posse, seu ipsum suppositum negat (3).

Quaenam ex his sententiis est probabilior?

3. **Doctrina catholica tenenda.** — In primis certum est R. Pontificem neque Cardinalium Collegio, neque Episcoporum Concilio subiici, cum ipse sit Episcopus episcoporum, pastor pastorum, caput omnium ecclesiarum particularium atque ipsius Ecclesiae universalis. Quapropter Papa simpliciter et absolute est supra Ecclesiam universam, et supra Concilium generale, ita ut nullum in terris supra se agnoscat Superiorem (4).

Absonum hinc est asserere, Cardinalibus aut episcopis simul coadunatis ius competere R. Pontificem deponendi. Et sane:

a) Christus constituit Petrum eiusque successores Ecclesiae fundamentum, minime autem Cardinales aut episcopos; iamvero si Cardinalium Collegium aut Episcoporum Concilium posset Pontificem deponere, nonne oporteret dicere ipsos Cardinales et Episcopos fundamentum esse Ecclesiae contra positivam Christi voluntatem?

b) Christus Petro atque eius successoribus munus commisit pascendi agnos et oves, nec non fratres in fide confirmandi; atqui si Papa deponi posset, non ipse pasceret aut confirmaret, sed potius ab aliis pasceretur et confirmaretur.

c) Tota ac plena in Ecclesia potestas uni Pontifici Romano competit, ita ut independenter ab eo neque de facto habeatur neque concipi valeat potestas.

---

(1) Cfr. SUAREZ, *De fide,* disp. 10, sect. 6, n. 6 sq.
(2) Cfr. BELLARM., l. c.
(3) Cfr. BILLOT, to. III, p. 141 sq.
(4) Cfr. BELLARM., *De Concil. auct.,* lib. II, cap. XIII ss.

d) Episcopi nulla pollent iurisdictione, vel saltem nunquam possunt valide ac licite eandem exercere, nisi in quantum a Summo Pontifice dependent; iamvero si ad eos ius deponendi Papam spectaret, eo ipso non modo independenter sed contra Papam agerent.

e) Concilium generale nullius valoris est, nisi R. Pontifex illud convocet, ei praesit eiusque acta suprema sua auctoritate firmet.

f) In tantum episcopis aliisque competit aliqua potestas, in quantum ipsis tribuitur a iure divino, vel naturali aut ecclesiastico. Iamvero neque ius divinum, neque naturale neque ecclesiasticum potestatem episcopis aliisque praelatis concedit deponendi R. Pontificem. Ergo.

g) Quidquid ab episcopis vel Cardinalibus aut ab aliis quibuscumque personis fit, in quantum sunt *extra Ecclesiam*, veluti nullum ac irritum haberi debet. Iamvero ibi est Ecclesia, iuxta axioma SS. Patrum, ubi est Petrus seu R. Pontifex; qua de causa si quis agere velit contra Papam, eo ipso est extra Ecclesiam, et consequenter perperam agit. Hinc ius deponendi R. Pontificem, quocumque sub respectu consideretur et quolibet in casu exercendum inspiciatur, veluti absurdum haberi debet, utpote manifesto repugnans tum Christi positivae voluntati, tum naturae Primatus, tum essentiali Ecclesiae constitutioni.

h) Concilium oecumenicum VIII, act. VIII declaravit: « Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum pontificibus iudicasse legimus, de eo vero quemquam iudicasse non legimus ».

i) Concilium Lat. V, Sess. XI docuit: « Solum R. Pontificem tamquam super omnia concilia auctoritatem habentem, conciliorum indicendorum, transferendorum ac dissolvendorum plenum ius et potestatem habere, nedum ex S. Scripturae testimonio, dictis SS. Patrum ac aliorum Romanorum Pontificum, sed proprio etiam eorundem conciliorum confessione manifeste constat ».

l) Gelasius in ep. ad episcopos Dardaniae ait: « Cuncta per mundum novit Ecclesia quod sacrosancta Romana sedes fas de omnibus habeat iudicandi, nec cuique liceat de eius iudicare iudicio ».

m) Nicolaus I in epist. ad Michaelem scribit: « Patet profecto Sedis Apostolicae, cuius auctoritate maior non est, iudicium a nemine fore retractandum ».

n) Gregorius (1): « Si B. Petrus, inquit, cum a fidelibus culparetur, auctoritatem, quam in sanctam Ecclesiam acceperat, attendisset, respondere poterat: *ut pastorem suum oves reprehendere non auderent* ».

o) Bonifacius VIII (2): « Si deviat, inquit, terrena potestas, iudicabitur a potestate spirituali. Si deviat spiritualis minor a maiori, si vero suprema, a Deo solo, non ab nomine poterit iudicari ».

Sententia probabilior, imo *certa*, si quid nobis opinari liceat, est ultima, ea nimirum quae affirmat R. Pontificem neque ut *privatum doctorem* in haeresim prolabi posse.

Qua de causa Papa nullo in casu deponi potest neque directe seu per sententiam condemnatoriam, neque indirecte, per sententiam scilicet mere criminis declaratoriam.

Ratio porro liquido patet.

a) Christus Dominus ita constituit Ecclesiam ut omnibus mediis eiusdem recto regimini consuleret atque fidelium spirituali utilitati. Iamvero si R. Pontifex ut privatus doctor haereticus fieri posset, id procul dubio plus minusve in damnum ac dedecus Ecclesiae vergeret.

b) Christus absolute et simpliciter dixit: « *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* », quin distinxerit inter *privatum* vel *publicum* doctoris munus.

c) R. Pontifex vi Primatus ita se gerere debet ex Christi positiva intentione, ut plenam fiduciam mereatur ex parte subditorum. Iamvero quanam fiducia dignus foret, si et ipse ad instar aliorum errare posset?

d) Difficile est dignoscere singulis in casibus num Papa ex cathedra loquatur vel tantum ut privatus doctor, et consequenter num infallibilis sit aut errori obnoxius ad instar ceterorum hominum. Qua de causa merito fideles haererent ancipites utrum cernuo capite ipsis acceptanda foret doctrina a Pontifice propositaret, vel minus. Inde dubia, quaestiones, anxietates perplurimae animorum. Quae omnia incommoda plane evanescunt, si nostra admittatur sententia.

---

(1) Lib. 9, epist. 39 ad Theotistam.

(2) In extrav. *Viam sanctam*, tit. *de maiorit. et obedient.*

e) Argumenta quibus innituntur patrocinatores oppositae sententiae nullius valoris videntur. Siquidem: 1° exemplum de Liberio vel de alio Pontifice haeretico nunc temporis iure respuitur, cum historia critica falsitatem ostenderit, prout fas est videre penes recentiores de hac re Auctores; 2° Canones c. 6, D. 40, c. 13. C. II, q. 7, qui de Papa haeretico loquuntur sunt apocryphi; 3° Verba Innocentii III (1) vel sunt referenda in genere ad Pontifices seu Episcopos, vel non sunt intelligenda de haeresi proprie dicta, vel tandem, ut non pauci auctores putant, sunt apocrypha.

Quibus omnibus attentis, merito concludimus sententiam quae affirmat R. Pontificem ne ut privatum quidem doctorem haereticum fieri posse, probabiliorem esse, imo iuxta nostrum iudicium omnino certam.

ARTICULUS III.

Num contingat Sedem Apostolicam vacare ob R. Pontificis amentiam.

Bibliographia: J. Barris, *De ecclesiastica iurisdictione*, Parisiis 1827; A. Carruel, *De modis quibus ecclesiastica amittitur iurisdictio*, Romae, 1784-86; Wilmers, *De Christi Ecclesia*, p. 258; Wernz, *Ius Decretalium*, to. II. n. 614.

R. Baroncini, *Il manicomio moderno* in *Giornale di psichiatria*, 1898; n. 3: Cognetti, De Martiis, *I pazzi morali* in *Annali di medicina na vale*, anno VI, vol. II. p. 1137; Madia, *Dizionario medicina legale*, Napoli 1903, vol. III, p. 6 ss.

Summarium: 1. Sententiae Auctorum. — 2. Quaenam ex iis profitenda.

1. **Sententiae Auctorum.** — Quatuor quoad hanc quaestionem habentur Theologorum et Canonistarum sententiae.

Prima contendit R. Pontificem ob amentiam *ipso facto* nullimode papalem amittere iurisdictionem, sed posse ac debere *deponi* seu removeri vel a Collegio Cardinalium vel a Concilio generali.

Secunda putat Papam in amentiam prolapsum *ipso facto* privari pontificia potestate, quin ulla requiratur sententia depositionis seu remotionis neque ex parte Collegii Cardinalium neque ex parte Concilii generalis.

---

(1) *Serm. IV* in consecratione Pontificis.

Tertia autumat ipso facto Pontificem sua potestate excidere, modo amentia sit *certa* atque *perpetua*. Ita v. g. docet clariss. Wernz (1): « Per amentiam quoque, in quam R. Pontifex *certo* et *in perpetuum* incidit, *ipso facto* iurisdictio pontificia amittitur, ut teste Tanner etiam theologi communiter tenent. Nam amentia R. Pontificis certa et perpetua (non de dubia et transeunte agitur) aequivalet morti, sed per mortem R. Pontifex suam amittit iurisdictionem. Deinde fundamentum exercendae iurisdictionis papalis est usus habitualis rationis, qui per certam et perpetuam amentiam penitus aufertur. Haec est enim ratio, ob quam electio *infantis* ad dignitatem pontificiam est ipso iure irrita, ergo a pari si Papa in perpetuum ad conditionem infantis redigatur, ipso facto eius iurisdictio cessat. Porro potestas papalis non acquiritur iure haereditario, sed electione canonica propter qualitates *personales*, neque ulla ratione *per Vicarium plene et perfecte* exerceri potest. Ergo cum omnes illae qualitates in casu certae et perpetuae amentiae non amplius futuro tempore sint ullius momenti, propter *pacem* et *necessitatem Ecclesiae* destructo fundamento habitualis usus rationis in Romano Pontifice omnis iurisdictio est sublata ».

Quarta sententia docet R. Pontificem ob amentiam neque *ipso facto* neque per *sententiam depositionis* seu *remotionis* papali dignitate privari, quia physiologice nunquam *certo* constare potest de *perpetua* amentia, ut ex dicendis patebit.

2. **Quaenam ex allatis sententiis sit praeferenda.** — *Prima* sententia est omnino falsa, ut evidentissime liquet ex iis quae fuse in praecedenti articulo exposuimus.

Secunda, prout sonat, minime admitti potest, ut modo probabimus.

Tertia theorice inspecta est vera; sed *practice* reiicienda prorsus videtur, cum falso nitatur supposito. Siquidem ne ex medicorum quidem sententia constare potest in concreto de *certa* ac *perpetua* amentia. Ita passim periti, ii nimirum qui peculiari scientia pollent quoad morbos, ut aiunt, mentales (2).

---

(1) Op. cit. to. III. n. 614.

(2) Cfr. MADIA, *Dizionario medicina legale*, Napoli, 1903, vol. III, p. 6 ss.; R. BARONCINI, *Il manicomio moderno* in *Giornale di psichiatria*. 1898, n. 3, COGNETTI, DE MARTIIS, *I pazzi morali* in *Annali di medicina navale*: anno VI, vol. II, p. 1137.

Ad summum haberi potest vera ac solida probabilitas aut etiam moralis certitudo ex peritorum iudicio, quod amens perfecte ac sine relabendi periculo sanus fieri non possit. Iamvero ut Papa *ipso facto* amittere dicatur pontificiam iurisdictionem, non sufficit probabilitas aut moralis certitudo de amentia, sed requiritur *plena, absoluta, physica* certitudo, quae scilicet possibilitatem contrarii suapte natura excludat. Haec autem *plena, absosoluta, physica certitudo* de perpetua amentia nunquam haberi potest, ut uno labio fatentur periti; ergo, negato supposito, corruit praedicta sententia.

Neque obstat asserere, si nullum detur remedium in casu de Pontificis amentia, bonum Ecclesiae in grave discrimen adduci. Non obstat, inquam; nam Christus peculiari providentia Ecclesiam gubernat eiusque paci ac necessitati optime consulit. Historice enim constat ne unum quidem ex Romanis Pontificibus in amentiam prolapsum fuisse. Quod factum luculenter ostendit divino numine Christum Ecclesiae prospicere.

Candide fatemur nos quoque olim in scholis hanc tertiam propugnasse sententiam; at maturius dein argumentis hinc inde perpensis, ab ea merito recessimus.

Quarta sententia *in concreto* et *practice* veluti unice vera est habenda. Etenim quaestio praesens considerari non debet sub respectu theorico dumtaxat seu speculativo, sed potius sub respectu practico et positivo; secus enim supervacanea foret discussio.

Igitur R. Pontifex amentiae causa minime sua potestate ipso facto privatur, cum, fatentibus peritis, nunquam certitudo *plena* et *absoluta* haberi possit de *perpetua* amentia.

ARTICULUS IV.

Num vacans censeatur Apostolica Sedes, si Papa dubius sit.

Bibliographia: Ballerini, op. cit. p. 85; Bellarminus, op. cit., lib. I, cap. 3; Bouix, op. cit, to. II, p. 653; Cavagnis, op. cit, vol. II, n. 168; Muzzarelli, op. cit., p. 65.: Palmieri, op. cit., p. 40 ss.; Suarez, l. c.; Wernz, l. c. n. 615.

Baruel, op. cit., p. 28 ss.; Bianchi, *Della potestà e della polizia della Chiesa*, Roma 1775; Hergenröther, *La storia dei Papi*, Milano, 1885; eiusdem auctoris. *Storia Universale della Chiesa*, Firenze 1904 ss.; Cantù *Storia Universale*, Torino 1853; Henrion, *Storia della Chiesa*, Milano 1894; Brüch, *Manuale di Storia ecclesiastica*, Bergamo 1897; Ferrucci, *Storia*

della Chiesa, Monza 1898; FUNK, *Storia della Chiesa*, Roma 1903; GRISAR, *I Papi nel medio evo*, Roma 1897; ROHRBACHER, *Storia Universale della Chiesa*, Firenze 1866.

BOUVET, op. cit., p. 33 ss.; MAIMBOURG, *Histoire du grand schisme d'Occident*, Paris, 1678.

Summarium: 1. Quaestio historica. — 2 Quaestio iuridica. — 3. Quo sensu generale Concilium intervenire queat.

1. **Quaestio historica.** — Labentibus saeculis schisma in Ecclesia aliquando evenisse, nemo est qui ignoret. Duo enim vel plures non raro de Papatu contendebant, Ecclesiam in partes malo fato scindentes. Schisma porro duplicis speciei est. Vel, diligenti examine adhibito, dignoscitur quinam sit legitimus Pontifex, vel nullimode constat quinam rite electus fuerit ac veluti verus Papa habendus. De prima specie plura exempla habentur; v. g. ut nonnulla obiter referamus, schisma contra S. Cornelium, contra Innocentium III et Alexandrum III.

De secunda specie unicum exemplum tempore Pisanae et Constantiensis Synodorum habitum fuisse historia testatur.

Plurimas post inquisitiones, incertum remansit quis e contendentibus Pontifex legitimus esset.

Quidam catholici auctores autumant nullum ex iis fuisse verum legitimunque Papam; alii contra probabilius aliter opinantur (1).

Dubio extante de legitimitate electionis, seu quinam verus ac legitimus Pontifex sit, Doctores communiter docent generali Concilio ius competere rem dirimendi, prout factum fuisse omnibus compertum est schismatis occidentalis tempore.

2. **Quaestio juridica.** — Papa dici potest *dubius* duplici sensu: *negative* et *positive*.

Negative si nulla habeantur solida argumenta in favorem dubii seu contra Pontificis legitimitatem; *positive* si, diligenti examine peracto a prudentibus ecclesiasticis viris, non constet reapse de valore canonicae electionis Papae.

Dubium mere *negativum* est nullius valoris, et proinde flocci faciendum.

---

(1) Cfr. BOUIX, l. c.

Dubium quod attinet *positivum*, ita distinguere interest: vel agitur de Pontifice, quem *universa* Ecclesia huc usque veluti *certum* recepit, de cuius tamen electione dein tot difficultates excitantur, ut Papa *dubius* censeatur: vel de Pontifice agitur, quem universa Ecclesia numquam veluti certum agnovit.

In primo casu Papa iuridice ac theologice *dubius* minime dici potest. Siquidem contra Pontificem electum et ab universa Ecclesia receptum nulla datur exceptio.

Acceptatio ex parte Ecclesiae non est causa validitatis, sed signum et effectus validae electionis; quapropter, licet consensus Ecclesiae nullam intrinsecam vim electioni tribuat, cum Pontifex a Cardinalibus canonice electus ante Ecclesiae acceptationem sit legitimus Papa, nihilominus praedictus consensus universalis Ecclesiae est criterium *extrinsecum* indubitatum, infallibile, ut ita dicamus, de canonica electione, et consequenter de Papae legitimitate.

Quaecumque postea difficultates oriantur, Papa ut canonice electus ab universa Ecclesia habitus, ius acquisitum nullo modo amittere potest; et proinde veluti *dubius* nequit haberi, sed remanet semper tamquam *legitimus* Pontifex. Secus enim duo incommoda eaque gravissima inde profluerent, nimirum ex una parte consensus Ecclesiae universalis nullum valorem haberet, quod absonum videtur; ex alia parte fideles semper ancipites haererent num in posterum difficultates oriturae sint circa Pontificis legitimitatem, et consequenter iugi dubio premerentur; quod item absurdum omnino est.

In secundo casu merito Papa *dubius* dici potest. Quodnam autem in his teterrimis adiunctis opportunum remedium? Interventus Concilii generalis.

3. **Quo sensu generale Concilium intervenire queat.** — Si Papa sit iuridice ac theologice dubius, merito Auctores docent rem esse per generale Episcoporum Concilium definiendam. Qua in re, ut praevie difficultatibus occurramus quas nobis adversarii opponunt, et minime recedere videamur a superius exposita doctrina de relatione Pontificem inter et oecumenicum Concilium, haec sunt animadvertenda:

a) Concilium in casu nostro nonnisi de validitate *facti* iudicat, seu utrum canonice electio facta sit vel minus;

b) nulla potestas a Concilio exercetur in Pontificem *verum*; nam Papa *dubius* sensu exposito neque intrinsice neque extrinsice

r) Eiusdem Clementis XII Chirographum « *Avendo Noi* »; 24 Dec. 1732, quo Pontifex decernit quaenam potissimum negotia sint peragenda in Congregationibus Cardinalium generalibus;

s) Constitutio Benedicti XIV « *Pastor bonus* », Idib. Aprilis 1744, qua exponitur potestas Poenitentiarii Maioris, Sede Apostolica vacante;

t) Constitutio « *In Apostolicae* » 13 April. 1744, eiusdem Pontificis, qua potestas declaratur officialibus Romanae Curiae competens, vacatione Apostolicae Sedis durante.

2. **Ius novum.** — Quatuor nunc temporis tantum vigent pontificia documenta, quae integrum negotium de Sede Apostolica vacua moderantur.

Sunt autem:

a) Constitutio Leonis XIII « *Praedecessores Nostri* » 24 Maii 1882;

b) Instructio, vulgo *Regolamento*, praedictae Constitutioni adiecta;

c) Constitutio Pii X « *Commissum Nobis* » 24 Ian. 1904, qua *Veto* civile seu *exclusiva* proscribitur atque damnatur sub anathematis poena ipso facto incurrenda;

d) Constitutio eiusdem Pontificis « *Vacante Sede Apostolica* » 25 Dec. 1904, qua ius novum constituitur quoad Sedem Apostolicam vacantem, ceteris RR. Pontificum Constitutionibus penitus abrogatis.

« Itaque – decernit Pius X – re diu ac mature perpensa, certa scientia et proprio motu, de Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, hanc Constitutionem, quae perpetuo in futurum vigeat, edere statuimus, qua Sacrum Cardinalium Collegium, Romana Petri Sede vacante, atque in Romano Pontifice eligendo *unice* utatur, *eamque vim legis habere solam decernimus,* abrogatis Constitutionibus ac Decretis omnibus et singulis a Romanis Pontificibus hac de re editis, etiam in Conciliis generalibus promulgatis et in corpore iuris inclusis: excepta tamen Nostra Constitutione « *Commissum Nobis* », diei XX mensis Ianuarii labentis anni, de civili *Veto* seu *Exclusiva*, uti vocant, in electione Summi Pontificis, et Constitutione « *Praedecessores Nostri* » cum Instructione (vulgo *Regolamento*) adiecta, a felic. rec. Leone XIII die XXIV Maii MDCCCLXXXII data pro extraordinariis perturbatisque tempo-

rum adiunctis, quam in futurum quoque, ubi in iisdem Sedes Apostolica conditionibus versetur, praeter ea quibus hac Constitutione derogatum est, vigere integram volumus ».

CAPUT II.

De potestate Sacri Cardinalium Collegii.

ARTICULUS I.

De potestate Sacri Collegii ante Gregorium X.

Bibliographia: Bargilliat, op. cit., vol. I, n. 441; Bouix, l. c., § III; Ferraris, l. c.; Sebastianelli, l. c.; Palmieri, *De Romano Pontefice*, p. 265 ss.; Bellarminus, *Disp. de controv. christian. fidei*, to. I, *controv. de R. Pontifice;* Wernz, l. c. n. 566 ss.; Wilmers, *De Christi Ecclesia*, pag. 146 ss.

Lucius Lector, *Le Conclave*, chap. II.

Hinschius, op. cit., to. I, pag. 190 ss.; Philipps, op. cit., to. II, pag. 520 ss.

Summarium: 1. Quaestio historica. — 2. Quaestio iuridica. — 3. Variae Auctorum sententiae.

1. **Quaestio historica.** — Compertissimum cuique est Cardinales sapientes esse viros, qui Romano Pontifici perpetuo assident, quibuscum et consilia ipse communicat et negotiorum molem partiri solet.

E vivis porro Pontifice Summo erepto, potestas Ecclesiae gubernandae desinit fortasse, vel potius in eosdem transit Cardinales? En quaestio maximi momenti, quae nobis suapte natura in limine huius secundi voluminis, manifesto occurrit.

Verum responsio exhiberi non potest, quin, certa ab incertis maturo consilio sedulo secernentes, facta historica in hac re summario saltem modo exponamus. Siquidem videre praestat num remotiore aetate Sacrum Cardinalium Collegium exercuerit vel

minus pontificiam iurisdictionem, Sede Apostolica legitimo pastore viduata.

Auctores eruditi, qui de antiqua Ecclesiae disciplina disceptarunt, aperte testantur pluribusque documentis ostendunt, Cardinales, defuncto Pontifice Summo, non raro actus supremae iurisdictionis exercuisse, quippe qui non modo ordinaria sibi negotia pertractanda sumpserunt, sed ipsa quoque extraordinaria, ita ut leges ecclesiasticas condere vel immutare aut abrogare praesumpserint.

Penes scriptores id extra dubium omnino est, quin necesse sit ut in singulis factis enarrandis immoremur. Huiusmodi vero facta historica quomodo explicantur? Cardinales merito aut immerito egerunt? Ius nimirum ipsis competebat supremam iurisdictionem pontificiam exercendi? En quaestio iuridica diluenda.

2. **Quaestio iuridica.** — Argumenta quae demonstrare videntur, Sede Apostolica vacante, pontificiam auctoritatem in Cardinalium Collegium nullo pacto transire, haec sunt:

1° Potestas *primatialis*, qua Pontifex Romanus fruitur in Ecclesia regenda, integra ac universa minime potest aliis committi. Hac de causa ne Pontifices quidem ea absolute et universaliter Cardinales donare possunt, neque ipsis Cardinalibus licet eamdem sibimet vindicare.

2° Forma regiminis Ecclesiae est *monarchica* et quidem sensu stricto atque absoluto; iamvero si suprema potestas, Sede Apostolica vacante, ad Sacrum Cardinalium spectaret Collegium, forma regiminis, vacationis saltem tempore, videretur *aristocratica*.

3° Potestas Ecclesiam regendi necessario quodam vinculo cum infallibilitate coniungitur, quatenus doctrina sarta tecta servari oportet, fideles vero in viam iustitiae et sanctitatis manuduci tuto debent ad ultimum sempiternumque finem adipiscendum. Iamvero infallibilitas, quae ex peculiari Spiritus Sancti adsistentia uni Pontifici Summo competit, est praerogativa *personalis* omnino. Igitur vel foret dicendum Cardinales, Sede Apostolica vacante, immediate a Deo speciali quodam et extraordinario numine infallibilitate donari, vel supremam ecclesiasticam auctoritatem non habere illud charisma, quod necessarium absolute videtur pro doctrina fidei morumque sarta tecta servanda.

Argumenta quae in contrarium afferuntur, ad haec reduci commode possunt:

1° Societas nullo unquam tempore potest salva consistere absque auctoritate, cum ipsa sit eiusdem elementum formale; iamvero Ecclesia est vera ac propria societas iuridice perfecta; igitur in Ecclesia semper ac necessario auctoritas inveniri debet. Verum neminem latet, auctoritatem subiecto, cui inhaereat, indigere suapte natura. Quodnam autem subiectum, vacatione durante, concipi potest, praeter Cardinalium Collegium?

2° « Tempore Sedis Apostolicae vacantis iurisdictio in se manet neque per mortem Romani Pontificis extinguitur ». Ita passim docent Auctores, inspecta natura ipsius Ecclesiae (1). Atqui potestas quae penes physicas aut morales personas non resideat, quaeque exerceri non valeat, videtur inutilis et absurda.

3° Sicuti R. Pontifex ordinariam confert potestatem SS. Congregationibus, maiorem aut minorem pro lubitu suo, quae integra perseverat vacante Apostolica Sede, cur non potest eamdem auctoritatem Sacro Cardinalium Collegio tribuere amplissimo modo?

4° Historice constat Cardinales, vacationis tempore, actus saepissime exercuisse supremae iurisdictionis. Iamvero si in iisdem ponendis potestate ipsi carebant, cur Summi Pontifices nullos atque irritos eiusmodi actus minime declararunt?

3. **Variae Auctorum sententiae.** — Quinque referri possunt Canonistarum sententiae in hac re.

Prima docet Collegium Cardinalium defuncti iurisdictioni Pontificis succedere iure *ordinario*. « Si ad remotiora tempora respiciamus, puto Sacrum Collegium Cardinalium, id est, Romanae Sedis presbyterium (prout tunc vocabatur), defuncti sui Praesulis iurisdictioni successisse, non secus ac cetera Capitula in suis respective ecclesiis; cum hoc tamen discrimine, quod iurisdictio ordinaria cui succedebant Romanae Sedis presbyteri et diaconi, ad universalis etiam Ecclesiae regimen extenderetur » (2).

Secunda affirmat Cardinales pontificiae iurisdictioni succedere iure *devolutivo* tantum. Ius *devolutivum* illud nuncupatur quod per se ad alium pertineret, sed, eo negligente vel impotente aut ad tempus non existente, transfertur in alium cuius interest, dummodo capax sit. Ita porro huius sententiae patrocinatores ra-

(1) Cfr. Wernz, to. II, part. II, n. 615.
(2) Bouix, *De Curia Romana*, p. 128.

tiocinantur. Ecclesia, cum sit societas quaedam iuridice perfecta, auctoritatem semper ac necessario pro fidelium regimine tum habere qum exercere debet. Iamvero, Sede Apostolica vacante, deest ex una parte persona, cui iure proprio auctoritas Primatus competat, seu R. Pontifex; verum ex alia parte, bonum Ecclesiae omnino exigit ut alia persona physica aut moralis negotia iurisdictionis gerat ex iure devolutivo, ne fideles damnum spirituale patiantur. Haec autem persona moralis ceteris aptior natura sua alia esse non potest, nisi presbyterium Sedis Romanae, seu Cardinalium Collegium.

Tertia sententia contendit Collegium Cardinalium, qua tale, neque ex iure proprio neque ex iure devolutivo acquirere defuncti Pontificis iurisdictionem.

Quarta distinguit inter negotia ordinaria et extraordinaria seu maioris momenti: quoad illa concedit Cardinales nancisci iurisdictionem, quoad ista negat.

Quinta sententia, quae non est nisi explicatio unius vel alterius ex praecedentibus, fatetur Collegium Cardinalium, qua tale, iure proprio minime succedere iurisdictioni Pontificis defuncti, sed tantum acquirere iure devolutivo potestatem quoad negotia ordinaria et urgentiora. Diximus consulto *qua tale*, nimirum praescindendo a peculiari iurisdictione a Pontifice defuncto concessa. Ex allatis sententiis tertiam amplectimur.

ARTICULUS II.

Potestas Sacri Collegii Cardinalium post Gregorium X.

Bibliographia: Bargilliat, l. c.; Bouix, l. c.; Wernz, l. c., n. 568 e ss.; Thomassinus, op. cit., part. II, lib. 2, cap. 2.; Lucius Lector, op. cit., p. 185 ss.; Sägmüller, *Lehrbuch des Katholischen Kirchenrechts*, p. 354 ss.

Summarium: 1. Constitutio Gregorii X. — 2. Decretum Clementis V. — 3. Constitutio Pii IV.

1. **Constitutio Gregorii X.** — In Concilio oecumenico Lugdunensi anno 1272 habito, R. Pontifex Gregorius X, experientia edoctus aevi praeteriti, prohibuit quominus Cardinales, Sede vacante, pontificiam iurisdictionem exercerent, praeterquam in casu imminentis periculi, cui illico esset occurrendum. « Idem quoque Cardinales accelerandae provisioni sic vacent attentius, quod se

nequaquam de alio negotio intromittant: nisi forsan necessitas adeo urgens incideret, quod eos oporteret de terra ipsius Ecclesiae defendenda vel eius parte aliqua providere; vel nisi aliquod tam grande et tam evidens periculum immineret, quod omnibus et singulis Cardinalibus praesentibus concorditer videretur illi celeriter occurrendum » (1).

Hoc decreto inter angustos fines potestas Cardinalium certe coarctata fuit. Siquidem in *casu tantum imminentis periculi*, seu necessitate impellente, sancitum fuit Cardinales pontificiam auctoritatem posse exercere. Imo non semper et absolute id permissum legitur, cum explicite Gregorius decreverit omnium et singulorum Cardinalium praesentium concordem requiri sententiam de necessitate occurrendi.

Vi citati decreti, quidquid aliter antea fuerit, Sacrum Collegium nequit Sede vacante novos Cardinales creare, aut Cardinalibus a Pontifice depositis iura cardinalatus restituere, vel Cardinalibus recens electis insignia tradere. Pariter nequit novas dioeceses erigere, supprimere, dismembrare; nec valet episcopos creare; nec beneficia conferre; nec leges condere, vel extantes immutare aut abrogare. Nullum dubium proinde quin Cardinalium Collegium sit deterioris conditionis quam inferiora collegia, quae, sede episcopali vacante, iurisdictionem recipiunt praesulis defuncti. Hoc autem pendet a diversa munerum officiorumque natura; siquidem relate ad inferiora collegia agitur de iure mere ecclesiastico; quod attinet vero Cardinalium Collegium agitur de iure divino-naturali, vel saltem de iure divino-ecclesiastico.

2. **Decretum Clementis V.** — Saeculo XIV erronea quaedam opinio orta est circa decretum Concilii Lugdunensis. Nonnulli siquidem auctores affirmare minime erubescebant, posse coetum Cardinalium, Sede Apostolica vacante, decretum immutare aut eidem derogare.

Clemens V in Concilio Viennensi an. 1312 praedictam opinionem condemnavit, decernens:

« Ne Romani electioni Pontificis indeterminata opinionum diversitas aliquod possit obstaculum, vel dilationem afferre, Nos inter cetera praecipue attendentes, quod lex superioris per infe-

(1) Cap. *Ubi periculum, 3 de elect.*, in 6.

riorem tolli non potest, opinionem astruere (sicut accepimus) satagentem, quod Constitutio fel. record. Gregorii Papae X, Praedecessoris nostri, circa eletionem praefatam edita in Concilio Lugdunensi per coetum Cardinalium Romanae Ecclesiae, ipsa vacante, modificari possit, corrigi vel immutari, aut quidquam ei detrahi, sive addi, vel dispensari quomodolibet circa ipsam, seu aliquam eius partem, aut eidem etiam renunciari per eum tamquam veritati non consonam; de fratrum nostrorum consilio reprobamus, irritum nihilominus, et inane decernentes quidquid potestatis aut iurisdictionis ad Romanum, dum vivit, Pontificem pertinentis (nisi quatenus in Constitutione praedicta permittitur) coetus ipse duxerit, eadem vacante Ecclesia, exercendum » (1).

Clemens V igitur plane confirmavit ea quae sapientissime decreta fuerant in Lugdunensi Concilio a Gregorio X, et insuper erroneam quorundam proscribens opinionem, nullam ac irritam prorsus declaravit pontificii iuris immutationem aut derogationem a quacumque persona, praeterquam a Pontifice Summo, ab ipso quoque Cardinalium coetu factam.

3. **Constitutio Pii IV.** — Pius IV celeberrimam edidit Constitutionem « *In eligendis* » an 1562 qua fuse loquitur de Romani Pontificis electione. Perbelle disserit de maturitate ac diligentia qua electio fieri debet, de exsequiis Pontificis defuncti, de scrutiniis ac de modo eadem peragendi, de potestate tum Sacri Collegii, tum in specie Officiorum S. Sedis, vacationis tempore.

Quod attinet Sacrum Cardinalium Collegium, Pius IV decernit :

« Sedis autem vacatione durante, Collegium Cardinalium in iis quae ad Pontificem Maximum, dum viveret, pertinebat, nullam omnino potestatem, aut iurisdictionem habeat, neque gratiam, neque iustitiam faciendi, aut factam per Pontificem mortuum executioni demandandi; sed ea omnia futuro Pontifici reservare teneatur. Neque de statu temporali S. R. E. neque de pecuniis Camerae Apostolicae, aut Datarii, vel pro solutione debitorum ante obitum Pontificis quomodolibet contractorum, aut alias ex quavis causa (casibus infrascriptis dumtaxat exceptis) quidquam disponere, nec contra Gregorii Constitutionem pro sei-

(1) Clementina, *Ne Romani*, 2 *de electione*.

psis aliquid percipere, nec aes alienum ultra necessarios sumptus praesentibus comprehensis contrahere debeat, neque Camerarius, Thesaurarius, Datarius, Depositarius, Castellanus Arcis S. Angeli, aut alii Officiales contra harum Constitutionum tenorem Collegio obedire teneantur, sive debeant; quin imo si eis talibus obtemperaverint, aut ipsi Cardinales, vel Officiales eorum officiis contra praemissa aliquid attentare praesumpserint, de suo proprio Camerae Apostolicae plenarie satisfacere et pecunias erogatas restituere, ac quaevis damna ad eligendi Pontificis arbitrium resarcire cogantur. Quod autem expendi possit, erit praefata decem millium ducatorum summa. Illud item quod pro victu familiae Pontificiae ante Conclavis ingressum, ac post ingressum, pro pauperum Officialium Palatii tantum per Camerarium et Priores ordinum describendorum victu, ac etiam pro eleemosynis Sede vacante fieri consuetis, itemque pro defensione terrarum Eccl. vel partis earum, nec non pro regalibus Pop. Rom. et illius magistratibus ac custodia Urbis, et Conclavis, illiusque provisionibus opportunis necessarium erit.

« Quae vero impensa pro defensione Terrarum, et locorum Ecclesiae, et securitate ac provisionibus Conclavis facienda sit, Cardinales praesentes per secreta suffragia ordinare debeant, ita ut maioris partis sententia obtineat id, quod observandum erit, etiam in Gubernatoribus Urbis, tam ultra Pontem, quam citra, et aliis Officialibus, etiam pro Status Ecclesiastici regimine si opus fuerit eligendis. Si vero ultra praedicta aliquod grande periculum immineret, cui omnibus et singulis Cardinalibus praesentibus iuxta ordinationem Gregorii X, aut saltem duabus illorum tertiis partibus per secreta suffragia videretur celeriter esse occurrendum, tunc Collegium iuxta maioris partis sententiam similiter per secreta suffragia de remedio opportune, ac provide de necessaria impensa providere possit, et debeat ».

Pius IV citata Constitutione nonnullas induxit peculiares immutationes. Et quidem: 1° quod decreta gratiae aut iustitiae a defuncto Pontifice pronuntiata ad executionem coetus Cardinalium demandare non valet; 2° quod sufficiunt duae tertiae partes suffragiorum, non autem requiritur omnium ac singolorum Cardinalium praesentium consensus; 3° quod votum de necessitate occurrendi ac de remedio opportune ferendo, exhiberi debet per

suffragia secreta. Ea porro erit probata sententia, quae in suum favorem maioris partis consensum obtinuerit.

4. **Constit. « Inter cetera » Alexandri VII.** — Alexander VII peculiarem edidit die 24 oct. 1660 Constitutionem « *Inter cetera* » de bonis Ecclesiae non alienandis, qua Praedecessorum Innocentii IX, Gregorii XIII, Sixti V, Gregorii XIV, Pii V, vestigiis fideliter inhaerens, quae ab iisdem decreta fuerant circa « principatus, ducatus, civitates, castra, oppida, terras, arces, dominia et loca, iurisdictionales et iurisdictionalia » confirmavit suaque auctoritate munivit. In fine autem Constitutionis Alexander decernit: « Ipsi Cardinales, occurrente Sedis Apostolicae vacatione, in Conclavi quando de observandis litteris recol. mem. Iulii Papae II, Praedecessoris nostri super electione Romani Pontificis, et aliis Constitutionibus iuramentum praestare solent, etiam de inviolabiliter observandis praedictis, ac praesenti Constitutione nostra per quemlibet eorum, qui in Romanum Pontificem electus fuerit, et postmodum idem ad Summi Pontificatus fastigium assumptus post eius assumptionem, hoc ipsum ad maiorem cautelam promittere ac iurare, ac deinde post coronationem suam, promissionem et iuramentum huiusmodi per litteras suas speciales harum confirmatorias reiterare debeat, quod si illud a Pontifice, quod credendum non est, recusabitur, aut differetur, tunc dicti Cardinales in primo consistorio secreto, et praecipue eorum Decanus et Capita Ordinum, apud eum omni cum constantia, et instantissime pro praesentium observatione petere, et rogare, ac obtestari non cessent, idque ut omnino efficiat diligentissime curare studeant, statuimus et ordinamus. Decernentes praesentes litteras sub quibusvis revocationibus, cassationibus, derogationibus, ac aliis contrariis depositionibus sub quibusvis tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis pro tempore quomodolibet factis, et faciendis minime comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, et de novo concessas esse et censeri... ».

5. **Constitutio Clementis XII « Apostolatus officium ».** — Clemens XII in Constit. « *Apostolatus officium* », 4 oct. 1732, non modo a Praedecessoribus statutas regulas quoad modum agendi coetus Cardinalium, Sede Apostolica vacante, confirmavit, at insuper alias peculiares decrevit sanctiones, ut magis magisque

determinaret quae forent Cardinalibus servanda, quaeque omittenda.

« Porro ab eisdem praedecessoribus provide constitutum est, ut, Apostolicae Sedis vacatione durante, Collegium Cardinalium in iis, quae ad Pontificem Maximum, dum viveret, pertinebant, nullam omnino potestatem aut iurisdictionem habeat, neque gratiam neque iustitiam faciendi aut facta per Pontificem defunctum executioni demandandi, sed omnia futuro Pontifici reserventur: neque de ditione temporali S. R. E. vel de pecuniis Camerae aut Datariae Apostolicae etiam pro solutione debitorum ante obitum Pontificis quomodolibet contractorum, aut alias ex quavis causa (certis quibusdam casibus expressis dumtaxat exceptis) quidquam disponere, nec ad proprium commodum aliquid percipere, nec aes alienum contrahere possit. Nos, praemissa approbantes, sub poenis per dictas Constitutiones indictis, insuper statuimus et declaramus quod idem Collegium Cardinalium mandata de solvendis pecuniis huiusmodi (praeterquam in praedictis casibus exceptis ac aliis infra exprimendis) favore cuiusvis personae, tam in Conclavi quam extra illud existentis, etiam titulo remunerationis, praemii, laboris ac etiam supplementi mercedis, expedire et relaxare... nec etiam eiusmodi titulo licentiam extrahendi frumenta e Statu Ecclesiastico concedere... neque cuiquam immunitatem seu exemptionem ab officio vel servitio ei incumbente, vulgo iubilationem nuncupatam tribuere nec ullos reos et delinquentes absolvere, vel per liberi commeatus tabulas, quam salvumconductum appellant, etiam ad tempus assecurare, nisi qui leviora delicta Sede ipsa vacante commiserint, minusque exilium aliamve quamcumque poenam etiam pecuniariam illis remittere, condonare vel moderari valeat. Si quid vero contra praesentem prohibitionem factum sit, quilibet, ac etiam officialis qui id exequi coactus fuerit, rem denunciare teneatur futuro Pontifici, ut possit ad gestorum revocationem procedere, et in transgressores ad praescriptum huius nostrae ac praedecessorum Constitutionum animadvertere... ».

Immutationes a Clemente XII, ut ex allatis Constitutionis verbis manifesto eruitur, sunt hae:

1) Collegium Cardinalium, sede Apostolica vacante, nequit expedire aut relaxare mandata de pecuniis solvendis;

2) Nec tribuere valet licentiam extrahendi frumenta e Statu Ecclesiastico ;

3) Nec immunitatem seu exemptionem ab officio vel servitio, id est iubilationem concedere potest ;

4) Nec potestate fruitur reos ac delinquentes absolvendi ;

5) Nec tabulas liberi commeatus (italice *passaporto*) in favorem delinquentium elargiri fas est ; nisi agatur de iis qui leviora dumtaxat commiserint delicta Sede ipsa vacante ;

6) Nec tandem ei licet remittere, condonare vel moderari exilium aut aliam quamcumque poenam etiam pecuniariam.

Quibus ex documentis luculenter patet Sacri Collegii Cardinalium potestatem, vacationis tempore, quam maxime imminutam fuisse et coarctatam etiam ante actis temporibus.

ARTICULUS III.

Potestas Sacri Cardinalium Collegii iure hodierno inspecto.

Bibliographia: Lector, Op. cit., p. 774 ss.; N. Hilling, *Die röm. Kurie*, 1910; *Theol. Abhandlungen, K. v. Weizsäcker gewidmet*, 1909; *Th. Qsch. LXXXV* (1910) 25 ff.

Summarium: 1. Constitutio « *Vacante Sede Apostolica* » Pii X — 2. Constit. « *Praedecessores Nostri* » Leonis XIII. — 3. Instructio Constitutioni adiecta. — 4. Potestas in specie Sacri Collegii Cardinalium.

1. Constit. « Vacante Sede Apostolica ».

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

« Vacante Sede Apostolica, illud gravissimum sanctissimumque est, summum dominici gregis pastorem et caput, ad catholicam Ecclesiam provide solerterque regendam, eligere, qui in beati Petri locum succedens, Christi Iesu in terris personam gerat. Quod cum intelligerent Romani Pontificis Decessores Nostri, eo quavis aetate vigilem curam sedulamque cogitationem contulerunt ut ille modus et ordo in eligendo adhiberetur, qui rei gravitati aptius congruentiusque responderet. Qua de causa plures ex re et tempore ab iis sapientissimae editae sunt leges ut negotium ipsum rite, legitime expediteque absolveretur: quas inter principem obtinent locum Constitutiones a Pio IV, Gregorio XV et Clemente XII opportune sancitae.

« Verum, decursu aetatum, factum est ut hac de Romano eligendo Pontifice indictae ac promulgatae leges sensim multiplici varioque numero augerentur: nonnullae etiam temporum rationibus hominumque moribus mutatis, absoletae evaderent: ita ut haud exigui laboris esse videatur discernere quaenam in Summo Pastore eligendo servanda sint.

« Nos igitur, hoc incommodum praevertere volentes, quae de Romano Pontifice eligendo a Decessoribus Nostris decreta sunt, omnia in unam Constitutionem dirigere opportunum duximus, integris, quantum fieri potuit, servatis ipsis priorum Constitutionum praescriptis, quin etiam verbis (licet haud semper uniformi stilo respondentibus), quae veneranda vetustas sancivit, nonnullis tamen mutatis, prouti opportunius Nobis visum est.

« Itaque, re diu ac mature perpensa, certa scientia et proprio motu, de Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, hanc Constitutionem, quae perpetuo in futurum vigeat, edere statuimus, qua Sacrum Cardinalium Collegium, Romana Petri Sede vacante, atque in Romano Pontifice eligendo unice utatur, eamque vim legis habere solam decernimus, abrogatis Constitutionibus ac Decretis omnibus et singulis a Romanis Pontificibus hac de re editis, etiam in Conciliis generalibus promulgatis et in corpore iuris inclusis: excepta tamen Nostra Constitutione *Commissum Nobis,* diei xx mensis Ianuarii labentis anni, de civili *Veto* seu *Exclusiva,* uti vocant, in electione Summi Pontificis, et Constitutione *Praedecessores Nostri,* cum Instructione (vulgo *Regolamento*) adiecta, a fel. rec. Leone XIII die xxiv mensis Maii MDCCCLXXII data pro extraordinariis perturbatisque temporum adiunctis, quam in futurum quoque, ubi in iisdem Sedes Apostolica conditionibus versetur, praeter ea quibus hac Constitutione derogatum est, vigere integram volumus ».

TITULUS I.

DE SEDE APOSTOLICA VACANTE.

Caput I. — *De potestate S. Collegii Cardinalium, Sede Apostolica vacante.*

« 1. Sedis Apostolicae vacatione durante, S. Collegium Cardinalium in iis, quae ad Pontificem Maximum dum viveret pertinebant, nullam omnino potestatem aut iurisdictionem habeat,

neque gratiam, neque iustitiam faciendi, aut factam per Pontificem mortuum executioni demandandi; sed ea omnia futuro Pontifici reservare teneatur (1). Itaque irritum et inane esse decernimus quidquid potestatis aut iurisdictionis ad Romanum, dum vivit, Pontificem pertinentis (nisi quatenus in hac Nostra Constitutione expresse permittatur) coetus ipse Cardinalium duxerit (eadem vacante Ecclesia) exercendum (2).

« 2. Item praecipimus, ne S. Cardinalium Collegium de iuribus Sedis Apostolicae Romanaeque Ecclesiae quomodolibet disponere valeat, neque in quopiam iuribus eiusdem sive directe detrahere attentet, sive indirecte per conniventiae speciem, seu per dissimulationem facinorum adversus eadem iura, etiam post obitum Pontificis seu vacationis tempore, perpetratorum, attentare videatur; immo volumus ut omnium virium contentione eadem custodire et defendere debeat (3).

« 3. Leges a Romanis Pontificibus latae, per coetum Cardinalium Romanae Ecclesiae, ipsa vacante, corrigi, vel immutari nullo modo possunt, nec quicquam eis detrahi sive addi, vel dispensari quomodolibet circa ipsas seu aliquam earum partem. Quod potissimum valet de Constitutionibus pontificiis, ad ordinandum negotium electionis Romani Pontificis latis (4).

« 4. Si quae tamen dubia exoriantur circa sensum praescriptionum, quae hac Nostra Constitutione continentur, vel etiam circa rationem, iuxta quam ad usum ea traduci debeat, sive super quovis alio Nostrae huius Constitutionis capite, edicimus ac decernimus unice penes Sacrum Cardinalium Collegium potestatem esse super his ferendi sententiam; quam in rem eidem S. Cardinalium Collegio plenam tribuimus facultatem, qua hanc Nostram Constitutionem interpretari ac dubia declarare valeant. Qua quidem in re, quemadmodum in reliquis, de quibus ad Nostrae huius Constitutionis tramites, excepto ipso electionis actu, deliberari

---

(1) Pii IV, Const. *In eligendis*, VII Idus Oct. 1562, § 6; Clem. XII, Const. *Apostolatus officium*, IV Non. Oct. 1732, § 6.

(2) Clem. V. in Conc. Viennensi, cap. 2 *Ne Romani* in pr. *de elect. I*, 3 in Clem.

(3) Leonis XIII, Const. *Praedecessoris Nostri*, 24 Maii 1882.

(4) Clem. V, cap. 2 *Ne Romani*, in pr. *de elect.* I, 3 in Clem.; Greg. XV, Const. *Aeterni Patris*, XVII kal. Decembr. 1621, § 20.

contingat, satis omnino erit si maior congregatorum Cardinalium pars in eamdem sententiam consentiat (1).

« 5. Pariter in casu urgentis negotii, quod, ex voto maioris congregatorum Cardinalium partis, in aliud tempus differri non valeat, S. Collegium, item iuxta maioris partis sententiam, de opportuno remedio disponere potest et debet » (2).

Caput II. — *De Cardinalium Congregationibus.*

« 6. Tempore Sedis vacantis duplex habeatur Cardinalium Congregatio, altera *generalis,* sive totius Collegii, altera *particularis,* constans tribus Cardinalibus antiquioribus, uno ex quoque Ordine cum Camerario, quorum officium tertia die post Conclavis ingressum omnino exspirat, in eorumque locum tres alii sequentes in ordine quolibet tertio die una cum eodem Camerario succedunt (3).

« 7. Volumus ut in dictis Congregationibus particularibus, quae sive ante sive post coeptum Conclave haberi poterunt, levioris dumtaxat momenti, ac in dies seu passim occurrentia negotia expediantur. Si quid vero gravioris momenti atque indaginis fuerit, id omne ad Congregationem generalem, seu ad S. Collegium Cardinalium deferatur. Ac ulterius, quae in una Congregatione particulari decreta, resoluta, vel denegata fuerint, in alia revocari, mutari, aut concedi nequeant, sed id faciendi ius habeat ipsa tantum Congregatio generalis per pluralitatem suffragiorum (4).

« 8. Suffragia in Cardinalium Congregationibus, cum de rebus gravioris momenti agatur, non ore, sed suffragiis secretis dentur.

« 9. Inter generales Congregationes singulari mentione dignae sunt quae ante ingressum in Conclave habentur, eaedemque Congregationes praeparatoriae appellari possunt.

---

(1) Leonis XIII, Const. *Praedecessores Nostri.*

(2) Greg. X, in gener. conc. Lugdun.. cap. 3, *Ubi periculum,* § 1. *de elect.*, I, 6 in Sext.; Pii IV, Const. *In eligendis,* § 6.

(3) Clem. XII, Const. *Apostolatus officium,* § 7; Pii IV, Const. *In eligendis,* §§ 7 et 8.

(4) Clem. XII, Const. *Apostolatus officium,* § 7.

« 10. Congregationes generales praeparatoriae quotidie omnino locum habere debent a die obitus Pontificis usque ad diem quo Conclave Cardinales ingrediuntur, etiam diebus, quibus exsequiae defuncti Pontificis persolvuntur, idque eo consilio fiat ut liberum sit tum Cardinali Camerario sententiam S. Collegii exquirere atque cum ipso quae necessaria vel opportuna iudicaverit, communicare, tum singulis Cardinalibus sententiam suam circa occurrentia negotia aperire, in rebus dubiis explicationes sciscitari, et opportuna proponere.

« 11. In memoratis Congregationibus generalibus haec praecipue negotia expedienda sunt (1).

« *a*) In primis Congregationibus integre legendae erunt tum praesens haec, quum superius memoratae Constitutiones *Commissum Nobis*, de civili *Veto* seu *Exclusiva*, uti vocant, in electione Summi Pontificis, a Nobis edita, et Leonis XIII *Praedecessores nostri*, cum adiecta Instructione: iisdemque perfectis, iusiurandum ab omnibus Cardinalibus praesentibus iuxta praescriptam formulam (2) praestandum. Quod iusiurandum pariter

(1) Clem. XII, *Chirografo « Avendo Noi »* 24 Dec. 1732, n. 17.

(2) Formula iurisiurandi ab E.mis ac R.mis S. R. E. Cardinalibus praestandi:

« *Nos Episcopi, Presbyteri et Diaconi S. R. E. Cardinales promittimus, vovemus et iuramus inviolabiliter et ad unguem omnes et singulos Nos esse observaturos contenta omnia in Constitutione Summi Pontificis Pii Decimi* De Sede Apostolica vacante et de Romani Pontificis electione, *quae incipit* Vacante Sede Apostolica, *data die vigesima quinta Decembris anno millesimo nongentesimo quarto*; *necnon in Constitutionibus* Commissum Nobis *de civili* Veto *seu* Exclusiva, *uti vocant, in electione Summi Pontificis, ab eodem Pio Decimo data die vigesima Ianuarii eiusdem anni millesimi nongentesimi quarti, ac Leonis XIII* Praedecessoris Nostri *cum adiecta Instructione, data die vigesima quarta Mai anno millesimo octingentesimo octogesimo secundo. Item promittimus, vovemus, et iuramus, quod quilibet ex Nobis in Romanum Pontificem, Deo sic disponente, erit assumptus, iura etiam temporalia, praesertim de civili Romani Pontificis principatu, libertatemque Sanctae Sedis integre ac strenue adserere et vindicare nunquam desistet, atque eamdem hanc promissionem et iusiurandum, post eius ad Summi Pontificus fastigium assumptionem, rursus praestabit.*

« *Praecipue autem promittimus et iuramus, sub poenis in praedicta Pii Decimi Constitutione* Vacante Sede Apostolica *statutis, Nos accuratissime et quoad omnes, etiam familiares seu Conclavistas nostros, secretum esse servaturos in iis omnibus, quae ad electionem Romani Pontificis quomodolibet*

emittere tenentur omnes alii Cardinales, qui serius ad locum electionis pervenerint, sive nondum sive iam inceptis Comitiis.

« *b*) Cardinales quam cito ea omnia decernere ac disponere debent, quae ad Conclave inchoandum urgentiora sunt.

« *c*) Constituendus est dies, hora ac modus, quo corpus defuncti Pontificis transferatur.

« *d*) Item Cardinales omnia opportune paranda curabunt, ut diebus statutis Pontificiae exsequiae solvantur.

« *e*) Deputentur duo viri ecclesiastici, qui oratione *De Pontifice defuncto* et *De eligendo Pontifice* recitare debeant.

« *f*) Constituatur dies, quo, si ab ipsis petatur, tum Legatis civilium Regiminum tum Equitibus Ordinis Hierosolymitani S. Collegium conveniendi aditus detur. Praedicti autem Legati nonnisi simul congregati admittantur neque singulis facultas in posterum concedatur S. Collegium adeundi.

« *g*) Nominentur singulares duorum vel trium Cardinalium coetus, vulgo *Commissiones* α) pro inquisitione de qualitatibus Conclavistarum eorumque approbatione (1), itemque pro eorum designatione, qui Conclavi inservire debeant; β) pro constructione et clausura Conclavis, ac pro cellarum dispositione (2).

---

pertinent, et in iis quae in Conclavi seu in loco electionis aguntur, neque secretum praefatum quoquomodo violaturos, sive ipso Conclavi durante, sive etiam post novi Pontificis electionem, nisi peculiaris facultas aut expressa dispensatio ab eodem futuro Pontifice Nobis tributa fuerit; itemque nullo modo a quavis civili potestate, quovis praetextu, munus proponendi Veto *sive* Exclusivam, *etiam sub forma simplicis desiderii, esse respecturos, ipsumve hoc* Veto, *qualibet ratione Nobis cognitum, patefacturos, sive universo Cardinalium Collegio simul congregato, sive singulis purpuratis Patribus, sive scripto, sive ore, sive directo ac proxime, sive oblique ac per alios, sive ante Conclave sive ipso perdurante; nullique interventui, intercessioni, aliive cuilibet modo, quo laicae potestates cuiuslibet gradus et ordinis voluerint sese in Pontificis electione immiscere, auxilium vel favores praestituros* ».

Hanc formulam Cardinalis Decanus coram omnibus Cardinalibus iubeat a Praefecto Caeremoniarum elata voce legi. Deinde singuli Cardinales dicent:

« *Et Ego N. Cardinalis N. spondeo, voveo, ac iuro* ».

Et imponentes utramque manum super Evangelium, adiungent:

« *Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia* ».

(1) Pii IV, Const. *In eligendis*, § 17.

(2) Pii IV, *In eligendis*, § 15; Clem. XII, Const. *Apostolatus officium*, § 10.

« *h*) Proponantur atque approbentur expensae Conclavis

« *i*) Epistolae Imperatorum, Regum aliorumque civitatum Moderatorum, item Nuntiorum relationes, omniaque alia, quae S. Collegii interesse possint, cum ipso communicentur.

« *k*) Perlergantur, si quae sint, documenta a defuncto Pontifice Sacro Cardinalium Collegio relicta.

« *l*) Frangantur Annulus Piscatoris et Plumbum Cancellariae Apostolicae. Pro-Datarius autem vel Sub-datarius, et Secretarius Brevium vel eius Substitutus supplicationes gratiarum quae penes ipsos sunt, sub sigillo clausas Sacro Collegio tradant

« *m*) Cellae Conclavis Cardinalibus sorte distribuantur » (1)

Caput III. — *De nonnullis peculiaribus officiis, Sede Apostolica vacante.*

« 12. S. R. E. Camerarii et Poenitentiarii Maioris officia non cessant per obitum Pontificis (2).

« 13. Si autem contingat alterius vel etiam utriusque officii vacatio ante novi Pontificis electionem, tunc Congregatio generalis triduo post secutam vacationem alterutrius ex praefatis officiis habeatur, ac vota seu suffragia Cardinalium simul congregatorum pro deputatione illius, qui Camerarii vel Poenitentiarii Maioris vices suppleat usque ad electionem novi Pontificis exquirantur, denturque per schedulas secretas, a Magistris Caeremoniarum etiam ab infirmis Cardinalibus colligendas, ac coram tribus Cardinalibus eo tempore in ordine Prioribus, praesentibus eisdem Caeremoniarum Magistris atque S. Collegii Secretario, aperiendas; isque deputatus habeatur, in quem pars relative maior votorum seu suffragiorum praefatorum convenerit, ac sic deputato facultates omnes, quas ipse Camerarius vel Poenitentiarius Maior exercere poterat, quamdiu Sedes vacaverit, attribuimus (3)

---

(1) Pii IV, *In eligendis*, § 13.

(2) Clem. V, cap. 2, *Ne Romani*, § 1, *de elect.* I, 3 in Clem.; Pii IV Const. *In eligendis*, § 9; Clem. XII Const. *Apostolatus officium*, § 15.

(3) Clem. V cap. 2, *Ne Romani*, § 1, *de elect.*, I, 3 in Clem.; Clem. XII Const. *Apostolatus officium*, § 15; Bened. XIV Const. *In Apostolicae*, Idibus Apr. 1744, § 4.

Quod si forsan vota paria fuerint, ille deputatus habeatur, qui fuerit ordine dignior, vel, si eiusdem ordinis, senior.

« 14. Cardinali *Camerario*, vacante Sede Apostolica, incumbit cura et administratio bonorum ac iurium temporalium ipsius S. Sedis, adsistentibus ei in suo officio Cardinalibus eo tempore in ordine Prioribus seu Capitibus Ordinum, et praehabitis semel pro levioribus, ac semper pro gravioribus negotiis suffragiis S. Collegii. Hinc Cardinalis Camerarius, statim ac a Sacri Palatii Apostolici Praefecto nuncium de Pontificis obitu acceperit, ad Apostolicum Palatium perget, ut ipsius possessionem capiat ac eius regimen exerceat. Eiusdem Camerarii erit Pontificis mortem iure recognoscere atque authenticum mortis actum conficere; statuere, auditis Cardinalibus Capitibus Ordinum, modum ad conservationem corporis defuncti Pontificis pro temporum conditionibus magis convenientem et aptum (nisi forte Pontifex ipse vivens suam hac de re voluntatem manifestaverit); privatis eiusdem Pontificis aedibus sigilla apponere; ipsius obitum cum Cardinali in Urbe Vicario communicare, qui de re Populum Romanum singulari Edicto edocebit; eaque omnia, nomine et consensu S. Collegii, curare, quae ad iura Apostolicae Sedis tuenda et ad ipsius administrationem recte gerendam rerum temporumque adiuncta suadebunt (1).

« 15. Cardinalis autem Sacri Collegii *Decani* erit, vix dum ab eodem Sacri Palatii Apostolici Praefecto de Pontificis morte fuerit edoctus, ceteris Cardinalibus vacationem Sedis Apostolicae significare, eosque ad Palatium Apostolicum advocare (2).

« 16. *Poenitentiarius Maior* eiusque officiales, Sede vacante, ea facere et expedire valeant, quae a fel. rec. Benedicto XIV constituta ac definita sunt (3).

« 17. *Vicecancellarii S. R. E., Prodatarii* (4), *Secretarii Brevium* officia per obitum R. Pontificis omnino exspirant.

« 18. Item per obitum Pontificis cessat munus Cardinalis *Secretarii Status*, eoque munere, Sede vacante, fungitur Praelatus

---

(1) Cfr. *Regolamento*, Leonis XIII, nn. 3-6.
(2) Cfr. *Regolamento*, Leonis XIII, nn. 7-8.
(3) Const. *Pastor bonus*, Idibus Apr. 1744, §§ 51-55.
(4) Pii IV, Const. *In eligendis*, § 11.

S. Collegii Secretarius. Quod si hoc officium vacare contingat, eiusdem S. Collegii erit, aliquem ad illud, quamdiu scilicet Sedes Apostolica vacaverit, per pluralitatem suffragiorum deputare.

« 19. E contra *Cardinalis in Urbe Vicarii* officium et iurisdictio non expirant morte Romani Pontificis. Quod si ipsum Vicarium Urbis, Sede vacante, e vivis decedere contigerit, ne Christifideles Urbis eiusque Districtus aliquod inde accipiant in spiritualibus detrimentum, tunc exsistens Vicesgerens dicti Vicarii, quamdiu Sedes vacaverit, omnes et singulas habebit facultates, auctoritatem et potestatem, quae eidem Vicario pro exercitio officii Vicariatus quomodolibet competebant, quasque Pontifex ipse, occurrente vacatione Vicariatus Sede plena, Vicesgerenti praedicto quandoque per aliquod tempus, donec scilicet successorem Vicarium deputaverit, attribuere solet (1).

« 20. Item *Legatorum*, *Nuntiorum* ac *Delegatorum Apostolicorum* officium et potestas non cessant Sede vacante.

« 21. Probe autem scientes eo maxime tempore, cum de creando Pontifice agitur, divinam opem per assiduas preces, aliaque christianae pietatis et caritatis opera impensius expetendam, ac promereri satagendum esse; ideo sicuti magnopere commendamus, ita quoque retineri volumus laudabilem morem huc usque observatum, ut defuncti *Pontificis Eleemosynarius* id muneris exercere pergat cum debita S. Collegio Cardinalium subiectione et ab eo dependentia, donec novus Pontifex eligatur, utque eadem pecuniae vis in subventionem eorumdem pauperum et egenorum Sede vacante per ipsum Eleemosynarium dispensetur ac erogetur, quae vivente Pontifice distribui solet, ad quem effectum consueta mandata a tribus Cardinalibus eo tempore in Ordine prioribus, seu deputatis expediantur » (2).

Caput IV. — *De Sacris Romanis Congregationibus earumque facultatibus Sede Apostolica vacante.*

« 22. Circa facultates Sacrarum Romanarum Congregationum, Sede vacante, hae, quae sequuntur, normae ab omnibus servandae sunt, non obstantibus privilegiis quibusvis.

---

(1) Clem. XII, Const. *Apostolatus officium*, § 17.
(2) Clem. XII, Const. *Apostolatus officium*, § 25.

« 23. Sacrae Congregationes, eadem sede vacante, nullam potestatem habent in iis, quae Sede plena facere et expedire non possunt nisi *facto verbo cum SSmo,* vel *ex audientia SSmi,* vel *vigore specialium et extraordinarium facultatum,* quae a Romano Pontifice earumdem Congregationum Praefectis vel Secretariis concedi solent.

« 24. Facultates vero quae ipsis per Litteras apostolicas attributae sunt, et proinde tamquam ordinariae atque ipsarum Congregationum propriae censentur, eae morte Romani Pontificis non exstinguuntur.

« 25. Volumus tamen ut his facultatibus ordinariis Sacrae Congregationes solummodo in iis gratiis concedendis, quae minoris momenti sunt, libere, pro rei opportunitate, utantur. In iis vero expediendis definiendisque negotiis quae graviora vel controversa esse videntur, illud statuimus, ut, si res talis sit, quae in aliud tempus differri valeat, futuro Pontifici reservetur omnino, sin autem nullam admittat moram, tunc S. Collegio concedimus ut committere possit negotium Praefecto et aliquot aliis Cardinalibus eius Congregationis, ad quam Pontifex illud examinandum verisimiliter commisisset, qui, negotio accurate discusso, ea desuper decernere possint, per modum tamen provisionis, donec eligatur Pontifex, quae, iuxta datam sibi a Domino prudentiam, iuribus et rationibus ecclesiasticis custodiendis ac tuendis apta et consentanea censuerint » (1).

Caput. V. — *De exsequiis Romani Pontificis.*

« 26. Romano Pontifice vita functo, Cardinales exsequias pro eius anima de more per novem continuos dies persolvent, nisi forte in illis novem diebus aliquod festum ex praecipuis et magnis incidat, propter cuius observantiam exsequiae intermittendae videantur; tunc enim in numero quidem novem dierum exsequiarum intermissarum dies computantur (2). Tribus vero postremis diebus solemniori ritu exsequias celebrabunt; et ultima earundem exsequiarum die a viro ecclesiastico ad hoc deputato habebitur oratio « *de Pontefice defuncto* ».

---

(1) Clem. XII, Const. *Apostolatae officium*, § 18.

(2) Cfr. *Caeremoniale Greg. XV* « *Decet Romanum* », IV Idus Mart. 1621.

TITULUS II.

DE ELECTIONE ROMANI PONTIFICIS.

CAPUT I. — *De electoribus Romani Pontificis.*

« 27. Ius eligendi Romanum Pontificem ad S. R. E. Cardinales unice et privative pertinet, excluso prorsus atque remoto quolibet cuiuspiam alterius Ecclesiasticae dignitatis, aut laicae potestatis cuiuslibet gradus et ordinis interventu (1).

« 28. Si quando contingat ut Romanus Pontifex decedat, perdurante celebratione alicuius Concilii generalis, sive Romae illud habeatur, sive in alio quovis orbis terrarum loco, electio novi Pontificis ab uno S. R. E. Cardinalium Collegio semper et exclusive fieri debet, minime vero ab ipso Concilio, atque etiam omnino exclusis ab eadem electione peragenda quibuslibet aliis personis cuiusvis, licet ipsius Concilii, auctoritate forte deputandis, praeter Cardinales praedictos. Quin imo, ut in eiusmodi electione memorati Cardinales, omni prorsus impedimento submoto et quavis perturbationum et dissidiorum occasione sublata, liberius et expeditius procedere queant, ipsum Concilium in quibuslibet statu et terminis exsistat, statim ab accepto certo nuntio demortui Pontificis, suspensum ipso iure intelligi debet, adeo ut, nulla prorsus interiecta mora, cessare statim debeat a quibuslibet conventibus, congregationibus et sessionibus, et a quibusvis decretis seu canonibus conficiendis, nec ob quamlibet causam, etiamsi gravissima et speciali mentione digna videatur, ulterius progredi, donec novus Pontifex canonice electus illud reassumi et continuari iusserit (2).

« 29. Nullus Cardinalium, cuiuslibet excommunicationis, suspensionis, interdicti aut alius ecclesiastici impedimenti praetextu vel causa a Summi Pontificis electione activa et passiva excludi ullo modo potest; quas quidem censuras et excommunicationes ad effectum huiusmodi electionis tantum, illis alias in suo robore permansuris, suspendimus (3).

---

(1) PII IX, Const. *In hoc sublimi*, x kal. Septembr. 1871, et *Consulturi*, 10 Oct. 1887; LEONIS XIII, Const. *Praedecessores Nostri.*

(2) PII IX, Const. *Cum Romanis Pontificibus* pridie Nonas Dec. 1869.

(3) Clem. V, cap. 2, *Ne Romani*, §, 4 *de elect.* I, 3 in CLEM.; PII IV, Const. *In eligendis*, § 29; GREG. XV, Const. *Aeterni Patris* § 22.

« 30. Postquam aliquis S. R. E. Cardinalis in Consistorio creatus fuit, is statim vocem et ius eligendi Pontificem habet, et consequenter etiamsi cardinalitius galerus nondum illi traditus sit, neque os clausum, vel si clausum fuerit, nondum tamen apertum sit. Etenim huiusmodi claudendi oris ritus ad praecipuam Cardinalium facultatem, quae circa Summi Pontificis electionem versatur, non pertinet, sed caeremonia quaedam est, ea de causa introducta, ut Cardinales, antequam in Consistoriis et Congregationibus suffragium ferant, de modestia, quae ab ipsis in his et aliis actibus adhiberi debet, quodammodo admoneantur (1).

« 31. Cardinales canonice depositi, vel qui dignitati cardinalitiae, consentiente Romano Pontifice, renuntiaverunt, nullum ius ad electionem habent. Immo, Sede vacante, nec potest S. Collegium restituere et habilitare Cardinales per Papam privatos seu depositos, ne quidem ad vocem (2).

« 32. Statuimus etiam et declaramus, quod si forte aliquis Cardinalis saltem in Diaconatus ordine constitutus non fuerit, is nullatenus ad eligendum admitti debeat (3), nisi certo et indubitato privilegio Pontificio munitus sit (4).

« 33. Item statuimus, ut cum Pontificem de hac vita migrare contigerit, praesentes Cardinales expectare debeant absentes per decem tantummodo dies, quibus exsequiae defuncti Pontificis celebrantur; quibus elapsis, statim Conclave ingredi et ad electionis negotium procedere tenentur (5).

« 34. Si tamen Cardinales absentes supervenerint, re integra, id est antequam eidem Ecclesiae sit de Pastore provisum, in eodem negotio, in illo statu, in quo ipsum invenerint, admittantur » (6).

---

(1) Pii V decretum die 26 Ianuarii 1571; Caeremoniale Greg. XV, § *Porro.*

(2) Bonif. VIII, cap. un. *de schismatic.*, V. 3 in Sext.; Pii IX Litt. *Quamquam* 29 Sept. 1867.

(3) Pii IV Const. *In eligendis*, § 25; Sixt. V Const. *Postquam verus* III Non. Decembr. 1586, § 6.

(4) Cfr. Caeremoniale Greg. XV, § *Porro.*

(5) Greg. X, cap. 3, *Ubi periculum*, § 1 *de elect.* I, 6 in Sext.: Pii IV, Const. *In eligendis*, §§ 2, 3, 5.

(6) Greg. X, cap. 3, *Ubi periculum*, § 1, *de elect.* I, 6 in Sext.

« 35. Omnibus autem Cardinalibus in virtute sanctae obedientiae praecipimus et mandamus, ut, postquam per cardinalem Decanum, vel ipso impedito, per alium Cardinalem, de vacatione Sedis Apostolicae certiores facti, atque ad novi Pontificis electionem advocati fuerint, nisi legitimo impedimento detineantur. indictionis litteris obtemperare, et ad locum eisdem designatum pro perficienda Pontificis electione statim se conferre debeant (1).

« 36. Si quis vero forte Conclave intrare noluerit, vel ingressus, absque manifesta infirmitatis causa, iuramento medicorum et a maiori parte Cardinalium approbata, exiverit; tunc, ipso minime requisito, nec in eiusdem electionis negotio ulterius admittendo, per alios ad eligendum Summum Pontificem libere procedatur. Si vero, infirmitate superveniente, aliquem eorum e Conclavi exire contingat, ipsa etiam infirmitate durante, poterit, eius suffragio non requisito, ad electionem procedi; sed si ad Conclave, post sanitatem sibi redditam, seu ante, redire voluerit, rursus admittatur (2).

« 37. Cardinales omnes et singuli, valetudine non impediti, cum tertio pulsata per loca solita conclavis campanula fuerit, ad scrutinium convenire debent; cui legi si quis non obtemperavit, latae sententiae excommunicationis poenam incurrat » (3).

Caput II. — *De Conclavistis ac de aliis in Conclavi partem habentibus.*

« 38. Quilibet Cardinalis in Conclavi duobus servientibus clericis, vel laicis, vel uno clerico et uno laico, contentus sit; infirmis autem et graviter affectis, a maiori parte S. Collegii, vel a Cardinali Camerario una simul cum Cardinalibus Capitibus Ordinum, de consensu maioris partis S. Collegii, tertius indulgeri potest (4).

« 39. Conclavistae Praelati esse non possunt, neque consanguinei vel affines in primo et secundo gradu Cardinalium, etiamsi

---

(1) Leonis XIII, Const. *Praedecessores Nostri.*

(2) Greg., X cap. 3, *Ubi periculum,* § 1, *de elect.*, I, 6, in Sext.; Pii IV, Const. *In eligendis,* § 4.

(3) Greg. XV, Const. *Aeterni Patris,* § 17.

(4) Pii IV, Const. *In eligendis,* § 16.

expensis eorum viverent, aut eiusdem Ordinis seu Congregationis religiosae. Et de qualitatibus Conclavistarum, Cardinales deputati ante Conclavis ingressum diligenter inquisitionem habere, et eos approbare, ac post ingressum denuo diligenter inquirere debent (1).

« 40. Conclavistae iusiurandum, quod ab ipsis iuxta statutam formam (2) edi debet, serio ac religiose, pro rei gravitate, prae-

---

(1) Pii IV, Const. *In eligendis*, § 17.

(2) Formula iurisiurandi a Magistris Caeremoniarum atque ab omnibus aliis Conclavistis ecclesiasticis praestandi, una vel altera die ante ingressum in Conclave, coram Caeremoniarum Praefecto vel S. Collegii Secretario ad rem deputatis:

« *Ego . . . . . constitutus coram te . . . . . tactis per me SS. Dei Evangeliis coram me positis, iuro et promitto me inviolabile servaturum esse secretum in omnibus et singulis, quae de novi Pontificis electione deque iis, quae in Conclavi seu in loco electionis aguntur, quovis modo cognoverim, adeo ut nec directe, vel indirecte, neque nutu, neque verbo, neque scriptis, vel alias quomodolibet, ipsum mihi violare liceat, et hoc ne dum sub poena excommunicationis latae sententiae, futuro Pontifici speciali modo reservatae, privative etiam quoad S. Poenitentiariam, sed etiam sub poena privationis cuiuscumque beneficii, pensionis, officii vel muneris ipso facto incurrendae in casu transgressionis. Quod secretum accuratissime ac religiose servabo etiam post peractam novi Pontificis electionem, nisi ab eodem Pontifice peculiaris facultas aut expressa dispensatio mihi concessa fuerit.*

« *Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia, quae propriis manibus tango* ».

Formola del giuramento per i Conclavisti ed altri inservienti laici:

« *Io . . . . . stando innanzi a . . . . . toccando colle mie proprie mani i Santi Evangeli, giuro e prometto che osserverò un inviolabile e rigoroso segreto su tutte e singole quelle cose, le quali in qualche modo venissi a conoscere, riguardanti la elezione del nuovo Pontefice e ciò che avverrà nel Conclave o nel luogo della elezione, e che non violerò in alcun modo questo segreto, nè direttamente, nè indirettamente, nè con parole, nè con scritti, nè con segni, o in altra qualsiasi guisa: e ciò non solo sotto pena di scomunica, riservata in modo speciale al futuro Pontefice, ad esclusione anche della Sacra Penitenzieria, e da incorrersi senz'altra dichiarazione col solo fatto della violazione del giurato segreto, ma anche sotto altre pene anche gravissime da infliggermisi dalla stessa Santità Sua in caso di trasgressione. Il segreto io giuro e prometto che manterrò coscienziosamente anche dopo avvenuta l'elezione del nuovo Pontefice, a meno che non mi venga su ciò concessa dal medesimo Pontefice una espressa e speciale facoltà.*

« *Così Dio mi aiuti e questi santi Evangeli, che tocco colle mie mani* ».

stent. Quam ob rem S. R. E. Camerarii erit cavere, ut ab ipsis praedictum iusiurandum saltem una vel altera die ante ingressum in Conclave emittatur, postquam unusquisque eorum eiusdem iurisiurandi momentum ac formulae sententiam probe intellexerit.

« 41. Conclavistae vero, et quicumque alii servientes, e Conclavi, ex causa infirmitatis manifestae et notabilis a medicis iuramento probatae, et de consensu deputatorum, quorum etiam conscientiam oneramus, et non aliter exituri, nullo modo reverti possunt; sed eorum loco, alii eodem prorsus tempore, quo infirmi exibunt, ingrediantur (1).

« 42. Item si aliquem Cardinalem in Conclavi vita fungi accidat, ipsius Conclavistae statim e Conclavi exire debent, neque ad alterius Cardinalis famulatum in eodem Conclavi assumi poterunt (2).

« 43. Sacri Palatii Apostolici Sacrista quoque cum uno vel pluribus (ad S. Collegii arbitrium) Clericis coadiutoribus in officio Sacristiae, itemque Magistri Caeremoniarum non plures quam sex Conclave ingrediantur, muneribus quae ad ipsos pertinent vacaturi. Adsit praeterea unus S. Collegii Secretarius tantum, unus Religiosus pro confessionibus excipiendis, duo Medici, unus Chirurgus, unus Aromatarius cum uno aut duobus servientibus, qui omnes a maiori parte Cardinalium vel a Cardinali Camerario una simul cum Cardinalibus Capitibus Ordinum, de consensu maioris partis Cardinalium, erunt eligendi; aliique Conclavis utilitati servientes, qui tamen plures esse non debent quam quod necessitas postulaverit » (3).

Caput III. — *De ingressu in Conclave* (4).

« 44. Exsequiis defuncti Pontificis (ut supra) persolutis, et interim Conclavi opportune praeparato, Cardinales in Basilicam Sancti Petri vel alio pro temporis et loci opportunitate conveniunt, ubi per Decanum Sacri Collegii, vel eo impedito per alium

(1) Pii IV, Const. *In eligendis*, § 24.

(2) Clem. XII, Chirogr. *Avendo noi*, n. 16.

(3) Pii IV, Const. *In eligendis*, § 18; Clem. XII, Const. *Apostolatus officium*, § 13.

(4) Cfr. Caeremoniale Greg. XV.

ex antiquioribus Cardinalibus, Missa de Spiritu Sancto celebratur, et in fine per aliquem Praelatum aut alium virum ecclesiasticum doctum habeatur oratio qua moneantur, ut, sepositis omnibus privatis affectibus, solum Deum prae oculis habentes, Sanctae Romanae et universali Ecclesiae de Pastore sufficienti et idoneo providere, omni qua possunt brevitate et diligentia curent.

« 45. Re divina peracta, statim, vel, si Patribus potius libuerit, vespere, fit ingressus in Conclave. Clericus Caeremoniarum capit Crucem Papalem, et procedit: quem Cardinales sequuntur, Episcopi primum, deinde Presbyteri, postremo Diaconi cum suis cappis violaceis: Crucem praecedunt Familiares Cardinalium, et immediate Cantores Hymnum *Veni Creator Spiritus* cantantes: post Cardinales sequuntur Praelati, atque ita ordine procedentes, Conclave ingrediuntur, et cum ad Cappellam pervenerint, Cardinalium Decanus apud Altare dicit orationem *Deus qui corda fidelium*; qua finita, tum praesens quum etiam memoratae Constitutiones *Commissum Nobis* de civili *Veto*, et Leonis XIII *Praedecessoris Nostri* (praetermissis iis, quae nonnisi res iam peractas respiciunt) iterum leguntur; ac iusiurandum, iuxta superius praescriptam formam ab omnibus Cardinalibus rursus emittitur. Deinde Cardinales post brevem sermonem habitum per Decanum, quo eos convenientibus verbis ad electionis negotium rite et recte peragendum hortatur, ad cellas sorte inter eos distributas divertunt.

« Interim Officiales Conclavis et alii in Conclavi servientes iuramenta iuxta praescriptas formulas praestant coram Caeremoniarum Praefecto vel S. Collegii Secretario, ad rem deputatis a Cardinali Camerario, coram quo antea et ab ipsis iusiurandum emittendum est. Pariter hac eadem die, qua fit ingressus in Conclave, Praelatus Pontificiae Domui praepositus et Marescallus Conclavis iusiurandum emittere debent iuxta statutas formulas coram Cardinali Decano, praesentibus omnibus Cardinalibus, idemque praestant Praelati, quibus Conclavis custodia concreditur.

« 46. Tandem, postquam ter, iussu Cardinalis Decani, campanula personata fuerit, exclusis omnibus, qui in Conclavi remanere non debent, ipsum Conclave intus et extra claudatur, et claves S. R. E. Camerario ac Magistro Caeremoniarum et Prelatis custodibus Conclavis iuxta solitum assignentur.

« Deinde accensis fanalibus, tres Cardinales Capita Ordinum et Camerarius, una cum Magistro Caeremoniarum latebras et angulos omnes Conclavis diligenter perquirant, ne quis ex iis, qui esse in Conclavi prohibentur, intus remanserit. In Conclavi autem esse possunt Familiares Cardinalium et alii Officiales et Ministri Conclavis, quos superius recensuimus; omnium autem istorum Conclavistarum recognitio fieri debet, ne quis inter illos forte sit ex iis, qui in Conclavi esse non possunt: quae recognitio, ut certius fiat, iubentur Conclavistae omnes intrare Cappellam, et postea singillatim recensentur ».

Caput IV. — *De clausura Conclavis ac de secreto servando in iis omnibus, quae in Conclavi aguntur.*

« 47. Electio Summi Pontificis fieri debet in Conclavi, et eo clauso (1), sublata tamen nullitate electionis a Gregorio XV (vel alio quovis decreto pontificio) ac de re statuta.

« 48. Tenentur quoque Cardinales pro tempore deputati, per se vel per alios, cellas Cardinalium et alia Conclavis loca saepius visitare et diligenter perquirere, ne Conclavis clausura ullo modo violetur. Et si quid tale deprehensum fuerit, auctores e Conclavi expellantur et gravibus poenis futuri Pontificis arbitrio plectantur (2).

« 49. Clauso Conclavi, nulli ad colloquium cum Cardinalibus vel aliis in Conclavi partem habentibus admittantur, nisi praesentibus Praelatis, quibus Conclavis custodia concreditur, et nisi voce et idiomate intelligibili loquantur. Et si quis forte (quod absit) clam ipsum Conclave ingrediatur, omni honore, gradu, atque officio et beneficio ipso facto privatus existat (3).

« 50. Volumus item ut epistolae, aut cuiusvis generis scripta, etiam typis edita, tum ad eos qui in Conclavi sunt (non exceptis ipsis S. R. E. Cardinalibus), tum praesertim e Conclavi ad eos, qui foris sunt, mitti nullatenus possint, nisi prius omnia et singula

---

(1) Greg. X, cap. 3, *Ubi periculum*, § 1 *de elect*, I, 6, in Sext.; Greg. XV, Const. *Aeternis Patris*, § 1.

(2) Pii IV, Const. *In eligendis*, § 15.

(3) Greg. X, cap. 3, *Ubi periculum*, § 1 *de elect.* I, 6, in Sext.; Pii IV, Const. *In eligendis*, § 19.

S. Collegii Secretarii, ac simul Praelatorum, qui ad custodiam Conclavis deputati sunt, examini atque inspectioni subiiciantur. Absolute autem omnibus interdicimus, ne ephemerides quotidianae vel periodicae extra Conclave mittantur. Qui vero contra fecerint, poenae excommunicationis latae sententiae subiaceant (1).

« 51. Praeterea, uti iam in supra relatis, tam pro S. R. E. Cardinalibus quam pro Conclavistis, iurisiurandi formulis expressum est, severe praecipimus et mandamus ut ab omnibus in Conclavi partem habentibus secretum religiosissime servetur in iis omnibus, quae ad electionem Romani Pontificis pertineant, et in iis quae in Conclavi, seu in loco electionis agantur. Hinc quaecumque directe vel indirecte secretum violare quomodolibet poterunt, sive verba, sive scripta, sive signa, aut alia quaevis, omnia vitare et cavere omnino tenentur (2); ita ut hanc legem violantes excommunicationem ipso facto incurrant, a qua, sicut ab alia quavis et contra quoslibet in hac Constitutione imposita et irrogata, seu infra imponenda et irroganda poena excommunicationis, a nullo, ne a Maiori quidem Poenitentiario, cuiuslibet facultatis vigore, praeterquam a Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, absolvi possint (3).

« 52. Specialiter autem, sub eiusdem excommunicationis poena, Cardinales prohibemus, ne suis Familiaribus seu Conclavistis vel aliis quibusvis ea pandant, quae scrutinium directe vel indirecte respiciant, itemque quae in Cardinalium Congregationibus sive ante Conclave sive ipso durante habitis acta vel decreta sint.

« 53. Insuper praecipimus, graviter onerata ipsorum conscientia, S. R. E. Cardinalibus ut secretum huiusmodi servetur etiam post peractam novi Pontificis electionem, neque ullo modo ipsum violari liceat, nisi ab eodem Pontifice peculiaris ad hoc facultas aut expressa dispensatio concessa fuerit. Quod praeceptum extendi volumus ad alios omnes, qui in Conclavi partem habuerunt, si quid forte, bona vel mala fide, de iis, quae in Conclavi gesta sint, cognoverint.

---

(1) Greg. X, cap. 3, *Ubi periculum*, § 1, *de elect.* I, 6, in Sext.; Pii IV Const. *In eligendis*, § 20; Clem. XII, Const. *Apostolatus officium*, § 11.

(2) Greg. XV, Const. *Aeterni Patris*, § 20.

(3) Greg. XV, Const. *Aeterni Patris*, § 19.

Caput V. — *De forma electionis* (1).

« 54. Mane sequenti, post clausum praecedenti nocte Conclave, ac post solitum campanulae sonum, conveniunt Cardinales in eo praesentes, qui infirmitate non sunt impediti, induti super vestem crocea aut *mozzeta* violacea (quibus vestibus uti debent quandocumque aliquid collegialiter agendum est), ad designatum Sacellum, et ibi celebrata consueta Missa, et facta Cardinalium Communione, ac postea recitatò Hymno *Veni Creator Spiritus* cum oratione de Spiritu Sancto, statim ad negotium electionis procedere debent, quod quidem uno tantum ex tribus, qui infra exponuntur, modis sive formis peragendum est, alioquin electio nullitatis vitio subiacet.

« 55. Primus modus est, qui quasi *per inspirationem* vocatur, quando scilicet omnes Cardinales, quasi afflati Spiritu Sancto, aliquem unanimiter et viva voce Summum Pontificem proclamant; circa quem modum infrascripta notanda sunt.

« Primum, haec forma electionis adhiberi potest solum in Conclavi, et eo clauso. Secundo, debet fieri electio secundum hanc formam ab omnibus et singulis Cardinalibus in Conclavi praesentibus, etiam iis, qui ob infirmitatem in cellis detinentur. Tertio, communiter, et nemine eorum dissentiente. Quarto, nullo praecedente de persona speciali tractatu, per verbum « *eligo* » intelligibili voce prolatum, aut scripto expressum, si voce non possit proferri. Exemplum autem huius, potest esse huiusmodi. Si quis e Patribus clauso Conclavi, nullo, ut praefertur, praecedente speciali tractatu, diceret: Reverendissimi Domini, perspecta singulari virtute et probitate Reverendissimi D. N. iudicarem illum eligendum esse in Summum Pontificem, et ex nunc ego ipsum eligo in Papam. Deinde hoc audito, si ceteri Patres, nemine excepto, sequentes primi sententiam eodem verbo « *eligo* » intelligibili voce prolato, aut si non potest, in scriptis expresso, eundem N., de quo nullus specialis tractatus praecessit, communiter eligerent, ipse N. esset canonice electus et verus Papa secundum hanc electionis formam, quae dicitur *per inspirationem* ».

---

(1) Cfr. Caeremoniale Greg., XV.

« 56. Secundus modus est *per compromissum,* quando scilicet Cardinales ad electionem per hanc formam seu viam procedere volentes, committerent aliquibus ex Patribus eligendi potestatem, ut vice omnium Ecclesiae Catholicae provideant de Pastore, cuius formae praxis debet esse huiusmodi. Primo omnes et singuli Cardinales in Conclavi clauso praesentes, nemine eorum dissentiente, in aliquo ex Patribus (i. e. in tres vel quinque vel septem, non in minorem vel maiorem numerum) compromissum faciunt, exempli gratia in hanc formam: « In nomine Domini Amen. Anno etc., mense etc. die etc. Nos Episcopi, Presbyteri et Diaconi S. R. E. Cardinales omnes et singuli in Conclavi existentes, videlicet N. N. (et singillatim omnes nominentur Cardinales) elegimus, et eligimus per viam procedere compromissi, et unanimiter et concorditer, nemine discrepante, eligimus compromissarios N. N. et N. Cardinales, etc., quibus damus plenariam facultatem et potestatem providendi S. R. E. de Pastore sub hac forma videlicet ». (Hic necesse erit, ut Cardinales Compromittentes exprimant modum et formam, secundum quam Compromissarii debent eligere, et secundum quam electus debet censeri verus et legitimus Papa, ut puta si electi sint tres Compromissarii, declarandum est an ad hoc ut electio sit valida, prius proponere debeant Sacro Collegio personam ab ipsis nominandam ad Pontificatum, an vero absolute debeant electionem peragere; an omnes tres debeant convenire in unam personam; an vero sufficiat, quod duo in unam concordent, et an debeant nominare aliquem de Collegio, vel etiam aliquem extra Collegium, et alia his similia). His autem, vel aliis similibus expressis, addi compromisso debet tempus, ad quod usque volunt Cardinales, potestatem Compromissarios habere eligendi, et postea subiunguntur haec verba: « Et promittimus nos illum pro Romano Pontifice habituros, quem DD. Compromissarii secundum formam praedictam duxerint eligendum », vel alia ad formam Compromissarii praescriptam accommodata.

« Secundo, completo huiusmodi mandato, Compromissarii ad partem in aliquo loco separato et clauso se conferunt, et de electione facienda tractant, et debet inter eos praemitti protestatio, quod per quamcumque prolationem verborum suum dare consensum non intelligunt, nisi in scriptis illum expresse ponant. Et haec protestatio necessaria est inter Compromissarios, ut

verbis humanis et reverentialibus inter se, sine praeiudicio, uti possint.

« Tertio, facta per Compromissarios electione secundum formam eis praescriptam, et in Conclavi promulgata, electus per huiusmodi viam compromissi, est canonicus et verus Papa.

« 57. Tertius et ordinarius modus, seu forma electionis Romani Pontificis est, quae vocatur *per scrutinium*. Qua in re plenissime confirmamus et renovamus legem iam a Praedecessoribus Nostris sapienter inductam ac per plura deinde saecula semper religiosissime servatam, qua nempe statutum est ut ille tantummodo Romanus Pontifex habendus sit, in quem duae saltem ex tribus partibus Cardinalium in Conclavi praesentium per secreta schedularum suffragia convenerint (1).

«Numerus autem suffragiorum duarum ex tribus partibus Cardinalium in Conclavi praesentium, ut electio per viam scrutinii valida sit, ita est censendus ut in duabus tertiis partibus suffragium electi non numeretur, nec quispiam, sive scrutinii sive compromissi via procedatur, seipsum eligere, seu suffragium sibi dare ullatenus possit: electi tamen persona, si in Conclavi sit, debeat in numerum Cardinalium computari (2).

« 58. Scrutinii autem ritus continet tres actiones: alteram, quae *antescrutinium*, alteram, quae *scrutinium*, et tertiam, quae *postscrutinium* appellari potest.

« 59. *Antescrutinii* actus sunt quinque, videlicet: praeparatio schedularum; extractio Scrutatorum, Deputatorum pro votis infirmorum et Recognitorum per sortem; scriptio schedularum; earum complicatio; obsignatio earumdem.

« 60. Schedularum praeparatio et distributio ad Magistros Caeremoniarum pertinet, qui eas impressas, ubi fieri poterit, alioquin unius manu scriptas secundum formam inferius describendam accipient, et singulis Cardinalibus saltem duas vel tres distribuent.

« 61. Forma autem schedulae, quoad eius figuram attinet, erit altera parte longior, hoc est plus longa, quam lata. Circa ea vero, quae in eisdem schedulis contenta sunt, in anteriori eius parte,

---

(1) Alex. III in Concil. Later. cap. 6 « *Licet de vitanda* » *de elect.* I, 6; Greg. XV Const. « *Aeterni Patris* », § 1.

(2) Greg. XV Const. « *Aeterni Patris* », § 2.

quae brevitatis gratia facies nominari potest, tria comprehendi debent. Primo in superiori parte secundum eius latitudinem, duo haec verba *Ego Card.* cum tanta ad invicem distantia ut inter ipsa, nomen proprium Cardinalis eligentis scribi possit, et paulo inferius bina signa, parvorum hemiciclorum instar confecta, ad loca sigillorum indicanda.

« Secundo, in medio continere debet haec verba:

« *Eligo in Summum Pontificem Reverendissimum Dominum meum D. Cardinalem...*

« Tertio in parte inferiori, alia bina signa, uti supra hemiciclorum instar confecta, ad loca sigillorum similiter demonstranda.

« In exteriori autem parte schedularum, quae tergum nominari potest, duo sunt imprimendi limbi ex illis, quos ad ornatum librorum impressores adhibent, et vulgari vocabulo *fregi* nuncupant, quorum primum circa sui medium continent hoc verbum, *Nomen,* impressum secundum longitudinem ipsius limbi; alterum vero continet hoc verbum, *Signa,* similiter impressum ut praecedens. Hi autem limbi excogitati sunt ad obscurandum diaphanum paginarum, ne scilicet ad lumen, nomina et signa eligentium conspici possint; ubi vero impressoris copia non fuerit, limborum defectus lineis suppleri poterit. Sed haec fient clariora per infra positas figuras schedularum.

« **EXEMPLUM FACIEI SCHEDULAE SCRUTINII.**

Ego Card.

. . . . . (*locus primae plicaturae*)

. . . . . (*locus secundae plicaturae*)

Eligo in Summum Pontificem R. D.

meum D. Card.

. . . . . (*locus secundae plicaturae*)

. . . . . (*locus primae plicaturae*)

« EXEMPLUM TERGI SCHEDULAE SCRUTINII



« 62. Secundus actus antescrutinii est extractio Scrutatorum, Deputatorum pro votis infirmorum, et Recognitorum: quae extractio, antequam ad scrutinium procedatur, sorte facienda est, hoc modo. In uno sacculo, aut vase, publice ponantur tot schedulae, vel si magis placet, spherulae ligneae palam numeratae, quot sunt Cardinales praesentes in Conclavi, cum eorum nominibus: deinde per ultimum Diaconum extrahantur primo Scrutatores tres, postea tres Deputati pro votis infirmorum, qui brevitatis gratia Infirmarii appellari possunt, ac tandem Recognitores, de quorum omnium officio inferius suo loco scribetur. Quod si in extractione Scrutatorum, Infirmariorum et Recognitorum, extracti fuerint Cardinales, qui ob infirmitatem aliudve impedimentum muneribus praedictis satisfacere non possint, alii non impediti loco illorum extrahantur. Peracta vero extractione, schedulae, seu spherulae eorum, qui extracti fuerunt, in sacculum, seu in vas iterum coniiciantur.

« 63. Tertius actus antescrutinii est schedularum scriptio, quae ab unoquoque Cardinali fiet hoc modo. Primo in superiori parte, in spatio inter verba *Ego Card.* scribet proprium nomen; deinde in secunda parte nomen illius, quem eligit, charactere tamen, quantum fieri potest, alterato, ne manus scribentis cognosci possit; et caveat ne plura nomina in schedula scribat; quia suffragium esset nullum. In tertia vero parte signa, videlicet numerum aliquem, et dictum aliquod Scripturae, seu verbum, aut aliquid huiusmodi, ut in exemplo pro faciliori intelligentia oculis subiecto, videre est.

« EXEMPLUM SCHEDULAE SCRUTINII SCRIPTAE.

Ego Bonifacius Card. Caietanus

. . . . . (*locus secundae plicaturae*)

. . . . . (*locus primae plicaturae*)

Eligo in Summun Pontificem R. D.
meum D. Card. Baronium.

. . . . . (*locus secundae plicaturae*)

. . . . . (*locus primae plicaturae*)

18 Gloria in excelsis Deo.

« 64. Quartus actus antescrutinii est schedularum complicatio, quae ut expeditius peragi a Cardinalibus valeat, poterit a Magistris, cum eas praeparant, fieri in hunc, qui sequitur, modum. Binae fient plicaturae ex utraque parte cuiusque schedulae, ita ut nomen eligentis et signa cum fuerit scripta, maneant tecta ex utraque parte a limbis; deinde quod reliquum est ita complicetur ut schedula fere ad latitudinem pollicis redigatur, prout ex complicata schedula, quae hic exempli gratia ponitur, conspici potest.

« EXEMPLUM SCHEDULAE PLICATAE

NOMEN

Eligo in Summum Pontificem R. D.

. . . . . (*locus ultimae plicaturae*)

meum D. Card. Baronium

SIGNA

« Ceterum Magistri Caeremoniarum schedulas, non complicatas ut supra, sed explicatas, Cardinalibus distribuent, et Cardinales easdem, postquam ut supra scripserint, complicabunt iuxta plicaturas a Magistris Caeremoniarum paratas.

« Secretarius autem S. Collegii et Magistri Caeremoniarum debent ab aula discedere, antequam Cardinales nomen eligendi in schedulis scribere coeperint, ita ut tempore scrutinii Cardinales soli in Cappella remaneant.

« Porro post eorum egressum ex aula, ultimi Cardinalis ordinis Diaconorum erit ostium Cappellae claudere: ac generatim ipsum, quotiescumque opus fuerit aperire et claudere, exempli gratia, quum Cardinales Infirmarii ad vota infirmorum colligenda pergunt ac postea quum ad Cappellam redeunt, vel ob quamcumque aliam necessitatem.

« 65. Quintus et postremus actus antescrutinii est schedularum obsignatio, quae ab unoquoque Cardinali facienda erit in tergo schedularum cum cera rubra et sigillo ad hoc parato. Porro sigillum non debet esse solitum Cardinalis, sed aliud, et secrete habitum, et ita simplex ut facile notari possit, veluti si in sigillo sculpantur aut tres numeri, aut tres litterae et numeri, vel una tantum imago.

« Haec de antescrutinio sufficiant; ceterum quod attinet ad Cardinales infirmos, aut aliter impeditos, inferius suo loco dicetur.

« 66. Sequitur secunda actio, quae nomine *scrutinii* appellata fuit. Octo sunt huius actionis actus, videlicet: delatio schedulae, iuramenti praestatio, positio schedulae in calicem, schedularium mixtio, earum numeratio, scrutinii publicatio, schedularum in filum insertio, harum depositio seorsum.

« 67. Delatio schedulae, et duo sequentes actus, qui melius simul describuntur ob eorum connexionem, hoc modo fient. Quilibet Cardinalis propriam schedulam, postquam illam scripserit, obsignaverit et complicaverit, duobus primis digitis sumet, ac elevata manu palam ad Altare, penes quod stant Scrutatores, et in quo est calix magnus ad recipiendas schedulas paratus et patena coopertus; ibique genuflectens, aliquantulum orabit: deinde surgens, alta et intelligibili voce, iurabit in hac formam, quae in tabella super Altari posita descripta habetur.

« *Testor Christum Dominum, qui me iudicaturus est, me eligere, quem secundum Deum iudico eligi debere.*

« Post haec schedulam in patenam ponet, et per patenam mittet in calicem; quo facto inclinabit se ad Altare, et ad suum locum revertetur.

« 68. Haec servanda erunt, si Cardinalis ad Altare pergere possit: nam si ob infirmam valetudinem non possit, et praesens in Cappella sit, ultimus Scrutator ad eum accedet; et Cardinalis infirmus, postquam schedulam in loco suo secrete, ut supra dictum est, confecerit, praevio iuramento praedicto, ipsam obsignatam et complicatam eidem Scrutatori tradet, qui eam palam deferet ad Altare, et sine oratione et iuramento in patenam ponet, et per eam in calicem mittet.

« 69. Si vero aliqui Cardinales infirmi sint in suis cellis, tres Cardinales Infirmarii, ut supra extracti, ad eos accedent cum capsula altitudinis unius palmi, in cuius superiori parte sit rima, seu foramen, eius magnitudinis, ut per illud schedula complicata possit per suam latitudinem intus capsulam transmitti; quam capsulam antequamScrutatores Infirmariis tradant, palam aperient, ut ceteri Cardinales possint eam inanem et vacuam conspicere, deinde claudent, et clavem ponent super Altare; deinde Infirmarii cum capsula clausa, et cum parvo disco sufficientes schedulas continentes, ad unumquemque eorum accedent; et infirmi acceptas ex disco schedulas secrete scribent, obsignabunt et complicabunt, et praevio iam dicto iuramento in capsulam per rimam mittent; quod si infirmi scribere non possint, sive aliquis ex tribus Cardinalibus Infirmariis, sive alius ex ordine tamen clericali, eorum arbitrio deligendus, praestito de secreto servando in manibus Infirmariorum iuramento praedicta faciet: atque hi advertere debent quod non solum iuramenti vinculo tenentur servare secretum, sed etiam in excommunicationem latae sententiae, si contrafecerint, incurrent. His peractis, Infirmarii ad Cappellam revertentur cum capsula, quam Scrutatores aperient, et schedulas in ea contentas palam numerabunt: et tot repertas, quot sunt infirmi, ponent singillatim in patenam, et per patenam simul omnes in calicem.

« Ne autem nimis in longum protrahatur scrutinii actio, Infirmarii poterunt proprias schedulas post Decanum conficere et in calicem ponere, deinde dum ceteri Cardinales scrutinium agunt,

ad infirmos pergere ad accipienda eorum suffragia eo modo, quo proxime ante dictum est.

« 70. Quartus actus scrutinii est schedarum permixtio, quae fiet per primum Scrutatorem, calice in quo ipsae schedulae positae fuerunt, patena cooperto, pluries agitato.

« 71. Quintus actus est numeratio schedularum, quae palam fiet per ultimum Scrutatorem, capiendo singillatim unamquamque schedulam ex calice eamque ponendo in alium, qui ad hoc peratus sit, calicem vacuum. Quod si numerus schedularum non respondeat numero Cardinalium, omnes comburendae sunt, et iterum, idest secunda vice, ad suffragia statim est deveniendum. Si vero numerus schedularum numero Cardinalium respondeat, prosequendi sunt alii actus scrutinii..

« 72. Sextus actus est publicatio scrutinii, quae per Scrutatores, qui sedent ad mensam ante Altare positam, fiet hoc modo. Primus scrutator accipiet unam schedulam, eamque intactis sigillis explicabit, et viso in ea schedula electi nomine, eam tradet secundo Scrutatori, qui pariter, eodem electi nomine perspecto, eamdem tradet tertio, qui illam alta et intelligibili voce perlegef, ut omnes Cardinales praesentes notare possint suffragium in folio impresso, quod penes se habebunt cum nominibus omnium Cardinalium: notabit autem iuxta nomen Cardinalis ex schedula recitati. Idem faciendum erit de ceteris schedulis in calice positis, usque ad ultimam. Quod si in scrutinii publicatione inveniat Scrutatores duas schedulas ita complicatas ut ab uno tantum datas fuisse appareat, si quidem unus et idem in utraque electus fuerit, schedulae praedictae habebuntur et notabuntur pro uno suffragio, si vero diversi fuerint nominati, neutrum suffragium validum erit; scrutinium tamen neutro casu vitiatur. Ceterum suffragia praedicta, finita scrutinii publicatione, a Scrutatoribus iuxta nomina Cardinalium, qui ea obtinuerunt, in unam summam redigentur, vel in separato folio notabuntur, hoc modo: *Reverendissimus D. Cardinalis A habet suffragia 20, et Reverendissimus D. Cardinalis B habet suffragia 15,* et sic de aliis; quod fit ne Cardinales, cum opus est, cogantur semper numerare suffragia, quae iuxta nomina Cardinalium notarunt.

« 73. Septimus actus scrutinii est schedularum in filum insertio, quae ut schedulae ipse cautius conservari possint excogitata fuit.

Haec autem insertio fiet per ultimum Scrutatorem, inserendo schedulam unamquamque, postquam eam perlegerit, acu cum filo ad hunc effectum parato, in loco, ubi est verbum *Eligo*.

« 74. Octavus et postremus scrutinii actus est depositio schedularum seorsum, quae similiter fiet per ultimum Scrutatorem, qui, finita insertione omnium schedularum in filum, capita fili nodo iunget, et schedulas omnes ita colligatas in alium calicem vacuum, vel in mensa seorsum ponet.

« 75. Sequitur tertia et postrema actio, quae *postscrutinium* appellata fuit, cuius actus tres sunt, videlicet: numeratio suffragiorum, eorum recognitio, et schedularum combustio.

« Primus itaque actus est numeratio suffragiorum, quae fiet per scrutatores semper, sive secuta sit electio, sive non: et si quidem secuta non sit electio ut sciatur, quod in eo scrutinio non habetur Papa; si vero secuta sit, ut constet de canonica Pontificis electione. Fiet autem haec numeratio suffragiorum hoc modo. Scrutatores in unam summam redigent suffragia, quae quilibet nominatus in Pontificem obtinuit, et si invenerit nullum ex nominatis ad duas tertias partes suffragiorum pervenisse, non habetur Papa in illo scrutinio: si vero invenerint aliquem ex nominatis duas tantum partes suffragiorum obtinuisse, aperient electi schedulam (quam ex sigillis et signis ab ipso electo hoc in casu manifestandis cognoscent), etiam in ea parte, in qua est nomen eligendis; et si quidem ex ea apparuerit electum alii suffragatum fuisse, electio eius erit canonica; si vero constiterit sibi suffragium dedisse, eius electio nulla erit ob defectum unius suffragii.

« Secundus actus postscrutinii est recognitio, quae per recognitores, sive secuta sit electio, sive non, fiet inspiciendo tam schedulas scrutinii, quam suffragiorum annotationes factas per Scrutatores, ut per huiusmodi recognitionem constare possit an Scrutatores sincere et fideliter muneri suo satisfacerint.

« Tertius, et postremus actus postscrutinii est combustio omnium schedularum, quae semper et palam per Scrutatores, adiuvantibus Magistris Caeremoniarum, fiet ac statim post recognitionem, sive electio sit secuta, sive non. Si tamen secundum scrutinium, iuxta ea quae inferius praescribentur peragendum sit, tunc combustio schedularum primi scrutinii nonnisi in fine una cum schedulis secundi scrutinii facienda erit.

« 76. In Praedecessorum Nostrorum, ac praecipue Gregorii XV, Constitutionibus ad expeditiorem electionem habendam statutum fuerat ut, scrutinio publicato, si electio per consensum duarum partium in eo facta non fuerit, statim antequam ad alios actus deveniretur, Cardinales possent, semel in quolibet scrutinio, accedere alicui ex illis, qui in eodem scrutinio saltem unum suffragium validum obtinuissent, dummodo is non esset, qui ab ipsomet Cardinali fuerat in scrutinio nominatus. Cum tamen huiusmodi forma *accessus* non parum esset ad exequendum difficilis, praesertim quoad ea, quae schedularum inspectionem, aperitionem et collationem spectabant, Nos et huic incommodo occurrere et nihilominus optatae electionis accelerationi nullimode officere cupientes, statuimus ac praescribimus ut loco ipsius accessus, semel tam mane quam vespere, post completum iuxta huc usque exposita scrutinium si quidem in eo secuta non sit electio, Cardinales statim ad novum scrutinium peragendum procedere debeant in quo rursus suffragia sua ferant, iis, quae in primo scrutinio lata sunt, minime computatis. Volumus autem ut in hoc secundo scrutinio iidem ac in primo ritus serventur, ita tamen ut Cardinales non teneantur novum emittere iusiurandum, neque novos eligere Scrutatores, Infirmarios et Recognitores, sed quae in primo scrutinio quoad haec praestita sunt, sine renovatione valeant etiam pro secundo.

« 77. Et haec omnia, quae de scrutinii ritibus sunt exposita, servanda erunt diligenter a Cardinalibus in omnibus scrutiniis, quae singulis diebus peragi debent mane post solitam Misssam; et Hymnum *Veni Creator Spiritus* cum oratione de Spiritu Sancto, et prima quidem die post Cardinalium sacram peractam Communionem; et post meridiem hora opportuna, pariter post Hymnum *Veni Creator Spiritus* et orationem de Spiritu Sancto (1).

« 78. Quod si electio aliter celebrata fuerit, quam *in scrutinio* per secreta schedularum suffragia duarum ex tribus partibus Cardinalium in Conclavi praesentium, electi suffragio non computato; vel per viam *compromissi* ab omnibus Cardinalibus similiter in Conclavi praesentibus, nemine dissentiente initi, et ita ut nemo seipsum elegerit; vel quasi per *inspirationem,* nullo praecedente de persona speciali tractatu, omnium pariter Cardinalium prae-

(1) Greg. XV Const., *Aeterni Patris*, § 17.

sentium in Conclavi communiter, nemine itidem dissentiente, per verbum « *eligo* » intelligibili voce prolatum aut scripto, si voce non potuerit expressum; nulla sit et invalida eo ipso absque ulla declaratione, et ita electo nullum ius tribuat » (1).

Caput VI. — *De iis, quae servanda vel vitanda sunt in electione Romani Pontificis.*

« 79. Simoniae crimen, tam divino quam humano iure detestabile, in electione Romani Pontificis omnino sicut reprobatum esse constat, ita et Nos reprobamus atque damnamus (2), huiusque criminis reos poena excommunicationis latae sententiae innodamus: sublata tamen irritatione electionis simoniacae, quam Deus avertat, a Iulio II (vel alio qualicumque decreto pontificio) statuta, ut praetextus amputetur impugnandi valorem electionis Romani Pontificis.

« 80. Item sub excommunicationis poena prohibemus ne quis, etiamsi Cardinalatus honore fulgeat, vivente Romano Pontifice et eo inconsulto, tractare de ipsius Successoris electione, aut aliquod suffragium polliceri, vel hac de causa privatis conventiculis factis aliquid deliberare et decernere praesumat (3).

« 81. Quae autem in memorata Nostra Constitutione « *Commissum Nobis* » de civili *Veto* seu *Exclusiva,* uti vocant, in electione Summi Pontificis ediximus et sanximus, hic omni ex parte atque integre renovantes, confirmata esse volumus. Quamobrem iterum in virtute sanctae obedientiae, sub interminatione divini iudicii et poena excommunicationis latae sententiae, omnes et singulos S. R. E. Cardinales, tam praesentes quam futuros, pariterque Secretarium S. Collegii Cardinalium aliosque omnes in Conclavi partem habentes, probibemus ne, quovis praetextu, a quavis civili potestate munus recipiant *Veto* sive *Exclusivam,* etiam sub forma simplicis desiderii, proponendi, ipsumve hoc *Veto,* qualibet ratione sibi cognitum, patefaciant sive universo Car-

---

(1) Greg. XV Const., *Aeterni Patris*, § 19.

(2) Iulii II Const. « *Cum tam divino* », xix Kal. Febr. 1505.

(3) Symmachus Papa in Synod. Rom. c. 2, D. 79; Pauli IV Const. « *Cum secundum Apostolum* » xvii Kal. Ianuar. 1558.

dinalium Collegio simul congregato sive singulis purpuratis Patribus, sive scripto, sive ore, sive directo ac proxime, sive oblique ac per alios, sive ante Conclave sive ipso perdurante. Quam prohibitionem extendi volumus ad omnes interventus, intercessiones aliosque modos quoslibet, quibus laicae potestates cuiuslibet gradus et ordinis voluerint sese in Pontificis electione immiscere.

« 82. Cardinales praeterea abstineant ab omnibus pactionibus, conventionibus, promissionibus aliisque quibuscumque obligationibus, quibus adstringi possint ad suffragium alicui vel aliquibus dandum vel non dandum; quae omnia et singula, si de facto intervenerint, etiam iuramento adiecto, nulla et irrita, neque ad eorum observantiam quemquam teneri decernimus, et contra facientes ex nunc excommunicationis poena innodamus. Tractatus tamen pro electione habendos, Sede vacante vetare non intelligimus (1).

« 83. Pariter interdicimus ne Cardinales antequam ad electionem deveniant, capitula conficiant, seu quaedam communi consensu statuant, ad quorum observantiam sese adstringant, si ad Pontificatum assumantur; quae item, si de facto intervenerint, etiam iuramento adiecto, nulla et irrita declaramus (2).

« 84. Iisdem denique, quibus Decessores Nostri, vocibus, S. R. E. Cardinales vehementer hortamur ut in eligendo Pontifice, nulla propensione animi vel aversione ducti, nullius inclinati gratia aut obsequio, non intercessione in saeculo potentium, non vi vel metu vel aura populari moti, sed unice Dei gloriam et Ecclesiae bonum prae oculis habentes, in eum sua vota conferant, quem universali Ecclesiae fructuose utiliterque gubernandae prae ceteris idoneum in Domino iudicaverint (3).

---

(1) Greg. X, cap. 3 « *Ubi periculum* » § 4 *de elect*, I, 6, in Sext.; Pii IV Const. « *In eligendis* », § 26; Greg. XV Const. « *Aeterni Patris* », § 18.

(2) Pii IV Const. « *In eligendis* » § 3; Greg. XV Const. « *Aeterni Patris* », § 18.

(3) Greg. X, cap. 3 « *Ubi periculum* » § 4, *de elect.* I, 6, in Sext.; Pii IV Const. « *In eligendis* » § 26; Greg. XV Const. « *Aeterni Patris* », § 23; Clem. XII Const. « *Apostolatus officium* », § 5; Pii IX Const. « *Licet per Apostolicas* », VI Idus Septembr. 1874; Leonis XIII Const. « *Praedecessores Nostris* »; Pii X Const. « *Commissum Nobis* ».

« 85. Cum vero fideles non tam humanae industriae subsidiis, etsi sollicitae, inniti debeant, quam in humilis devotaeque orationis instantia sperare, huic adiicimus sanctioni, ut in omnibus civitatibus, ceterisque locis saltem insignioribus, ubi primum de Pontificis obitu nuncium pervenerit, a Clero et populo, solemnibus pro eo exsequiis celebratis, singulis diebus (donec Romanae Ecclesiae de suo Pastore fuerit provisum) humiles assiduaeque preces fundantur ad Dominum, ut Ipse, qui concordiam facit in sublimibus suis, sic efficiat eorumdem Cardinalium corda in eligendo concordia, ut provisio celeris, unanimis et utilis (prout animarum salus exigit, et totius orbis requirit utilitas) ex ipsorum unanimitate sequatur. Et ne tam salubre praesentis sanctionis edictum, ignorantiae negligi praetextu contingat, praecipimus ut Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi et alii Ecclesiarum Praelati, ceterique quibus officium est enuntiare verbum Dei, Clerum et populum, propter hoc specialiter frequentius congregandos, in suis sermonibus ad supplicum precum suffragia pro celeri et felici exitu tanti negotii frequentanda solerter excitent, et ipsis eadem auctoritate non solum orationum frequentiam, sed observantiam (prout circumstantiae pensandae suaserint) ieiuniorum hortentur (1).

« 86. Electum vero haeredem et Successorem Nostrum rogamus, ne muneris arduitate deterritus ab eodem subeundo se retrahat, at potius divinae voluntatis consilio humiliter se subiiciat; nam Deus qui imponit onus, manum etiam Ipse supponet, ne ei ferendo sit impar; is enim qui oneris est auctor, Ipse est administrationis adiutor; et ne sub magnitudine gratiae succumbat infirmus, dabit virtutem qui contulit dignitatem » (2).

Caput VII. — *De acceptatione et proclamatione electionis, nec non de consecratione et coronatione novi Pontificis.*

« 87. Post electionem canonice factam consensus electi per Cardinalem Decanum nomine totius S. Collegii requiratur (3).

---

(1) Greg. X, cap. 3 « *Ubi periculum* », § 5, *de elect.* I, 6, in Sext.

(2) Leonis XIII, Const. « *Praedecessores Nostri* ».

(3) Caeremoniale Romanum lib. I, tit. I, *De Conclavi et Electione Papae*, § 34.

« 88. Hoc consensu praestito intra terminum, quatenus opus sit, prudenti arbitrio Cardinalium per maiorem votorum numerum determinandum, illico electus est verus Papa, atque actu plenam absolutamque iurisdictionem supra totum orbem acquirit et exercere potest. Hinc, si quis litteras super negotiis quibuscumque confectas, quae a Romano Pontifice ante coronationem suam emanaverint, audeat impugnare, excommunicationis sententia innodamus (1).

« 89. Deinde populo expectanti novus Romanus Pontifex a Priore Diaconorum publicatur (2).

« 90. Quod si electus nondum sit Presbyter vel Episcopus, a Decano Collegii Cardinalium ordinabitur et consecrabitur (3).

« 91. Tandem per Decanum Cardinalem Diaconum coronatur (4).

Haec igitur, tota rei causa graviter considerata, atque etiam Decessorum Nostrorum exemplis permoti, statuimus et praescribimus, decernentes praesentes has Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet in praemissis ius vel interesse habentes, vel habere praetendentes quomodolibet illis non consenserint, nec ad ea vocati sive auditi fuerint, aut ex quibuslibet aliis causis, impugnari minime posse, sed easdem semper ac perpetuo firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac iis ad quos spectat et pro tempore spectabit suffragari, et ab eis respective et inviolabiliter observari debere, ac irritum et inane, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

« Volumus etiam Nostras has Litteras legi coram omnibus in primis Congregationibus post obitum Pontificis haberi solitis, ut supra (n. 11, *a*); rursus post ingressum in Conclave, ut supra (n. 45); item cum quis ad purpurae honorem fuerit evectus, in-

---

(1) Clem. V, cap. 4, *De sent. excomm.*, V, 10 in Extravag. comm.

(2) Caeremoniale Rom., lib. I, tit. I, *De Conclavi et Electione Papae*, § 35.

(3) Caeremoniale Rom., lib. tit. II, *De ordin. et consecrat. novi Pontificis*, § 13.

(4) Caeremoniale Rom., lib. I, tit. II, *De ordin. et consecrat. novi Pontificis*, § 18.

terposito sacramento de religione retinendis iis, quae in praesenti Constitutione decreta sunt.

« Non obstantibus, quatenus opus sit, per Romanos Pontifices Praedecessores Nostros editis Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, quas omnes et singulas abrogatas, ut supra, declaramus, ceterisque etiam individua ac specialissima mentione et derogatione dignis contrariis quibuscumque.

« Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae constitutionis, ordinationis, abrogationis, mandati, innodationis, admonitionis, inhibitionis, praecepti, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

« Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo nongentesimo quarto, die vigesima quinta Decembris, Christo Iesu in terris nascenti sacra, Pontificatus Nostri anno secundo.

« PIUS PP. X ».

2. Constit. « Praedecessores Nostri » Leonis XIII.

« Praedecessores Nostri pro supremi Apostolatus officio sollicita cura et singulari studio continenter prospexerunt, ut Romanorum Pontificum electiones, a quibus pax, unitas et status Ecclesiae tantopere pendet, ordinatim et regulariter fierent; et plura pro temporum adiunctis, ut eae celeriter, libere et expedite ad exitum deducerentur, sapienter invenerunt et decreverunt. Haec autem sollicitudo et vigilans eorum cura praecipue enituit cum bellorum motus, aut perturbati rerum publicarum ordines suspicionem iniicerent, ne quae pro Romano Pontifice eligendo sacra comitia haberi deberent, vel per apertam vim libertate destituerentur, vel alia quavis ratione electio deturbaretur, aut distineretur, aut alia eidem expediendae impedimenta obiicerentur. Siquidem tunc consentaneum visum diiudicatum queest impendenti malo extraordinariis occurrere remediis, quae adiunctorum gravitas e re magis esse suaderet, ut pericula propulsarentur, quibus pax et unitas ipsa Ecclesiae in discrimen adducebatur. Huius vero peculiaris sollicitudinis monumenta praecipue

suppetunt Romani Pontifices, qui inde a superiore saeculo Ecclesiae clavum tenuere in tam misera rerum conversione ac perturbatione, qua haec praesertim Apostolica Sedes oppugnata est, tum hostilium copiarum irruptione, tum internarum seditionum motibus, tum etiam usurpatione civilis principatus, qui ad liberum et indipendens spirituale Ecclesiae regimen, Deo sic providente, constitutus fuit; quo tempore Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales aut Urbe expulsi, aut in diversa loca deportati sunt; ipsi autem Romani Pontifices impio ausu a propria sede abrepti, in exilium acti, aut etiam in carcerem detrusi ac detenti sunt. Ipsi enim quamvis tot tantisque iactarentur tempestatum fluctibus, nihil tamen antiquius habuere, quam, ut futuri Pontificis electionem in tuto ponerent, tum iis quae in eam rem Romanorum Pontificum Constitutionibus sancita aut consuetudinibus invecta fuerant opportune derogando, cum alia pro rerum adiunctis sapienter constituendo quibus electio celerius et facilius expediri absolvique posset.

« At vero ut pro sua aetate Praedecessores Nostri, ita Nos immo vero eo magis devinctos et obstrictos ipsi sentimus debito consulendi certae et expeditae Successoris Nostri electoni, quo saeviores perspicimus ingruere adversus Christi Ecclesiam tempestatum aestus et acriores hostium in dies experimur conatus et impetus adversus hanc Sanctam Sedem; quo magis sub deque omnia versa et perturbatos videmus publicos rerum ordines, ita ut anxius haereat animus et pavida mens incerta maneat quid demum futura tempora portendant. Quamvis itaque Dei promissionibus confisi, cuius in humilitate cordis Nostri nunquam desistimus implorare opem, certa fulciamur spe fore ut etiam in praesenti discrimine suo omnipotenti praesidio Ecclesiae Sponsae suae Ipse adsit; nihilominus perpendentes hinc caducum et labilem humanae vitae fluxum, inde autem multiplices obices qui aut electioni Nostri Successoris intercedere, aut eidem moram afferre queant, sive Nos supremum diem hic Romae claudere contingat in eadem in qua nunc versamur conditione, sub hostili dominatione constitutos et undique innumeris impeditos insidiis: sive tum Nobis, tum Sacro Cardinalium Collegio graviora adhuc experiri ac perpeti accidat: sive demum exilii iter arripere cogamur, ibique ex mortalis huius vitae aerumnis ad aeternam pacem

Nos vocare Deo libuerit; conveniens et necessarium iudicavimus ea constituere quae pro casuum varietate, quibus praevertere humano consilio licuit, in electione Nostri Successoris servari deberent. Inhaerentes itaque Praedecessorum Nostrorum vestigiis, implorato prius coelesti lumine et exquisito consilio peculiaris Congregationis Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, certa scientia et proprio motu de plenitudine Apostolicae potestatis haec quae sequuntur decernimus.

« Ius iamdiu firmatum et praescriptum eligendi Romanum Pontificem Successorem Nostrum ad Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales unice et privative pertinere declaramus et edicimus et, quatenus opus sit, hac Nostra Constitutione approbamus et confirmamus, excluso prorsus atque remoto quolibet cuiuspiam alterius Ecclesiasticae dignitatis, aut laicae potestatis cuiuslibet gradus et Ordinis interventu, quovis quaesito colore aut praetextu etiam supplendi munus et vices Cardinalium, casu quo iidem per orbem dispersi aut deportati aut alio quolibet obstaculo praepediantur comitia habere pro canonica Successoris Nostri electione. Quam in rem Constitutionem f. r. Pii IX Decessoris Nostri quae incipit « *Cum Romanis Pontificibus* » die 4 Decembris 1869 datam confirmamus et renovamus. Ut autem magis adhuc cautum sit, ne alienus quis electioni quamvis extrinsece tantum sese interponat et immisceat, nominatim derogamus Constitutionibus Gregorii X in Concilio Lugdunensi « *Ubi periculum* » Clementis V, in Concilio Viennensi « *Ne Romani* » et Pii IV « *In eligendis* » pro ea parte qua civilibus aut politicis magistratibus civitatis, in qua Romani Pontificis electio sit celebranda, vel etiam Praelatis, Rectoribus, Officialibus Urbis, Principum Oratoribus aliis quibusvis potestatem tribuunt, ut praescriptiones pro electione praefata faciant observari.

« Derogamus etiam iis regulis et praescriptionibus quae per Apostolicas Romanorum Pontificum Constitutiones, etiam in Generalibus Conciliis editas, aut alioquin speciali mentione dignas, praefinitae sunt circa electionis tempus et locum, circa Conclave eiusque clausuram aliasque minoris momenti res, ut sunt sollemnitates et caeremoniae quae adhiberi consueverunt, nominatim circa custodiam Conclavis, circa suppeditationem rerum ad victum aliosque vitae usus pertinentium, item circa personarum

quas in Conclave suscipi oporteat, qualitates et numerum, qui tamen consuetum non excedat, aliaque huiusmodi; quas utrum omnes vel aliquas servari aut missas fieri oporteat, quod maior pars congregatorum Cardinalium suffragium tulerit, ius erit. Maioris item partis congregatorum Cardinalium erit decernere utrum, nulla interiecta mora, et ante nonum a Nostro obitu diem electio celebrari, aut etiam si publicae rei status perturbatio, vel alia gravis causa intercedat, comitiorum tempus in longius protrahi oporteat; quo postremo in casu penes eosdem Cardinales erit pari modo potestas leges circa clausuram Conclavis aliasque praescriptiones, ut supra, moderandi aut etiam relaxandi. Qua ex re Cardinales omnes a iurisiurandi religione, qua supradictas Praedecessorum Nostrorum Constitutiones servare promittunt, absolvimus et absolutos fore declaramus, non solum in supradictis illarum praescriptionibus ad comitiorum tempus et locum atque ad Conclave eiusque clausuram spectantibus, verum etiam in aliis minoris momenti caeremoniis et sollemnitatibus, si quae harum observatio rei exitum retardare possit. In ceteris tamen quae celeri, quam summopere optamus, novi Pontificis electioni non officiant, maxime autem in rebus cum clausula electionem aliter factam irritante praescriptis, praeter ea scilicet quibus a Nobis derogatum est, Constitutiones ipsas observandas mandamus.

« Etsi vero amplam illam facultatem Collegio Cardinalium concesserimus, praesertim quoad tempus et locum electionis futuri Romani Pontificis, nihil tamen innovatum esse declaramus, sive quantum ad generalem canonum sanctionem, ne Sede vacante aliquid innovetur; sive quantum ad speciales Constitutiones quibus cautum est, ne in Collegium Cardinalium ea potestas et iurisdictio transeat, quae ad Pontificem dum viveret pertinebat; ne Collegium de iuribus Sedis Apostolicae Romanaeque Ecclesiae quomodolibet disponere valeat, neque in quopiam iuribus eiusdem sive directe detrahere attentet, sive indirecte per conniventiae speciem, seu per dissimulationem facinorum adversus ea iura perpetratorum, attentare videatur, immo omnium virium contentione eadem custodire et defendere debeat.

« Dum autem ad propositum finem expeditius assequendum, materialem Conclavis seu loci clausuram relaxari permittimus, obligationem tamen secreti servandi in iis omnibus, quae ad ele-

ctionem Romani Pontificis pertinent, et in iis quae in Conclavi, seu in loco electionis aguntur, haudquamquam relaxamus. Itaque eo modo et forma, ac sub poenis a Decessorum Nostrorum Constitutionibus indictis, praecipimus iterum et mandamus, ut secretum istud accuratissime servetur atque ab aliis servari curetur, et quidem eo cautius et arctius, quo gravior se prodit temporum difficultas.

« Quolibet item loco et quibusvis in adiunctis electionem celebrari contigerit, non aliter legitima et valida ea erit, quam si numerus Cardinalium, qui ad eam convenerint, dimidium Cardinalium, omnium pro tempore existentium, plus uno saltem, excedat; quem tamen numerum si deinceps minui accidat, sive quod aliquem ex Cardinalibus, qui ad comitia convenerint, mors praeveniat, aut morbus opprimat, sive alia qualibet ex causa, impedimento id minime esse debebit, quominus Cardinales reliqui incoeptum opus prosequi et electionem legitime et valide absolvere queant. Electum vero legitimum Beati Petri Successorem et Nostrum verumque Romanum Pontificem agnosci haberique decernimus in quem secretis per schedulas suffragiis duae ex tribus congregatorum Cardinalium partes in scrutinio, sive in scrutinio et accessu convenerint; sin autem per inspirationem vel per compromissum electio fiat, eadem per Cardinales, ut supra, congregatos, servata consueta forma canonica, perfici debebit.

« His universim praestitutis quae in Nostri Successoris electione, quovis loco et quibusvis in adiunctis eadem celebretur servari oporteat, necessarium duximus quaedam speciatim adiicere quae pro casuum qui occurrant varietate servari debeant. Mandamus itaque et decernimus, si Nos in hac Urbe Roma vita fungi accidat, ut Cardinales, qui tum praesentes in Curia erunt, vix dum Nos diem contigerit clausisse supremum, antequam vel ipsae exsequiae in suffragium animae Nostrae persolvantur (aliis Cardinalibus etiam de latere Legatis aut ex alia qualibet causa, etiam cum venia vel mandato Nostro absentibus, per praescriptum decem dierum spatium minime expectatis) huius Urbis, rerum ac temporum circumstantiis serio perpensis, deliberent an in eadem Urbe, vel extra eam comitia pro novo Pontifice eligendo haberi debeant. Ea autem deliberatio plenum effectum sortiatur in quam maior Cardinalium tunc praesentium pars consenserit. Quod si

Cardinalibus congregatis insuper visum fuerit, nulla interiecta mora, novi Pontificis electionem ad exitum adduci praesente, ut aiunt, cadavere, liberum erit, servatis quae servanda supra praecipimus, electionem novi Pontificis vel in primo ipso conventu perficere. Insuper, ut omnis amoveatur cunctationis et perturbationum occasio, quoad Pontificias exsequias praecipimus consuetum praetermitti apparatum a Constitutionibus et consuetudine invectum, easque a Cardinalibus peragi modesto ritu ac forma in Palatii Vaticani Cappella, si Nos extremum diem ibi claudere contigerit. Volumus tamen omnino et mandamus, si Cardinales comitia pro electione hic in Urbe aut alibi in Italia habenda esse duxerint, ut in casu cuiusvis iniuriae Conclavis loco vel personis illatae, quae maioris partis congregatorum Cardinalium iudicio electioni libertatem adimat, omne illico abrumpatur electionis incoeptum, comitia dissolvantur et ad tutiorem sedem transferantur extra Italiam. Demum animo perpendentes afflictum statum in quem res Sanctae Sedis adductae sunt hostilis dominationis causa, sub qua eiusdem civilis principatus et ipsa haec Urbs Roma constituta reperitur, ne vacationis tempore dignitas et rationes eiusdem Sanctae huius Sedis adhuc detrimenta ulterius capiant, et etiam ut Sacro Cardinalium Collegio certa suppetat via qua tricis et difficultatibus, quas casus ferat, sese expedire queat, peculiari Instructione, quam huic Constitutioni adiicimus, normam et regulam praefinire sategimus, ad cuius praescriptum se conformare, prout casus tulerit, Cardinales debeant.

« Cum autem ea sit temporum iniquitas, ut merito timendum sit, ne invalescens hostium nostrorum in dies oppressio et audacia, vel in deterius ruens rerum publicarum status, Nos ex hac Urbe exulatum abire cogat, vel etiam hinc abducamur vi, et extra Romanam Curiam exinde mors Nos praeveniat; decernimus atque mandamus, ut in hoc casu ex eo extra Curiam loco, ubi Nos omnipotens Deus ex hac vita migrare voluerit, Cardinalis quicumque adsit, aut si plures erunt, eorum dignior, nempe non qui creatione, sed iure ceteris anteit, aut, iis omnibus absentibus, Nuntius Apostolicus et, in eius defectu, loci Ordinarius, aut Praelatus, vel alius quispiam ecclesiastica dignitate insignitus, quam celeriter de Pontificis morte Cardinalem Sacri Collegii Decanum aliosque Cardinales, de quorum sede sit edoctus, certiores faciat, ut statim

ad comitia peragenda se praeparent. Cardinalis Decanus, vel ipso impedito, Cardinalis dignitate potior, vix dum huiusmodi nuncium acceperit, vel quovis alio modo Apostolicae Sedis vacationem certo exploratam habuerit, una cum tribus antiquioribus Cardinalibus ex uno quoque Ordine et cum Cardinali Sanctae Romanae Ecclesiae Camerario, si una simul erunt, vel, ipsis absentibus, cum aliis quibusvis Cardinalibus, vel demum ipse solus, si reliqui omnino absint, locum alicuius regionis, quaecumque demum ea sit, eligant, qui ad habenda comitia magis opportunus videbitur. Hinc nulla interiecta mora, idem Cardinalis Decanus, vel, ipso impedito, alius Cardinalis, ut supra, ceteris Cardinalibus vacationem Sedis Apostolicae significet, eosque ad novi Pontificis electionem advocet, ac de loco certiores faciat in quo illam peragi deliberatum fuit. Omnibus autem Cardinalibus in virtute sanctae obedientiae praecipimus et mandamus, ut, nisi legitimo impedimento detenti fuerint, indictionis litteris obtemperare, atque ad locum eisdem designatum pro perficienda Pontificis electione statim se conferre debeant. Ceterum in quemcumque locum Cardinales, ut supra convenerint, omnino legitima, canonica atque valida erit habenda novi Pontificis electio, dummodo ea impleta fuerint quae ad validam electionem efficiendam requiruntur, iis exceptis quibus Nos expresse derogavimus. Quae quidem omnia, proportione servata, etiam ad casum accommodari transferrique debebunt quo, quamvis Nos hic Romae accidat diem supremum obire, Sacro tamen Cardinalium Collegio, invalescente seditionum publicaeque perturbationis tumultu, hostium oppressione et insectationibus hac illac per orbem violenter disperso, comitia pro novi Pontificis electione Romae haberi nequeant.

« Quoniam vero Christus Beatum Petrum dispensatione mirabili in dominam gentium Romam direxit, qui ibi, sicut doctrinae virtute sublimis emicuit, ita sanguinis gloriosa effusione decoratus conquiescit (1), praecipimus et mandamus ut Cardinales in primo quem habituri fuerint generali conventu pro novi Pontificis electione iureiurando spondeant sese omne studium et omnem diligentiam collaturos ut Pontificia Sedes Romam restituatur, vix dum obices et impedimenta amota fuerint quae illam alio transferre coegerint.

(1) S. Gelasius I, ep. 14.

« Etsi autem in bonam spem erigamur fore, ut Successor Noster melioribus fruatur temporibus et in suprema hac Petri Cathedra diu sedeat, tamen ut contrario etiam provideamus eventui, motu item proprio ac de Apostolicae potestatis plenitudine omnia quae in hisce litteris sancita et constituta sunt pro comitiis prima post mortem Nostram vice futuris, extendimus, ac pari modo decernimus pro altera electione post successoris Nostri obitum perficienda, si nimirum, nulla de his nova lege edita, Successor Noster decesserit.

« Si quae vero dubia exoriantur circa sensum praescriptionum, quae hac Nostra Constitutione continentur, vel etiam utrum, aut qua ratione ad usum et praxim eadem deduci debeat, sive super quocumque alio Nostrae huius Constitutionis capite, edicimus et decernimus unice penes Sacrum Cardinalium Collegium potestatem esse super his ferre sententiam; quam in rem ipsis Cardinalibus plenam tribuimus facultatem, qua hanc Nostram Constitutionem interpretari ac dubia declarare valeant. Qua quidem in re, quemadmodum in reliquis, de quibus ad Nostrae huius Constitutionis tramites, excepto ipso electionis actu, deliberare contingat, satis omnino erit, si maior congregatorum Cardinalium pars, ut supra declaratum est, in eamdem sententiam consentiat. Mandamus autem ut hae Apostolicae Litterae voluntatis Nostrae testes quamprimum post mortem Nostram, et, si per adiuncta liceat, ipso etiam obitus Nostri die, in prima generali praesentium Cardinalium Congregatione e vestigio et extra ordinem indicenda, per integrum recitentur. Id autem impedimento minime erit quominus antea, si per tempus licuerit, nec aliae intercedant difficultates, earumdem lectio peragatur in Congregatione Capitum Ordinum, quum haec locum habebit.

« Nos interim Deo et Patri per Unigenitum Filium eius Iesum Christum redemptorem hominum animam Nostram commendantes, ut ex huius vitae aerumnis erectam in caelestem patriam suscipiat, Venerabiles Fratres Nostros Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, quibus, Nobis corpore solutis erit vita superstes, per viscera misericordiae Iesu Christi obsecramus et obtestamur, ut mutua animorum concordia et voluntatum conspiratione in hoc omnia sua studia, omnia consilia conferant, ne Petri Navis tot tantisque iactata fluctibus gubernatore diu careat. Cogitent animoque per-

pendant, vacante Apostolica Sede, tunc maxime nutare Ecclesiae statum; nam si gregi pastoris cura defuerit, facile laqueos insidiatoris occurrit (1). Cogitent Ecclesiae hostibus vix quidpiam optabilius et opportunius accidere posse, quam Romani Pontificis electionem in longius distrahi, aut etiam perturbari. Nam si Papa Urbis vocatur in dubium Episcopatus iam videbitur, non Episcopus vacillare (2). Iterum vero obsecramus et obtestamur Fratres Nostros Cardinales, ut nulla propensione animi vel aversione commoti, nullius inclinati gratia aut obsequio, non intercessione in saeculo potentium moti, sed unice Dei gloriam et Ecclesiae bonum prae oculis habentes ia eum sua vota conferant quem animi praestantia et religionis zelo eminere prospexerint, quique mysticae Navis fortiter sapienterque clavum regere et ingruentium hostium impetus frangere sit potens; alioquin sciant districtissimo Dei iudicio poenas laturos, si sua culpa et negligentia in tanto rerum discrimine et celeri et optima novi Pontificis electione afflicto Ecclesiae statui consulere neglexerint. Electum vero haeredem et Successorem Nostrum, cui toto cordis affectu precamur a Domino, ut locum nostrum felicius occupet, rogamus ne muneris arduitate deterritus ab eodem subeundo se retrahat, at potius divinae voluntatis consilio humiliter se subiiciat, nam Deus qui imponit onus, manum etiam Ipse supponet, ne ei ferendo sit impar; is enim qui oneris est auctor, Ipse est administrationis adiutor; et ne sub magnitudine gratiae succumbat infirmus, dabit virtutem qui contulit dignitatem (3).

« Haec igitur periculis nostrorum temporum totaque rei causa graviter considerata, ac etiam Decessorum Nostrorum Pii VI, Pii VII, Gregorii XVI et Pii IX exemplis permoti statuimus, praescribimus, indulgemus, decernentes praesentes Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet in praemissis ius vel interesse habentes, seu habere praetendentes quomodolibet illis non consenserint, nec ad ea vocati sive auditi fuerint, aut ex quibuslibet aliis causis, impugnari minime posse, sed easdem semper ac perpetuo firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque

(1) S. Gregorius M., Lib. I, Ep. 80.
(2) S Avitus Viennensis, Ep. 31 ad Symmachum.
(3) S. Leo Magnus, Serm. 2, de Natali eiusdem, N. 1.

plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac iis, ad quos spectat et pro tempore spectabit suffragari et ab eis respective et inviolabiliter observari debere, ac irritum et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, de iure quaesito non tollendo aliisque Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, itemque tam per Alexandrum III, Gregorium X, Clementem V, Pium IV, Gregorium XV, Clementem XII, aliosque Romanos Pontifices Praedecessores Nostros, quam etiam per Nos de Romani Pontificis electione editis Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, quarum tenores praesentibus, tamquam plene et sufficienter ac de verbo ad verbum insertos habentes, iisdem omnibus et singulis ad praemissorum dumtaxat effectum illis quoad reliqua in iis contenta in suo valore permansuris, latissime et plenissime derogamus, ceterisque etiam individua ac specialissima mentione et derogatione dignis contrariis quibuscumque. Volumus insuper ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii Apostolici subscriptis et sigillo munitis personae in ecclesiastica dignitate constitutae eadem prorsus fides habeatur quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae permissionis, dispensationis, facultatis, ordinationis, decreti, mandati, voluntatis, derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

« Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae 1882, die 24 Maii Pontificatus Nostri Anno quinto.

« LEO PP. XIII ».

3. **Instructio Constitutioni Leonis XIII adiecta.** Versionem latinam huius Instructionis, vulgo *Regolamento*, referendam ducimus lectorum utilitatis gratia.

« 1. Vacante Apostolica Sede, Sacrum Cardinalium Collegium eodem modo se gerat quo se exhibuit eo ipso die quum Roma occupata est. Quapropter *a*) Cardinales sive singillatim, sive collective ab omni communicatione cum quavis civili auctoritate abstineant: *b*) privato more se vestiant et incedant, veluti

huc usque ab iis servatum est: *c*) sacra munera, quae eorum dignitatis sunt, haud publice obeant.

« 2. Sacri Palatii Apostolici Praefectus Cardinalem S. R. E. Camerarium opportune moneat ut ipse se ad Vaticanas Aedes conferat.

« 3. Cardinalis Camerarius, statim ac ab eodem Sacri Palatii Apostolici Praefecto nuncium de Pontificis obitu acceperit, eo pergit ut summi imperii actu ipsius Palatii possessionem capiat, illudque nunquam derelinquat, ibique omnes officii sui partes expleat.

« 4. Cum Cardinalis Camerarius unica auctoritas sit quae legitime obitum Pontificis cognoscere possit, de obitu ipso authenticam attestationem exarabit.

« 5. Sigilla aedibus privatis defuncti Pontificis unice a Cardinali Camerario apponentur, idque ad servanda iura tum Sanctae Sedis, quum cuiuslibet privati hominis. Quaevis huius praecepti violatio haberi debebit tamquam vis contra S. Collegii libertatem et summam Sanctae Romanae Ecclesiae potestatem illata.

« 6. Idem Cardinalis Camerarius mortem Pontificis Cardinali Vicario significabit, ut hic de re Populum Romanum edoceat publico edicto, quo ipsemet Cardinalis Vicarius enunciabit rem sibi a legitima auctoritate fuisse communicatam, scilicet a Cardinali S. R. E. Camerario, et iusta funebria in Basilica Vaticana esse persolvenda a Capitulo S. Petri.

« 7. Pariter opportune Sacri Palatii Apostolici Praefectus moneat Sacri Collegii Cardinalem Decanum, qui collegas ad Vaticanas Aedes advocet.

« 8. Cardinalis Decanus in hoc advocationis nuncio, quod ex Aedibus Vaticanis expresse dabitur, Sacro Collegio significabit ut accedant iuxta praescripta articuli primi harum regularum.

« 9. Statim ac Sancta Sedes vacaverit, illico Apostolici Palatii portae claudantur. Nemo ingredi poterit nisi ex venia Cardinalis Camerarii. Verum novendialibus peractis, exterior accessus ad Musaea et Bibliothecam iterum pateat, ut omnes ea loca visitare possint, veluti huc usque factum est: claudatur tamen si S. Sedis hostes hac concessione uti velint tamquam praetextu quo sibi aperiant aditum in alias Aedium Vaticanarum partes.

« 10. Si quis ad Vaticanarum Aedium portas armatus ipse aut cum manu hominum armis instructorum accedat eo consilio ut S. Palatium invadat, portae non aperiantur, sed potius sinatur ut ab invasore evertantur.

« 11. Si contigerit ut aliquis a Gubernio aut a Municipio missus ad S. Palatium accedat, satelles, qui tunc in statione erit, petet ab eo quisnam sit et qua de causa venerit: responsio autem accepta ad Cardinalem Camerarium deferetur, qui pro temporis adiunctis rem aget.

« 12. Si aliqua auctoritas vel politica vel civilis expetiverit loqui cum Cardinali Decano aut Cardinali Camerario, is petenti satisfaciet. Verum in loco iam antea ad rem expresse constituto personam illam excipiat: locus tamen distinctus erit a ceteris Cardinalium habitationibus, neque ulla Apostolici Palatii in parte situs, ubi excipere solet ceteros omnes, quibus quolibet titulo ius competit ut ad eius praesentiam admittantur. Ad praedictum locum exteriori Musaeorum via accedetur. At Camerarius aut quivis alius eum excipere recusabit, qui forte declarasset se eo consilio velle in Apostolicum Palatium ingredi ut summae potestatis et imperii actus ederet, aut Vaticanarum Aedium quavis parte potiretur aut quolibet modo Sanctae Sedis iura violaret.

« 13. Si forte contingat ut italicum Gubernium opem et auxilium suum Sacro Collegio offerat, distinguendum est an haec auxilii oblatio scriptis vel potius ore fiat, scilicet accessione cuiusdam legati ab eodem Gubernio missi, ad Cardinalem Decanum aut ad Cardinalem Camerarium.

« In priori casu, Cardinalis Decanus nihil respondebit praedictae communicationi, sed diplomaticum Coetum Legatorum, qui apud Apostolicam Sedem sunt, litteris opportune datis exorabit ut Gubernio Romam nunc occupanti nunciet *a*) S. Collegium, iuramentorum, quibus adstrictum est, memor nullam mutationem inducere posse illi rerum conditioni, quam defunctus Pontifex reliquit atque ipsum S. Collegium integram Successori eius transmittere. *b*) Itaque nullam communionem S. Collegium cum Gubernio habere posse, quocum defunctus Pontifex minime communicabat. *c*) Ceterum in iis. quae spectant interiorem S. Palatii partem, nullum auxilium requiri in iis vero, quae ad tranquillitatem exteriorem pertinent, quoniam S. Collegium Urbem non regit, nihil respondere posse.

« In altero casu autem, si quis ab italico Gubernio missus peteret loqui cum Cardinali Camerario aut cum Cardinali Decano, hic eodem modo excipiet eum ac supra ostensum est ad articulum 12 atque oblata occasione utetur ut easdem declarationes et protestationes edat, de quibus supra in priori casu dictum est, ubi dirigendae essent protestationis litterae ad Coetum Diplomaticum.

« In quolibet casu vero nulli alteri e S. Collegii Membris has visitationes et communicationes licebit excipere nomine eorum qui nunc gubernant, sed eas deferat ad Cardinales Ordinis Capita aut ad Cardinalem Camerarium: idque eo consilio fiat ut in illis difficilibus rerum adiunctis integra servetur unitas auctoritatis, actionis et directionis.

« 14. Si foris violentiae actus fiant ea mente ut perturbationes excitentur atque hinc praetextus sumantur in S. Palatium penetrandi, S. Collegium necessarias cautiones adhibebit, ac de re Diplomaticum Coetum certiorem faciet, ut tranquillitas componatur et Cardinalibus restituatur libertas.

« 15. Si quis conetur Bibliotheca potiri, Musaeis, Archivis aut qualibet alia S. Palatii parte, claudantur portae, sinatur ut evertantur ac, debita protestatione a Cardinali Camerario emissa, solemnibus litteris de re Diplomaticus Coetus certior fiat.

« 16. Debitae protestationes pariter edantur si quis conetur armis exuere S. Palatii excubias, atque earum loco italicos milites ponere.

« 17. Omnes Congregationes tum particulares Capitum Ordinis, quum generales totius S. Collegii, haberi debebunt in Palatio Vaticano.

« 18. Cardinales in coetum collecti ut primam Congregationem habeant, opportune consulant Conclavi celebrando.

« 19. S. Collegium, attentis locis quae in promptu fuerint, expensisque adhibitis quo minori mensura possibile erit, de Conclavistarum admissione deliberabit, ac simul de numero Caeremoniarum magistrorum, famulorum aliorumque qui ad Conclave admitti solent.

« 20. Quum constituta iuramenta S. Collegium praestiturum erit, tunc ipsum omnes protestationes iterabit a defuncto Pontifice pro iuribus, legibus et bonis S. Sedis et Ecclesiae tuendis

editas, quin tamen omittat de re diplomaticum Coetum certiorem facere.

« 21. Pontificis mors tum Pontificiis Legatis, quum Cardinalibus, qui Romae non adfuerint quando ipse Pontifex obiit, subito nunciabitur telegrammate, quo, post significatam mortem, adiicientur haec verba: « *reliqua per epistolas* ». Prima Congregatione habita, idem nuncium iterum dabitur per commendatas litteras, sigillisque munitas, ut iisdem locus et tempus significentur, quibus Conclave habebitur.

« 22. In prima Congregatione, quam Ordinis Capita cum Cardinali Camerario habebunt, omnes communicationes ex more ad Gubernia mittentur, idest mittentur ad omnia Gubernia, etiam ad ea quibuscum S. Sedis diplomaticas communicationes forte non habeat, etsi hae communicationes vel nunquam intercesserint vel interruptae fuerint, dummodo haec Gubernia recognita iam sint a Summo Pontifice defuncto. Hac via et ratione impedietur quominus nuncium ab Apostolica Sede iis omnibus Principibus detur, quo ipsa nunc haud rite cognoscit.

« 23. Cum nihil a S. Collegio (veluti supra ad articulum *primum* harum Instructionum constitutum fuit) vacante Apostolica Sede innovandum sit in ea rerum conditione, quam Pontifex moriens reliquit, nullo modo eorum Statuum legatos ei excipere fas erit, qui diplomaticas relationes cum Apostolica Sede disruperint etsi hi Status excipi ultro petant.

« 24. Defuncti Pontificis corpus pontificalibus vestibus, quo citius fieri potest, induatur, ac privatim scala interiori ad S. Petri Basilicam deferatur in SSmi Sacramenti sacellum. Ibi, absolutione data, exponetur, quatuor e Pontificia Militum Nobilium cohorte cadaver custodientibus, cancelloque clauso.

« 25. S. Collegium, nisi aliter pontificiis singularibus placitis circa sepulcri locum et sepeliendi morem fuerit constitutum, rem aget iuxta opportunas normas et consuetudines, quae semper in vigore fuerunt, quantum temporum permittant. Tumulatio praesentibus Cardinalibus fiet, clausis ianuis.

« 26. Praeter exsequias, quae publice in Basilica S. Petri peragentur, alias privatim Cardinales persolvent in Syxtino Sacello, Praelatorum conventu eorumque qui iure ad Sacella Pontificia et Cardinalitia invitandi sunt.

« 27. Acta, vacante Apostolica Sede, exaranda unus e Clericis Camerae (qui tunc etiam Protonotarii Apostolici munere fungetur) et Notarius Camerae Apostolicae simul scriptis consignent.

« 28. Cardinalis Camerarii erit eas omnes innovationes inducere, quae pro re nata necessariae fuerint, ut congruenter apteque nonnullas administrationis partes custodire ac tueri possit, quae iam singulis Camerae Praelatis concredi solent.

« 29. Pariter Cardinali Camerario curae erit ut victus Cardinalibus provideatur et ministretur in ipsis Vaticanis Aedibus.

« Idem Cardinalis invigilabit ne in hac et omni alia occasione, quae communicationes cum personis ad Conclave non pertinentibus spectet, ullo unquam modo sanctiones rigidissimae frangantur quae constitutae fuerunt ne quis a Conclavi cum externis communicet.

« 30. Quod si in prima Congregatione Generali S. Collegium constituerit Conclave extra Italiam celebrare, id Cardinalibus, qui in Curia non adsint, subito nuncietur.

« 31. In eodem nuncio certus locus, et tempus, quo simul conveniant, significetur.

« 32. Pariter Cardinales Ordinis Capita rem Diplomatico Coetui nuncient, eumque invitent ut sequatur S. Collegium in locum pergens, quem ipsum S. Collegium elegerit: quo cum pervenerit, eas rationes et consilia in agendo adhibebit, quas magis idoneas utilioresque reputaverit ».

4. Potestas in specie S. Collegii Cardinalium iuxta ius hodiernum. — Principia quae moderantur potestatem sacri Collegii Cardinalium, Sede Apostolica vacante, sunt haec:

« 1° Sedis Apostolicae vacatione durante, S. Collegium Cardinalium in iis, quae ad Pontificem Maximum dum viveret, pertinebant, nullam omnino potestatem aut iurisdictionem habeat, neque gratiam, neque iustitiam faciendi, aut factam per Pontificem mortuum executioni demandandi; sed ea omnia futuro Pontifici reservare teneatur. Itaque irritum et inane esse decernimus quidquid potestatis aut iurisdictionis ad Romanum, dum vivit, Pontificem pertinentis (nisi quatenus in hac Nostra Constitutione expresse permittatur) coetus ipse Cardinalium duxerit (eadem vacante Ecclesia) exercendum.

« 2° Item praecipimus, ne S. Cardinalium Collegium de iuribus Sedis Apostolicae Romaeque Ecclesiae quomodolibet disponere valeat, neque in quopiam iuribus eiusdem sive directe detrahere attentet, sive indirecte per conniventiae speciem, seu per dissimulationem facinorum adversus eadem iura, etiam post obitum Pontificis seu vacationis tempore, perpetratorum, attentare videatur; imo volumus ut omnium virium contentione eadem custodire et defendere debeat.

« 3° Leges a Romanis Pontificibus latae, per coetum Cardinalium Romanae Ecclesiae, ipsa vacante, corrigi vel immutari nullo modo possunt, nec quicquam eis detrahi sive addi, vel dispensari quomodolibet circa ipsas seu aliquam earum partem. Quod potissimum valet de Constitutionibus pontificiis, ad ordinandum negotium electionis Romani Pontificis latis.

« 4° Si quae tamen dubia exoriantur circa sensum praescriptionum, quae hac Nostra Constitutione continentur, vel etiam circa rationem, iuxta quam ad usum ea traduci debeat, sive super quovis alio Nostrae huius Constitutionis capite, edicimus ac decernimus unice penes Sacrum Cardinalium Collegium potestatem esse super his ferendi sententiam; quam in rem eidem S. Cardinalium Collegio plenam tribuimus facultatem, qua hanc Nostram Constitutionem interpretari ac dubia declarare valeat. Qua quidem in re, quemadmodum in reliquis, de quibus ad Nostrae huius Constitutionis tramites, excepto ipso electionis actu, deliberari contingat, satis omnino erit si maior congregatorum Cardinalium pars in eamdem sententiam consentiat.

« 5° Pariter in casu urgentis negotii, quod ex voto maioris congregatorum Cardinalium partis, in aliud tempus differri non valeat, S. Collegium, item iuxta maioris partis sententiam, de opportuno remedio disponere potest et debet ».

Ex citata Pii X Constitutione sequitur, Sacrum Collegium Cardinalium

a) nullam potestatem aut iurisdictionem habere in iis quae ad Romanum Pontificem, dum viveret, pertinebant;

b) nulla facultate frui gratiam aut iustitiam faciendi, vel factam per defunctum Pontificem ad executionem demandandi;

c) nullo modo disponere posse de iuribus Apostolicae ac Romanae Ecclesiae, neque ullo pacto iisdem iuribus sive directe

per renuntiationem sive indirecte per conniventiam seu dissimulationem detrahere valere;

d) leges pontificias corrigere vel immutare minime posse, nec quidquam eis detrahere, aut addere vel dispensare, potissimum relate ad pontificias Constitutiones, quae Romani Pontificis respiciunt electionem;

e) dubia quaelibet dirimere valere circa genuinum sensum praescriptionum, quae Constit. « *Vacante Sede Apostolica* » continentur, vel etiam circa rationem, iuxta quam eaedem ad usum traducantur oporteat, aut super quovis alio capite praedictae Constitutionis; quo in casu, maior congregatorum Cardinalium pars requiritur ac sufficit pro sententia ferenda;

f) si de urgenti agatur negotio, quod, ex voto maioris Cardinalium partis, in aliud tempus differri nequeat, S. Collegium, item iuxta maioris partis suffragia, de opportuno remedio disponere posse ac debere.

CAPUT III.

De potestate SS. Congregationum.

ARTICULUS I.

De potestate SS. Congregationum in genere.

Bibliographia: Bouix, op. cit., p. 129; De Luca, *Relatio Romanae Curiae;* Fagnanus, in cap. *Cum olim, de maiorit. et obed., n. 63 ss.;* Ferraris, op. cit., v. *Cardinales,* art. 5; Lega, *De iudiciis,* lib. I, vol. II, p. 345; Santi, *in tit. de officio iudicis ordinarii,* n. 50 ss.; Wernz, op. cit., to. II., part. II, n. 654.

Summarium: 1. Principia iuris. — 2. Doctrina canonica.

1. **Principia iuris**. — Summis saltem labiis attingere praestat num auctoritas SS. Congregationum veluti *ordinaria* censeri debeat, vel potius tamquam mere *delegata.* Siquidem inter unam et aliam maximum adest discrimen, ac diversi plane inde exoriuntur iuridici effectus.

Ordinaria ea dicitur iurisdictio quae suapte natura alicui officio vel dignitati est adnexa, ita ut ea quis fruatur iure proprio, nimirum vi officii aut dignitatis qua pollet.

Delegata illa nuncupatur, qua quis gaudet ex commissione alterius, cuius vices gerit, minime vero iure proprio seu vi muneris. Omnibus porro compertissimum est, delegatam iurisdictionem *per se* cessare, vita functo Superiore concedente; e converso iurisdictio ordinaria, qua talis, minime extinguitur per mortem concedentis. Id enim tralatii iuris est penes universos Auctores. Siquidem iurisdictio ordinaria adnexa censetur dignitati vel officio; ex quo fit ut semper integra perseveret, quamdiu dignitas vel officium non cesset aut extinguatur. Delegata contra adhaerere censetur personae in cuius favorem tribuitur, et quidem ad nutum aliquo modo ipsius concedentis; ita ut, persona e vivis erepta, *per se* haec iurisdictio prorsus expiret. Diximus consulto *per se*. Etenim non semper id contingit, ut cuique videre fas est apud Canonistas.

Hisce breviter praelibatis, dicimus SS. Congregationum potestatem per se extingui, obitu adveniente Romani Pontificis, si delegata sit; minime vero cessare, si ordinaria censeatur. Atqui neminem latet iurisdictionem Congregationum ordinariam esse, exceptis excipiendis. Igitur, Sede Apostolica vacante, nullo pacto extinguitur earundem potestas.

2. **Doctrina canonica.** — Auctores uno labio docent SS. Congregationum auctoritatem per obitum Summi Pontificis nullatenus expirare.

Fagnanus (1) scribit: « Successive quaero an iurisdictio Congregationum S. R. E. Cardinalium expiret vel sit suspensa, Apostolica Sede vacante. Hodie 8 Sept. 1644, Romana Ecclesia vacante per obitum s. m. Urbani VIII de hoc dubio consultus fui a S. Collegio Cardinalium... Respondi iurisdictionem Congregationum per obitum Papae non expirare; debere tamen conquiescere ipsis Cardinalibus in Conclavi manentibus quoad illa negotia et causas quae in ipsis Congregationibus expediuntur per subscriptionem Cardinalis Praefecti seu habentis sigillum. Alia vero quae ex communi forma a Secretario expediri solent vivente Pontifice, posse ibidem expediri Sede vacante. Quoad primam partem responsi... motus fui *quia illarum iurisdictio est ordinaria* ».

---

(1) In cap. *Cum olim, De maiorit. et obed.*, n. 63 seq.

Ferraris (1) docet: « Congregationum Cardinalium facultates sunt perpetuae, et non expirant per obitum Papae, sed etiam durant in tempus Pontificum successorum. Habent enim iurisdictionem ordinariam ».

Wernz (2) affirmat: « Quae potestas SS. Congregationum ex communiter contingentibus vere et proprie est ordinaria nec delegata dici potest... neque extinguitur per mortem Romani Pontificis ».

Ita passim Canonistae, quin diutius immoremur in eorumdem verbis allegandis.

Quae canonica doctrina satis superque confirmatur Constitutione « *Immensa* » Sixti V. Factum ipsum id plane confirmat. Etenim, novo Pontifice creato, facultates Congregationum nunquam renovari consueverunt; quod manifesto ostendit facultates non expirare; alioquin nova concessio foret elargienda; nam iurisdictio semel extincta, etiam extinctionis causa cessante, minime reviviscit.

ARTICULUS II.

De potestate SS. Congregationum in specie.

Bibliographia: Bouix, l. c.; De Angelis, in tit. *de officio iud. ordin.* n. 10 ss.; De Luca, l. c., disc. 3.; Fagnanus, l. c., n. 63; Ferraris, l. c., art. 5, n. 43; Lega, l. c., p. 345; Santi, l. c.; Wernz, l. c.

Summarium: 1. Ius antiquum. — 2. Ius novum.

1. **Ius antiquum.** — Licet SS. Congregationum iurisdictio per obitum Pontificis, cum ordinaria sit, nullo pacto extinguatur, auctores nihilominus docent eam conquiscere oportere, Cardinalibus in Conclavi manentibus, quoad negotia causasque maioris momenti. Huiusmodi porro causae et negotia maioris momenti ea recensentur, quae in Congregatione expediri solent per subscriptionem Cardinalis Praefecti seu habentis sigillum.

Fagnanus declarat, « iurisdictionem Congregationum per obitum Papae non expirare; debere tamen conquiscere... quoad illa negotia et causas quae in ipsis Congregationibus expediuntur per subscriptionem Cardinalis Praefecti » (3).

(1) Cfr. *Cardinales*, art. 5, n. 43.
(2) To. II, part. II, n. 654.
(3) l. c.

« Item Bouix scribit: Suspendi in Congregationibus debet expeditio negotiorum quae Cardinalis Praefecti subscriptionem requirunt... » (1).

Clariss. Lega pariter docet: « Cardinales vero suam obtinentes ordinariam iurisdictionem, in Conclavi manentes prohibentur quominus eam exerceant » (2).

Negotia autem quae in forma communi a solo Secretario agi solent, etiam Sede vacante expediri procul dubio possunt.

Imo ipsa quoque negotia et causae quae suapte natura maioris momenti videntur, possunt valide liciteque expediri *si causa iusta id postulet.* Hoc enim bonum Ecclesiae manifesto suadet.

« Tempore vacantis Sedis Apostolicae ordinarie quiescit (SS. Congregationum potestas) et in casibus extraordinariis etiam licite exerceri potest » (3).

2. **Ius novum.** — Pius X in cit. Constitutione ita facultates SS. Congregationum Sede Apostolica vacante perspicue determinat:

« Circa facultates sacrarum Romanarum Congregationum, Sede vacante, hae, quae sequuntur, normae ab omnibus servandae sunt, non obstantibus privilegiis quibusvis.

« Sacrae Congregationes, eadem Sede vacante, nullam potestatem habent in iis, quae Sede plena facere et expedire non possunt nisi *facto verbo cum SS.mo* vel *ex audientia SS.mi* vel *vigore specialium et extraordinariarum facultatum,* quae a Romano Pontifice earumdem Congregationum Praefectis vel Secretariis concedi solent.

« Facultates vero quae ipsis per Litteras Apostolicas attributae sunt; et proinde tamquam ordinariae atque ipsarum Congregationum propriae censentur, eae morte Romani Pontificis non extinguuntur.

« Volumus tamen ut his facultatibus ordinariis Sacrae Congregationes solummodo in iis gratiis concedendis, quae minoris momenti sunt, libere, pro rei opportunitate, utantur. In iis vero expediendis definiendisque negotiis, quae graviora vel controversa esse videntur, illud statuimus, ut, si res talis sit, quae in

(1) op. cit., p. 129.

(2) op. cit., lib. I, vol. II, p. 345.

(3) Wernz, l. c., n. 654; cfr. Card. De Luca, *Relat. Romanae Curiae,* disc. 3.

aliud tempus differri valeat, futuro Pontifici reservetur omnino; sin autem nullam admittat moram, tunc S. Collegio concedimus ut committere possit negotium Praefecto et aliquot aliis Cardinalibus eius Congregationis ad quam Pontifex illud examinandum verisimiliter commisisset, qui, negotio accurate discusso, ea desuper decernere possint, per modum tamen provisionis, donec eligatur Pontifex, quae, iuxta datam sibi a Domino prudentiam, iuribus et rationibus ecclesiasticis custodiendis ac tuendis apta et consentanea censuerint ».

Regulae igitur quae, iure novo inspecto, facultates SS. Congregationum tempore vacationis moderantur, hae sunt:

1° Sacrae Romanae Congregationes, Sede Apostolica vacante, nullam potestatem habent in iis, quae, Sede plena, facere ac expedire nequeunt, nisi *a*) *facto verbo cum SS.mo,* vel *b*) *ex audientia SS.mi,* vel *c*) *vigore specialium et extraordinariarum facultatum,* Praefectis aut Secretariis earumdem Congregationum a Pontifice Summo tributis. Quaenam porro censeantur huiusmodi facultates peculiares, et quaenam sint quae expediri nequeant nisi facto verbo cum SS.mo vel ex eiusdem audientia, positive determinare nobis minime licet, cum ex una parte series facultatum singularum Congregationum foret examinanda, et ex alia parte singuli casus practici essent inspiciendi, ut clara in hac re posset responsio afferri.

2° Facultates quae sacris Congregationibus per Apostolicas Litteras tributae fuerunt, quaeque veluti *ordinariae* ac *propriae* censentur, obitu Pontificis nullimode expirant.

3° Attamen relate quoque ad has ordinarias facultates, restrictio quaedam inducta fuit, quatenus nimirum praedictis facultatibus Sacrae Congregationes nonnisi in iis gratiis concedendis uti valent, quae *minoris momenti* sunt. In negotiis vero expediendis ac definiendis quae *graviora* sunt aut *controversa,* haec regula servari oportet, scilicet:

a) si de negotio agatur, quod in aliud tempus commode differri possit, illud futuro Pontifici est reservandum;

b) si agatur de negotio, quod nullam patiatur moram, seu si necessitas urgeat, Collegium Cardinalium potest illud examinandum committere Praefecto et aliquot aliis Cardinalibus illius Congregationis, ad quam Pontifex ipse illud verisimiliter com-

misisset, ut, collatis consiliis ac re mature perpensa, quid sit faciendum decernatur;

c) sententia vero seu decisio a praedictis Cardinalibus lata valorem *provisionis* dumtaxat habet, donec nempe Summus Pontifex eligatur. Qua de causa nec est nec dici potest *definitiva*, cum eiusdem confirmatio aut forte reprobatio uni Pontifici futuro reservetur.

CAPUT IV.

De Tribunalibus S. Sedis

ARTICULUS I.

De Sacra Poenitentiaria.

Bibliographia: Corradus Ph., *Praxis dispensationum apostolicarum... praxim quoque S. Poenitentiariae Urbis iuxta illius ordinationem novi status complectens*, Venetiis 1669; Gomez, *Tractatus de potestate Poenitentiariae*, Venetiis 1557; Petra Vincentius, *Tractatus de Poenitentiaria Apostolica*, Romae 1717.

Summarium: 1. Ius antiquum. — 2. Ius novum.

1. **Ius antiquum.** — Pius IV Bulla « *In eligendis* » § 9 de sacro Tribunali Poenitentiariae, Sede apostolica vacante, ea quae sequuntur, decernit:

« Camerarii quoque et *Maioris Poenitentiarii* officia, quae etiam Sede vacante durante ita durare decernimus, et declaramus, ut non solum ea, quae praesenti Constitutione prohibentur, et quae Pontifice vivente exercere non consueverunt, seu a quibus pro eiusdem Pontificis reverentia, aut alias quomodolibet abstinebant, minime usurpent... Poenitentiarius vero et eius officiales ea tantum facere, et expedire valeat, quae ad forum conscientiae pertinent, in reliquis officium eorum conquiescat; itaque a quibuscumque matrimonialibus et aliis dispensationibus, ac absolutionibus et declarationibus, nec non quibusvis aliis expeditionibus forum (quod aiunt) fori, mixtim, vel separatim quomodolibet respicientibus, omnino abstineant: alioquin in quibus... Poenitentiarius et alii praedicti etiam de licentia aut mandato totius Collegii contrafecerint, ea nulla et irrita sint, ac nemini

suffragentur. Et nihilominus eorum excessus, et inobedientiae rationem Pontificis arbitrio quandocumque reddere teneantur » (§§ 9-10). Idipsum statuit Clemens XII Constit. « *Apostolatus officium* », § 15.

1° In primis igitur, Sede Apostolica vacante, potestas Poenitentiariae minimé extinguitur, sed coarctatur dumtaxat.

2° Ita quidem coarctatur, ut nonnisi ea fieri ac expediri possint, quae forum conscientiae respiciunt.

3° Qua de causa Poenitentiaria prohibetur dispensationes matrimoniales aut alias cuiusvis generis tribuere, nec non absolutiones elargiri et declarationes, quascumque nimirum expeditiones agere in ordine ad forum externum, sive mixtum sive separatum.

4° Quaelibet autem dispensatio aut absolutio vel expeditio aliter facta, etiam de licentia vel mandato Collegii, tamquam nulla ac irrita censeri debet.

Ut quae modo exposuimus recte intelligantur, animadvertere praestat, anteactis temporibus, Poenitentiariam peculiari potestate praeditam fuisse etiam in iis quae forum externum attingunt. Pius X vero Constitutione sua « *Sapienti consilio* » hanc potestatem penitus sublatam declaravit eamque ad forum dumtaxat conscientiae, sive sacramentale sive non sacramentale, coarctavit (1).

2. **Ius novum.** — De sacra Poenitentiaria ita paucis verbis loquitur Constit. « *Vacante Sede Apostolica* » : « S. R. E. Camerarii et *Poenitentiarii Maioris* officia non cessant per obitum Pontificis... Poenitentiarius Maior eiusque officiales, Sede vacante, ea facere et expedire valeant quae a fel. rec. Benedicto XIV constituta ac definita sunt (2).

Summopere hinc iuvat singula exponere quae in citata Benedicti XIV Constitutione recensentur, ut clare inde dignoscatur quae et quanta sit potestas Sacrae Poenitentiariae, vacatione Sedis Apostolicae adveniente.

En verba Constit. « *Pastor bonus* » Benedicti XIV:

« Sede Apostolica vacante, quoniam Animarum saluti, quae omni tempore periclitatur, nunquam non est subveniendum, unde

---

(1) Cfr. *De Curia Romana*, vol. I, p. 356 ss.

(2) Constit. *Pastor bonus*, Idibus Aprilis 1744, §§ 51-55. Cap. III, n. 12, 16.

merito Praedecessóres Nostri officium Poenitentiariae etiam post obitum Pontificis continuare iusserunt; volumus et decernimus, ut maior Poenitentiarius (cuius facultas dicto tempore non expirat, sed tantummodo non habet exercitium extra Conclave), seu eius officiales, facere et expedire valeant quaecumque ad forum conscientiae pertinent. Ideo absolvere seu absolvi mandare in dicto conscientiae foro valeant ab iis quoque censuris, a quibus alias vivente Pontifice adempta etiam Maiori Poenitentiario, et Poenitentiariae Officio, absolvendi facultas reperitur: Hac tamen lege (quemadmodum fel. record. Praedecessor Noster Clemens Papa XII, lata Constitutione, quae incipit *Apostolatus officium*, ad consulendum simul animarum fidelium saluti, et disciplinae ecclesiasticae conservationi, provide cavit), quod nempe in huiusmodi censuris, ad tempus dumtaxat, et cum reincidentia in easdem, servatis alias servandis, absolutio concedatur; ita ut qui fuerint absoluti, ad novum Pontificem intra terminum pro locorum distantia definiendum, recurrere pro eadem causa teneantur; neque liceat Poenitentiario Maiori, eiusque Officialibus, praefixum terminum post Pontificis electionem ampliare vel prorogare....

« Praeterea concedimus, ut si quando aliquod gravius animae periculum immineat, cui celeriter occurrendum videatur, re in signatura diligenter examinata, et maiori quoque Poenitentiario, si in Conclavi degat, pro materiae gravitate consulto, et approbante, dispensare aut dispensari mandare pro eodem foro conscientiae, valeant; super illis etiam, super quibus alias vivente Pontifice inhibita sit Maiori Poenitentiario, et Poêniteniariae dispensandi facultas; ita tamen, ut oratores sicuti superius dictum est, ad novum Pontificem post eius electionem similiter debeant recurrere; aliisque appositis clausulis pro casus natura necessariis et opportunis » (§ 51).

« Pro foro vero externo, eadem Sede Apostolica vacante, eorum officium penitus conquiescat; ita ut a quibuscumque matrimonialibus, et aliis dispensationibus et absolutionibus ac declarationibus, nec non quibusvis aliis expeditionibus forum fori mixtim, vel separatim quomodolibet respicientibus omnino abstineat » (§ 52).

« Attamen concedimus ut, dicta sede vacante, pro foro externo facere et expedire valeant, quae ad Regularium et praesertim

apostatarum et fugitivorum remedium, in superioribus facultatibus concessa sunt; nec non ut monialibus confessarios extra ordinem valeant deputare, si eos ex aliqua rationabili causa petierint, pro earum libitu, inter approbatos ab Ordinario ad audiendas Monialium confessiones, eligendos » (§ 53).

« Et demum ut illos, qui in aliquam censuram Sedi Apostolicae reservatam, etiam ob violatam ecclesiasticam libertatem vel immunitatem publice incurrerint, vel incurrisse declarati fuerint, et vere ac sincere poenitentes, et novi Pontificis, ad quem post electionem recurrere debebunt, mandatis obtemperare parati, beneficium absolutionis sibi ulterius non differri enixe deprecentur, absolvere, cum reincidentia, quemadmodum in superioribus dictum est, vel absolvi mandare possunt » (§ 54).

1° Amplissima igitur est potestas Sacrae Poenitentiariae, Sede Apostolica vacante, cum ea omnia facere ac expedire valeat quae forum conscientiae, tum sacramentale tum etiam non sacramentale, attingunt.

2° Quascumque absolutiones, condonationes, relaxationes pro foro interno tribuere potest, si bonum animarum easdem postulet, quoties nimirum tempus non suppetat expectandi electionem novi Pontificis.

3° Ab iis etiam poenis seu censuris absolvere valet, a quibus, vivente Pontifice, facultate minime gaudet absolvendi. Ita v. g. absolvere potest ab excommunicationis poena officiales S. Congregationis Consistorialis, qui secretum - dato et non concesso - violaverint in iis quae ad Episcoporum, Administratorum Apostolicorum aliorumque Ordinariorum electionem, vitam, mores agendique rationem delata sint; a qua censura, vivente Pontifice, Poenitentiaria absolvere nequit (1).

4° Absolutio tamen in praedictis casibus nonnisi ad tempus, et quidem cum onore *reincidentiae,* ut aiunt, tribuitur; ita ut hoc modo, absoluti recurrere teneantur ad futurum Pontificem « intra terminum pro locorum distantia definiendum ». Haec verba Benedicti XIV, hodiedum ob rerum immutata quam maxime adiuncta, potissimum mediis communicationis cum Urbe opportune inventis, aliam interpretationem seu applicationem mani-

(1) Cfr. *De Curia Romana*, vol. I, p. 115.

festo postulant. Minime necesse est, ut tempus definiatur pro locorum distantia, cum regula a S. Officio die 23 Iunii 1886, data de obligatione saltem infra mensem per epistolam recurrendi, optime etiam huic casui applicari possit. Siquidem in casibus urgentioribus in quibus absolutio differri nequit absque scandali vel infamiae periculo, simplex confessarius direete absolvere potest a censuris tum simpliciter tum speciali modo Romano Pontifici reservatis, iniunctis de iure iniungendis, et sub poena *reincidentiae* in easdem censuras, nisi saltem infra mensem per epistolam et per medium confessarii absolutus ad S. Sedem recurrat.

5° Dispensationes insuper tribuere valet pro foro conscientiae, quas, Sede plena, concedere minime potest. Haec facultas dispensandi sensu latissimo intelligi debet, cum nulla restrictio seu limitatio adposita inveniatur a Benedicto XIV. Nonnullae tamen conditiones servari debent, ut hac amplissima potestate Sacra Poenitentiaria uti valeat, nimirum oportet *a*) ut urgens animarum bonum, seu necessitas fidelium spiritualis dispensationem postulet; *b*) ut res in Signatura (1) diligenter examinetur; *c*) ut consilium et approbatio Maioris Poenitentiarii obtineatur, si ipse in Conclavi degat; *d*) ut oratores infra mensem, nisi aliter ipsa rerum natura exigat, ad novum Pontificem recurrant.

6° Forum externum quod attinet, sive mixtum sive separatum, neque dispensationes, neque absolutiones neve alias expeditiones facere potest.

7° Datur tamen duplex exceptio in hac re: alia Regulares attingit, alia moniales. Quoad Regulares, praesertim apostatas et fugitivos, ea omnia eaque sola expedire valet quae in bonum eorumdem necessaria videntur, quaeque moram non admittunt. Quoad moniales, confessarios deputare potest extra ordinem, modo inter approbatos ab Ordinario ad monialium audiendas confessiones eligantur.

Elegans heic quaestio suapte natura exurgit. Quae modo exposuimus, vigente etiam hodiedum, seu post Constit. « *Sapienti consilio* »? Nobis sententia negativa probabilior, imo certa omnino videtur. Potestas enim quae describitur in cit. § 54 com-

(1) Cfr. vol. I, p. 358.

petit *ordinario* modo S. Congregationi Religiosorum; iamvero, ut supra luculenter ostensum fuit, *ordinaria* iurisdictio minime expirat, Sede Apostolica vacua.

Ergo ipsa Religiosorum Congregatio facultate praedicta quoad sodales utriusque sexus fruitur, quin necesse sit ut eadem Sacrae Poenitentiariae tribuatur.

8° Non modo absolvere valet a censuris Romano Pontifici reservatis, si casus sint occulti, ut n. 3 diximus, sed etiam si *publici* sint, vel *publice* declaratum sit a Superiore ecclesiastico aliquem in censuram incidisse. Absolutio nonnisi cum clausola *reincidentiae* concedi potest. Quam ob rem quae superius dicta fuere in mentem revocentur.

ARTICULUS II.

De Sacra Romana Rota.

Bibliographia: Emerix, *Notitia S. Rotae Romanae*, 1676; Lega, l. c., p. 345; Plettenberg, *Notitia Tribunalium Curiae Romanae*, Romae 1823; Tamaglia, *Urbis et Orbis supremi Tribunalis monumenta seu de S. Rotae Romanae auditorio*, Liburn. 1654; Wernz, l. c., n. 609.

Bernini, *Il Tribunale della Sacra Rota Romana*, Roma 1717; Bondini, *Del Tribunale della Sacra Rota Romana, memorie storiche con le rispettive bolle de' Pontefici, ridotte in compendio col metodo di Guerra e volgarizzate*, Roma 1851.

Hilling N., *Die Errichtung des Notarkollegiums au der römischen Rota durch Sixtus IV im Jahre 1447*, 1904; Sägmüller, *Die Entwiklung d. Rota b. 2. Bulle Johanns XXII « Ratio iuris » a. 1326*, in *Th. Quartalschr. LXXVII, 97 ff.*, 1885; Ders, *Die Errichtung d. Notarkollegiums au der römischen Rota durch Sixtus IV, Festgabe f. H. Finke* 1904, 169 ff.

Summarium: 1. Ius antiquum. — 2. Ius novum.

1. **Ius antiquum.** — Compertum est Sacram Rotam ab initio causas ex commissione dumtaxat Romani Pontificis egiasse, nimirum ex potestate delegata. Decursu aetatum vero ordinariam nacta est iurisdictionem in certum causarum genus. Ipsius competentia ita describitur a Plettenberg (1):

« Rota Romana est iudicium Summi Pontificis quod cognoscit causas utriusque fori, ecclesiastici quidem per universum orbem catholicum, tamquam tribunal Vicarii Christi generalis, et epi-

(1) *Notitia tribunalium Curiae Romanae*, cap. 15, *De Rot. Rom.*

scopi Ecclesiae universalis. Fori vero temporalis et profani causas tantum civiles, non criminales, idque ut plurimum via appellationis ad se devolutas diudicat tamquam dicasterium Principis temporalis urbis romanae et illius Italiae ditionis, quae Status Ecclesiasticus nominatur, nec non civitatis Avenionensis et comitatus Venuxini in Gallia ».

Potestas Sacrae Rotae igitur uno eodemque tempore, diverso tamen sub respectu, tum ordinaria erat tum delegata. Qua de causa classis. Wernz (1) scribit:

« Iuridictio Rotae Romanae post multas controversias a Gregorio XVI partim *ordinaria*, partim *delegata* esse dicitur. Illam exercet ut ordinarium tribunal appellationis ditionis pontificiae, alteram ut tribunal extraordinarium, si ex speciali commissione Romani Pontificis causae de valore rescriptorum pontificiorum et controversiae exterarum regionum ipsi vere delegantur » (2).

Nullum dubium proinde quin iure antiquo inspecto, potestas Sacrae Rotae, Sede Apostolica vacua, qua *delegata* cessaret, qua *ordinaria* in sua vi integra permaneret (3).

2. **Ius novum.** — Attento iure novo per Constit. « *Sapienti consilio* » inducto, satis superque constat iurisdictionem Sacrae Romanae Rotae ordinariam esse quoad causas in quibus *de sua competentia* ipsa procedit (4).

Qua de causa eiusdem potestas nullo pacto expirat, vacatione adveniente Apostolicae Sedis. Id valet tantum quoad sententias quae ordinariam non excedunt competentiam; quoad alias enim, applicanda sunt quae diximus de Sacris Congregationibus.

ARTICULUS III.

De Signatura Apostolica.

Bibliographia: Gomes, *Compendium utriusque Signaturae*, Parisiis 1547; Mandosius, *Praxis Signaturae gratiae*, Romae 1529; Marchesani, *Commissionum ac rescriptorum utriusque Signaturae S. D. N. Papae praxis*, Romae 1615; De Fatinellis, *De refendariorum votantium Signaturae iusti-*

(1) To. II, part. II, n. 609.
(2) Cfr. vol. I, p. 390 ss.
(3) Cfr. Lega, lib. I, vol. II, p. 345.
(4) Cfr. vol. I, p. 396.

tiae collegio, Romae 1696; VITALE, *Comm. de iure Signaturae iustitiae*, Romae, 1756.

Summarium: 1. Ius antiquum. — Ius novum.

1. **Ius antiquum.** — Duplex olim habebatur Signatura, *gratiae* nempe et *iustitiae*. Signatura *gratiae* concessiones elargiebat, privilegia, beneficia quaelibet gratiarum: Signatura *iustitiae* negotia fori contentiosi gerebat (1).

De hac duplici Signatura Pius IV in Constit. *In eligendis* decrevit: « Prohibentes insuper, ne Cardinales et Praelati Signaturae *gratiarum* et *iustitiae* Praefecti, sede vacante, supplicationes et commissiones aliquas, etiamsi supplicantes, parvas datas, ut moris est antea obtinuerint, signare valeant; sed officia eorum omnino cessare intelligantur. Quod si aliter fecerint, et pro excessibus huiusmodi futuri Pontificis arbitrio puniantur ».

Signatura *gratiae* a Sixto V per Const. *Immensa* ita fuit ordinata, ut quasi tamquam vera Cardinalium Congregatio instituta fuerit. Nihilominus eiusdem potestas *ordinaria* sensu stricto dici minime poterat, cum singula acta referre deberent Pontificis subscriptionem (2). Quapropter, Sede Apostolica vacante, iurisdictio extinguebatur.

Signatura *iustitiae* e converso cum verum ac proprium tribunal constitueret, cuius acta nomine atque Pontificis auctoritate edita, plena fruebantur vi, quin necessaria foret Papae subscriptio, iurisdictione pollebat ordinaria; ideoque, Sede Apostolica vacante, ipsa, qua talis, minime expirabat.

2. **Ius novum.** — Pius X tribunalia *Signaturae papalis gratiae* et *iustitiae* suppressit (3) novaque ordinatione supremum Signaturae Apostolicae tribunal instituit. Eiusdem potestas ordinaria est quoad illas causas et negotia in quibus de sua competentia procedit. Itaque, iure novo inspecto, tria sunt animadvertenda:

a) iurisdictio huius tribunalis minime cessat, Sede Apostolica vacua, cum veluti ordinaria a Pontifice concessa sit et utpote talis exerceatur;

b) hoc valet quoties Signatura sententias edit, quae ordi-

(1) Cfr. vol. I, p. 452 ss.
(2) Cfr. vol. I, p. 453.
(3) Cfr. vol. I, p. 453.

nariam non excedunt competentiam; quoad alias enim sententias procul dubio quae de Sacra Romana Rota diximus, applicanda veniunt;

c) in negotiis quae, utpote *gravia* vel *extraordinaria*, consilium seu approbationem Summi Pontificis requirunt, Signatura sileat, sicut pariter dicendum de Sacra Romana Rota.

CAPUT V.

De ceteris S. Sedis Officiis

ARTICULUS I.

De Cancellaria ac Dataria Apostolica.

Bibliographia: Barchin Pauli Hier., *Practica Cancellariae Apostolicae cum stylo et formis in Curia Romana usitatis*, Lugd. 1549; Bouix, op. cit., p. 461; Bladii H., *Constit. Pii IV, Pii V et Gregorii XIII cum regulis Cancellariae*, Hab. 1853; Schmitz-Kallemberg L., *Practica Cancellariae Apostolicae saeculi XV exeuntis*, Münster 1904; Mandosius Q., *In regulas Cancellariae apostolicae commentar.*, Romae 1558; Molina C., *Comm. in regulas Cancellariae apostolicae*, Lugd. 1560; Orneus, *In regulas Cancellariae apostolicae*, Lugd. 1686; Pilleus, *Comm. in regulas Apostolicae Cancellariae*, Parisiis 1628; Quebeck, *Practica Cancellariae*, Romae 1824; Riganti J. B., *Commentaria in regulas, constitutiones et ordinationes Cancellariae*, Coloniae 1571.

Chiari A., *Memoria giuridico-storica sulla Dataria, Cancellaria, rev. Camera Apostolica*, Roma 1900.

Castel Perard, *Paraphrase du commentaire de M. Ch. Du Molin sur les régles de la Chancellerie romaine*, Paris 1685.

Erler, *Der Liber Cancellariae apostolicae v. I, 1380*, Leipzig 1880; Sägmüller, op. cit., p. 376.

Summarium: 1. Cancellaria. — 2. Dataria Apostolica.

1. **Cancellaria Apostolica.** — Attenta Constit. *Sapienti consilio* « ad Cancellariae officium in posterum hoc unum tamquam proprium reservatur munus, Apostolicas expedire litteras sub plumbo circa beneficiorum consistorialium provisionem, circa novarum dioecesium et Capitulorum institutionem, et pro aliis maioribus negotiis conficiendis » (1).

---

(1) Cfr. vol. I, p. 464.

Cum autem, Sede Apostolica vacante, negotia praedicta expediri nequeant, ut superius dictum fuit, suapte natura sequitur potestatem Cancellariae Apostolicae vacationis tempore penitus extingui, ut liquido patet ex tit. I, cap. III, n. 17.

2. **Dataria Apostolica.** — Pius IV Constit. *In eligendis* decernit: « Datarii vero ministerium per eiusdem Pontificis obitum omnino expiret, ita ut non solum datas per eum antea notatas extendendi potestatem minime habeat; sed quascumque supplicationes gratiarum et iustitiae penes eum, aut eius ministros adhuc existentes, etiam si datae fuerint Collegio Cardinalium, statim sub sigillo clausas praesentare teneatur futuro Pontifici reservandas. Quod si contra praemissa quisquam ac cuiusvis etiam Cardinalis instantiam attentare praesumpserit, irritum et inane existat, et nihilominus falsi crimen incurrat, illius rationem futuro Pontifici redditurus ».

Pius X vero (tit. I, cap. III, n. 17) plane confirmans quae a Praedecessore Pio IV statuta fuerunt, decernit: « Prodatarii (1) officium per obitum R. Pontificis omnino expirat ». Nullum dubium proinde quin potestas Apostolicae Datariae plane evanescat, S. Sede vacua.

ARTICULUS II.

De Camera Apostolica.

Bibliographia: Gomes L., *In constitutiones Camerae Apostolicae*, Parisiis 1546; Zotto A., *Comm. ad constit. Cam. Apost.*, Romae 1846.

Chiari A., op. cit., p. 28.

Gottlob A., *Aus der Camera Apostolica der 15 Jahrh.*, Innsbruck 1889; König L., *Die päpstliche Kammer unter Clemens V und Johann XXII*, Wien 1894; Kornisch, *Die Kammer päpstliche*, Paderbon 1863; Lok, *Die päpstliche Kammer*, Wien 1884; Bücken, *Aus der Camera Apostolica*, Paderbon 1791.

Summarium: 1. Ius antiquum. — 2. Ius novum.

1. **Ius antiquum.** — Clemens V (2) declaravit officium Camerarii per obitum Pontificis nullatenus expirare: « Eo tamen proviso

(1) Cfr. vol. I, p. 468. Olim Cardinalis Praeses huius Officii Prodatarius nuncupabatur; nunc temporis autem, seu post Const. *Sapienti consilio*, Datarius simpliciter dicitur.

(2) Cap. 2, *Ne Romani*, § 1, de elect. I, 3 in Clem.

quod si eiusdem Ecclesiae Camerarium... per mortem, vel alias deficere quovis modo contingat, valeat idem coetus ad tempus vacationis huiusmodi pro numero deficentium... alios subrogare ». Quibus ex verbis luculenter patet non modo Camerarii officium, Sede Apostolica vacua, minime expirare, at alium in eiusdem locum esse subrogandum, si ipse quavis ex causa desit.

Pius IV (1) decrevit: « Camerarii quoque... officia, quae etiam sede vacante durante ita durare decernimus et declaramus, ut non solum ea quae praesenti Constitutione prohibentur, et quae Pontifice vivente exercere non consueverunt, seu a quibus pro eiusdem Pontificis reverentia, aut alias quomodolibet abstinebant, minime usurpent: sed Camerarius, ac Praesidentes, et clerici aliique ministri et officiales Camerae Apostolicae exactioni pecuniarum eiusdem Camerae debitarum, ac provisionibus ratione Sedis vacantis iuxta praemissa necessario faciendis dumtaxat incumbere, et propterea a solutione debitorum ante Pontificis obitum contractorum, aut illorum declaratione, rationum solidatione, extractionibus frumentorum, remissionibus delictorum assecurationibus delinquentium, et quibuscumque aliis expeditionibus, tam gratiam quam iustitiam, aut illarum executionem quomodolibet concernentibus omnino abstinere debeant ».

Clemens XII (2) statuit: « Per obitum Pontificis, nec *Camerarii*, nec Penitentiarii Maioris officia cessare a dictis praedecessoribus cautum quoque reperitur. Verum quia contingere potest alterius.... ac etiam utriusque officii vacatio ante novi Pontificis creationem; formam propterea tunc observandam stabilire volentes, decernimus, ut, si et quando id evenerit, Congregatio generalis triduo post secutam vacationem.... vota seu suffragia Cardinalium.... pro deputatione illius, qui Camerarii.... vices suppleat usque ad electionem novi Pontificis exquirantur denturque per schedulas secretas et impressas, a magistris caeremoniarum etiam ab infirmis Cardinalibus colligendas, ac coram tribus Cardinalibus eo tempore in ordine prioribus, praesentibus eisdem caeremoniarum magistris atque Collegii secretario, aperiendas; isque deputatus habeatur, in quem maior pars votorum

(1) Constit. *In eligendis*, § 9.
(2) Constit. *Apostolatus officium*, § 15.

seu suffragiorum convenerit; ac sic deputato facultates omnes, quas ipse Camerarius.... exercere poterat, quamdiu Sedes vacaverit, attribuimus ».

2. **Ius novum.** — Constit. *Sapienti consilio* loquens de munere Camerae Apostolicae haec paucis verbis decernit: « Cura est atque administratio bonorum ac iurium temporalium Sanctae Sedis quo tempore praesertim haec vacua habeatur ».

In Constit. porro *Vacante Sede Apostolica* (1) eiusdem potestas ita describitur: « Cardinali *Camerario*, vacante Sede Apostolica incumbit cura et administratio bonorum ac iurium temporalium ipsius S. Sedis, adsistentibus ei in suo officio Cardinalibus eo tempore in ordine Prioribus seu Capitibus Ordinum, et praehabitis semel pro levioribus, ac semper pro gravioribus negotiis suffragiis S. Collegii. Hinc Cardinalis Camerarius, statim ac a Sacri Palatii Apostolici Praefecto nuncium de Pontificis obitu acceperit, ad Apostolicum Palatium perget, ut ipsius possessionem capiat ac eius regimen exerceat. Eiusdem Camerarii erit Pontificis mortem iure recognoscere atque authenticum mortis actum conficere; statuere, auditis Cardinalibus Capitibus Ordinum, modum ad conservationem corporis defuncti Pontificis pro temporum conditionibus magis convenientem et aptum (nisi forte Pontifex ipse vivens suam hac de re voluntatem manifestaverit); privatis eiusdem Pontificis aedibus sigilla apponere; ipsius obitum cum Cardinali in Urbe Vicario communicare, qui de re populum romanum singulari edicto edocebit; eaque omnia, nomine et consensu S. Collegii, curare, quae ad iura Apostolicae Sedis tuenda et ad ipsius administrationem recte gerendam rerum temporumque adiuncta suadebunt ».

Amplissima igitur est potestas quae Sede vacua ad Cardinalem Camerarium spectat.

a) Siquidem in primis generatim loquendo ipsi cura incumbit et administratio bonorum et iurium temporalium Sedis Apostolicae; quo in munere ei adsistere debent Cardinales eo tempore in ordine Priores seu Capita Ordinum (quinam hi sint, videbimus infra); suffragia quoque Sacri Cardinalium Collegii sunt exquirenda, et quidem cum hoc discrimine, nimirum ut pro negotiis levioribus

(1) Tit. I., cap. III, n. 14.

semel dumtaxat exquirantur, pro gravioribus autem semper seu *singulis vicibus*.

b) Cardinalis Camerarius, nuncio de Pontificis morte a Praefecto Palatii Apostolici accepto, statim pergere debet ad Apostolicas Aedes atque ipsarum capere tenetur possessionem et earumdem regimen adsumere.

c) Mortem Pontificis iuridice, seu qua Officialis auctorizabilis, recognoscat et authenticum mortis actum conficiat in archivo S. Sedis servandum.

d) Modum statuat, praehabita sententia Cardinalium Capitum Ordinum, magis aptum et convenientem, singulis temporum adiunctis atque conditionibus inspectis, ad conservationem corporis Pontificis defuncti. Id valet si Pontifex defunctus nihil de hac re expresse decreverit; nam si ipse vivens voluntatem pandiderit quoad modum conservationis sui corporis, Cardinalis Camerarii erit voluntatem Pontificis sancte ac fideliter illico exequi.

e) Sigilla adponat aedibus privatis Pontificis, ne quis eas ingrediatur.

f) Nuncium mortis Pontificis authentice pandat Cardinali in Urbe Vicario, ut de eadem populum romanum peculiari edicto certiorem reddat.

g) Omnia ac singula curet quae ad iura Apostolicae Sedis tuenda et ad ipsius administrationem recte gerendam pro rerum temporunque adiunctis necessaria videntur. Qua in re, sedulo animadvertatur, non nomine dumtaxat suipsius, sed nomine Collegii Cardinalium ipsi procedendum esse, et quidem de eiusdem consensu.

Quid foret dicendum, si officium Cardinalis Camerarii vacaret ante novi Pontificis electionem?

In Const. *Vacante Sede Apostolica* (1) provide cautum fuit: « Si autem contingat (S. R. E. Camerarii) officii vacatio ante novi Pontificis electionem, tunc Congregatio generalis triduo post secutam vacationem... habeatur, ac vota seu suffragia Cardinalium simul congregatorum pro deputatione illius, qui Camerarii... vices suppleat usque ad electionem novi Pontificis exquirantur, denturque per schedulas secretas a Magistris Caeremoniarum etiam

(1) Tit. I, cap. III. n. 13.

ab infirmis Cardinalibus colligendas, ac coram tribus Cardinalibus eo tempore in ordine Prioribus, praesentibus eisdem Caeremoniarum Magistris atque S. Collegii Secretario, aperiendas; isque deputatus habeatur, in quem pars relative maior votorum seu suffragiorum praefatorum convenerit, ac sic deputato facultates omnes, quas ipse Camerarius... exercere poterat, quamdiu Sedes vacaverit, attribuimus. Quod si forsan vota paria fuerint, ille deputatus habeatur, qui fuerit ordine dignior, vel, si eiusdem ordinis, senior ».

Electio hoc modo facienda est:

a) *Triduo* post vacationem secutam officii Camerarii, Cardinales in generali Congregatione eum deputare tenentur, qui vices Camerarii gerat usque ad novi Pontificis electionem.

b) Suffragia exhiberi debent per *schedulas secretas*, colligendas per Magistros Caeremoniarum non modo a Cardinalibus qui Congregationi intersint, sed ab iis etiam qui infirmi forte degant in cellis suis.

c) Schedulae secretae praedicto modo collectae sunt aperiendae coram tribus Cardinalibus eo tempore in ordine Prioribus, nec non coram Magistris Caeremoniarum et Secretario Sacri Collegii.

d) Pro validitate electionis requiritur et sufficit maior pars relative votorum, habito nimirum respectu ad Cardinales qui suffragia tulerunt.

e) Si vota *paria* fuerint, is praeferri debet seu veluti electus habendus est, qui dignior sit ratione *Ordinis;* qua de causa Cardinalis presbyter praefertur Cardinali diacono, Cardinalis episcopus presbytero anteponitur. Si porro ii qui paria obtinuerunt vota, sint eiusdem Ordinis, tunc ratio *aetatis* haberi debet, ita ut qui *senior* prae aliis existat, tamquam rite electus censendus sit.

f) Cardinalis ad officium Camerarii ita assumptus, omnes facultates acquirit, quae competunt vero ac proprio Camerario, quasque nos superius recensuimus.

g) Electio tamen *definitiva* minime est; potestas siquidem Cardinalis praedicto modo deputati nonnisi usque ad novi Pontificis electionem perdurat, qui aut illum confirmare aut alium in eiusdem locum subrogare debet.

ARTICULUS II.

SECRETARIA STATUS, SECRETARIA BREVIUM AD PRINCIPES ET EPISTOLARUM LATINARUM.

Bibliographia: LEGA, op. cit., p. 282 ss.; WERNZ, l. c, n. 676 s.
R. ANCEL. *Le Secrétaire pontificale*, etc. (*Rev. d. quest. LXXIX*, 1906) 408 ff.; GRIMALDI, op. cit., p. 469.
SÄGMÜLLER, op. cit., p. 377;

Summarium: 1. Secretaria Status. — 2. Secretaria Brevium ad Principes et Epistolarum latinarum.

1. **Secretaria Status.** — Nullum dubium quin potestas huius Officii plane evanescat tempore vacationis Apostolicae Sedis. « Per obitum Pontificis cessat munus Cardinalis *Secretarii Status* » (1). Ratio liquido patet. Secretaria Status est officium peculiare quo R. Pontifex utitur pro negotiis gerendis quae christianam attingunt rem publicam. Quo ex conceptu liquido patet, defuncto Pontifice, praedictum officium suapte natura cessare.

Ne vero desit persona ecclesiastica quae, ipsa quoque Sede vacante, negotia pertractet publica in bonum universalis Ecclesiae, prout necessitas postulet, consulto cautum fuit ut, e vivis Pontifice erepto, munus Secretarii Status gerat Sacri Collegii Cardinalium Secretarius. Ita enim clare statuit Pius X cit. Constit. (2): « Isque munere (Secretarii Status), Sede vacante, fungitur Praelatus *S. Collegii Secretarius*. Quod si hoc officium vacare contingat, eiusdem S. Collegii erit, aliquem ad illud, quamdiu scilicet Sedes Apostolica vacaverit, per pluralitatem suffragiorum deputare ».

Secretarius S. Collegii de iure est Adsessor S. Congregationis Consistorialis (3). Si hoc officium vacet quavis de causa, Sacrum Cardinalium Collegium alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum, scientia ac vitae sanctitate praestantem, eligere tenetur pro vacationis tempore Apostolicae Sedis; ad quam faciendam electionem maior relative pars suffragiorum requiritur.

---

(1) Constit. *Vacante Sede Apostolica*, tit. I, cap. III, n. 18.
(2) L. c. n. 18.
(3) Cfr. vol. I, p. 114.

2. **Secretaria Brevium ad Principes et Epistolarum latinarum.** — *Secretaria Brevium ad Principes* hoc sibi veluti proprium demandatum gerit munus scribendi nimirum ad supremos Moderatores rerum publicarum; at generatim latinas quoque componit allocutiones, quas Pontifex in Consistoriis habet, nec non Encyclicas ipsas seu Apostolicas Litteras, quas Papa ad orbem catholicum mittit.

Secretaria Epistolarum latinarum forma minus solemni litteras scribit, non habentes scilicet naturam *Brevium,* ad principes, reges aliasque personas. Quandoque hac Secretaria Pontifex utitur etiam pro Encyclicis seu Constitutionibus conscribendis, nec non pro aliis actibus supremi muneris apostolici.

Utrumque officium, saltem iure novo inspecto, a Secretaria Status pendet (1). Quapropter si potestas Secretariae Status, Sede vacante, expirat, eo ipso cessat quoque potestas tum Secretariae Brevium ad Principes, quum Secretariae Epistolarum latinarum.

Iurisdictio enim, semel pro semper dictum volumus, huiusmodi Officiorum non est *ordinaria,* qua talis, sed delegata dumtaxat, ut ex data notione evidentissime patet. Nil mirum proinde quod plane eorumdem auctoritas evanescat, vacatione occurrente Apostolicae Sedis.

« *Secretarii Brevium* officium per obitum R. Pontificis omnino expirat ». Ita disertis verbis declarat Constit. pluries citata (2).

---

(1) Cfr. vol. I. p. 472.
(2) Tit. I, cap. III, n. 17.

CAPUT VI.

De quibusdam aliis Officiis.

ARTICULUS I.

Decanus S. Collegii.

Bibliographia: Bargilliat, op. cit., vol. I, n. 435; Bouix, op. cit, p. 125; Manfredi, *Tractatus de cardinalibus*, p. 134; Oietti, *Synopsis*, etc, v. *Cardinales*, n. 844; Wernz, l. c, n. 648.

Carrara B., *Dell'antica provenienza del cardinalato*, p. 18; Botero G., *Dell'ufficio del cardinale*, p. 23; Piazza, *La gerarchia cardinalizia*, p. 28.

Baumgarten P. M., *Untersuchungen und Urkunden über d. Camera Collegii Cardinalium, v. 1295-1437*; Mühlbauer, *Tr. res. S. C. C. v. « Cardinalis »*; *Kreutzwald, art. « Kardinal » in Kirch-Lex*; Sägmüller, op. cit., p. 366; Scherer, *K. R*, § 23; K. Wenck, *Das Kardinal-kollegium*, p. 42.

Baart, *The roman Court*, p. 12; Bouvier G. A. *Notes on cardinaly and the insignia*, p. 8.

Summarium: 1. Decanus S. Collegii — 2. Munus eiusdem Sede Apostolica vacua.

1. **Decanus S. Collegii** — *Decanus* Sacri Collegii ille nuncupatur qui ceteris Cardinalibus Episcopis suburbicariis (non vero aliis, etsi forte episcopali charactere sint insigniti) antiquior est non aetate, sed promotione ad Cardinalatum. Cum Cardinales verum ac proprium constituant Collegium seu unum corpus efforment, ipsa ratio suadet ut Cardinalis habeatur qui veluti caput sit huius corporis seu Collegii, nempe Cardinalis *Decanus*. De iure porro est Episcopus suburbicarius Hostiensis, cui munus demandatur novum Pontificem, si Episcopus non sit, consecrandi.

2. **Munus eiusdem Sede Apostolica vacua.** — Pius X in cit. Constit. decernit: « Cardinalis autem Sacri Collegii *Decani* erit, vix dum ab eodem Sacri Palatii Apostolici Praefecto de Pontificis morte fuerit edoctus, ceteris Cardinalibus vacationem Sedis Apostolicae significare, eosque ad Palatium Apostolicum advocare ». Cardinalis Decanus igitur nuncium mittere debet de obitu Pontificis ad universos S. R. E. Cardinales eosque advocare ad Apostolicum Palatium, ut, exsequiis defuncti Papae rite persolutis, novo Pontifice eligendo negotium provide solerterque gerant.

ARTICULUS II.

Cardinalis in Urbe Vicarius.

Bibliographia: Bargilliat, op. cit., vol. I, n. 792 ss.; Bened. XIV, *De Synod. dioec.*, lib., II, cap. 3, n. 1 s.; De Luca, l. c., disc. 13; Honorante, *Praxis Secretariae tribunalis Card. Urb. Vicarii*, Romae 1846; Ferraris, v. *Vicarius Urbis*; Lombardi, op. cit., vol. I, p. 313 ss.; Lega, op. cit., lib. I, vol. II, p. 375 ss.; Sebastianelli, op. cit., vol. I, p. 296 s.; Wernz, op. cit., to. II, part. II, n. 679.

Philipps, l. c. § 316; Sägmüller, op. cit, p. 350.

Summarium: 1. Ius antiquum. — 2. Ius novum.

1. **Ius antiquum.** — Clemens XII Constit. *Apostolatus officium*, § 17, de Cardinali Urbis Vicario haec statuit: « Si Vicarium Pontificis in alma Urbe eiusque districtu in spiritualibus generalem, Sede vacante, e vivis quoque decedere contigerit, ne animae christifidelium Urbis ac districtus aliquod inde accipiant in ipsis spiritualibus detrimentum, tunc existenti vicesgerenti dicti Vicarii, quamdiu Sedes vacaverit, omnes et singulas facultates, auctoritatem et potestatem, quae eidem Vicario pro exercitio officii vicariatus quomodolibet competebant; quasque Pontifex ipse, occurrente vacatione vicariatus, Sede plena, vicesgerenti praedicto quandoque per aliquod tempus, donec scilicet successorem Vicarium deputaverit, attribuere solet, tenore praesentium concedimus ac impartimur ».

Nullum dubium quin potestas Cardinalis Vicarii *ordinaria* sit, ut passim docent auctores (1).

Benedictus XIV (2) docet: « Sed agitur de Cardinali Vicario qui est *Ordinarius* in Urbe, ibique repraesentat personam Papae, non tamquam Papae, sed tamquam Episcopi Romani, cum plena iurisdictione episcopali exercenda tam *absente* quam praesente Papa, iuxta ea que cumulantur *decis. 62, post collect. legal. Boudeni*, adnotavitque Cardinalis De Luca, *De iurisdictione disc. 34, n. 10* ».

---

(1) Cfr. Bargilliat, op. cit., vol. I, n. 794; Sebastianelli, op. cit., vol. I, p. 296; Lega, op. cit. lib. I, vol. II, p. 375 ss.; Wernz, op. cit. to. II, part. II, n. 679.

(2) *De Synod. dioec.*, lib. II, c. 3, n. 1.

Si iurisdictio Cardinalis in Urbe Vicarii *ordinaria* est, prono alveo sequitur eam, Sede Apostolica vacante, nullo pacto expirare.

2. **Ius novum.** — Pius X in cit. saepius Const. (tit. I, cap. III, n. 19) ius antiquum plane confirmat. Decernit enim: « Cardinalis in Urbe Vicarii officium et iurisdictio non expirant morte Romani Pontificis. Quod si ipsum Vicarium Urbis, Sede vacante e vivis decedere contigerit, ne Christifideles Urbis eiusque Districtus aliquod inde accipiant in spiritualibus detrimentum, tunc existens Vices-gerens dicti Vicarii, quamdiu Sedes vacaverit, omnes et singulas habebit facultates, auctoritatem et potestatem, quae eidem Vicario pro exercitio officii Vicariatus quomodolibet competabant, quasque Pontifex ipse, occurrente vacatione Vicariatus Sede plena, Vicesgerenti praedicto quandoque per aliquod tempus, donec scilicet successorem Vicarium deputaverit, attribuere solet ».

Tria colliguntur ex allatis verbis:

a) officium et iurisdictio Cardinalis Vicarii minime expirat vacatione occurrente Apostolicae Sedis;

b) si Cardinalis Vicarius, Sede vacua, moriatur, Vices-gerens, (1) omnes et singulas acquirit facultates Vicarii defuncti, ita ut auctoritatem et potestatem, quae ad eumdem Vicarium spectabant, ipsemet exercere valeat;

c) haec tamen iurisdictio non perpetuo concessa censeri debet, sed ad tempus tantum, donec nimirum novus Pontifex electus fuerit.

ARTICULUS III.

Eleemosynarius Summi Pontificis.

Bibliographia: Negri, *De eleemosynis quae distribui solent per Sedem Apostolicam*, Parisiis 1864: Pellizarius, *De charitate Apostolicae Sedis erga pauperes*, Neapoli 1854.

Piazza, *Diritti e mansioni... dell'elemosiniere pontificio*, Roma 1898.

Summarium: 1. Munus in se. — 2. Munus Sede Apostolica vacante.

1. **Munus Eleemosynarii Pontificis in se spectatum.** — Eleemosynarius hoc sibi a Pontifice demandatum habet munus,

(1) Vices-gerens solet esse patriarcha vel archiepiscopus titularis; Cardinali Vicario ipse assistit ad instar Vicarii generalis in iis quae exercitium iurisdictionis episcopalis et pontificalium respiciunt.

ut scilicet aerarii pontificii pecuniam rite custodiat ac pro temporum, locorum et personarum adiunctis ad nutum Papae distribuat.

Eleemosynarius de iure vir ecclesiasticus est, episcopali charactere insignitus.

De munere eiusdem loquitur Clemens XII in Const. *Apostolatus officium*, § 25 hisce verbis: « Neque tamen, dum animum ad levamen aerarii pontificii adiicimus, Christi pauperum ac egenorum obliviscimur, probe scientes, eo maxime tempore, cum de creando Pontifice agitur, divinam opem per assiduas preces, aliaque christianae pietatis et charitatis opera impensius expetendam, ac promereri satagendum esse; ideoque, sicuti magnopere commendamus, ita quoque retineri volumus laudabilem morem.... ut nimirum defuncti Pontificis eleemosynarius id muneris exercere pergat cum debita Collegio Cardinalium subiectione et ab eo dependentia, donec ac quousque novus Pontifex eligatur ».

2. **Munus Sede Apostolica vacante.** — In Const. cit. Pii X (l. c., n. 21) legitur: « Sicuti magnopere commendamus, ita quoque retineri volumus laudabilem morem huc usque observatum, ut defuncti *Pontificis Eleemosynarius* id muneris exercere pergat cum debita S. Collegio Cardinalium subiectione et ab eo dependentia, donec novus Pontifex eligatur, utque eadem pecuniae vis in subventionem eorumdem pauperum et egenorum Sede vacante per ipsum Eleemosynarium dispensetur et erogetur, quae vivente Pontifice distribui solet, ad quem effectum consueta mandata a tribus Cardinalibus eo tempore in Ordine prioribus, seu deputatis expediantur ».

a) Eleemosynarius, usque ad electionem Papae, consuetas peragat elargitiones, quas vivente Pontifice, facere solebat.

b) Hoc munus exerceat debita plenaque cum subiectione Sacro Cardinalium Collegio atque ab eodem dependentia.

c) Consueta mandata pro eleemosynis faciendis expediri debent a tribus Cardinalibus eo tempore in Ordine prioribus.

ARTICULUS IV.

Legati, Nuntii, Delegati Apostolici.

Bibliographia: Anon, *Tractatus de legato Papae*, p. 15 ss.; Bargilliat. l. c., n. 405 ss.; Bouix, l. c., p. 615 ss.; Barbatia A. *Tractatus de cardinalibus legatis a latere*, Romae 1821; Brunelli Io., *Tractatus de dignitate et potestate legati nec non de primaria origine cardinalium et legatorum*, Venetiis 1843; Bayardi Cl., *Tractatus compendiarius de legato cardinali de latere misso*, Lugd. 1859; Brunus, *De legationibus*, p. 23 ss.; Cyllenii R., *De legato pontificio*, p. 11 ss.; A. Chokier, *Tractatus de legato*, Romae 1784; A. Corona M., *Tractatus de potestate et dignitate cardinalium, nuntiorum, legatorum apostolicorum* etc. Parisiis 1865; Maseri, *De legatis et nunciis apostolicis*, p. 10 ss.; Kockii, *De legationibus ecclesiasticis*. p. 24 ss.; Kirchner N., *Legatus eiusque iura, dignitas et officium*, Wien 1863; De la Torre, *De auctoritate, gradu ac terminis legatorum a latere*, p. 12 ss.; Lombardi, l. c., p. 264 ss.; Sebastianelli, l. c., p. 250 ss.; Wernz, l. c., n. 681.

Savaron L., *Du pouvoir des légats de notre Saint-Père le Pape et de la forme qui se doit garder quand ils entrent en France*, p. 32 ss; A. Cauchie et R. Maere, *Les instructions générales aux nonces des Pays-Bas espagnols (1596-1635)* (*Rev. d'hist. ecclés. V.* (1904) 16 ff.; Dies., *Recueil d. instr. génér. aux nonces des Flandre* (1596-1635) 1904; R. Maere, *Origines de la nonciature de Flandre* (*Ebd. VII* (1006) 565 ff); Ders, *Origines des nonciatures permanentes* etc. (*Rev. d'hist. ecclés. VII* (1906) 52 ff); P. Richard, *Les origines de la nonciature de France. Nonces résidants avant Léon X* (1456-1511) (*Rev. d. quest. histor. LXXVIII* (1905) 103 ff).

An. *Historisch-kanonische Abhandlung eines Ungenannten von den Legaten, Nuntien der Päpste, von ihren Schicksalen und ihrer Gewalt*, Wien 1873; Sägmüller, op. cit., p. 383 ss.; Seld A., *Abhandlung über das päpstliche Gesandtschaftsrecht und die offenbare Eingriffe des röm. Hofes;* A. Grosse, *Der Romanus legatus u. d. Auffassung Gregors VII*; K. Guggenberger, *Die Legation d. Kard. Pileus in Deutschl. 1378 bis 1382*, 1907; A. Pieper, *Zur Entstehungsgeschichte d. ständigen Nuntiaturen*, 1904; Ders. *Die päpstl. Legaten u. Nuntien i. Deutschl., Frankr. u. Span. seit d. Mitte d. 16 Jhdts, 1897*; Hinschius, *H. R. I. 525;* Scherer, *K. R. I. 529, 527.*

Summarium: 1. Legati. — 2. Nuntii. — 3. Delegati Apostolici.

1. **Legati.** — Romanus Pontifex « dum agnorum et ovium sibi concreditorum curam gerit universam, suo fungitur Apostolico munere per ecclesiasticos viros, sive stabiles, sive ad tempus, veluti magis expedire censuerit, delegatos, praecipiens eisdem ut

ibi suas vices obeant, eamque iurisdictionem exercerent quam Is per se, si adesse exerceret » (1).

Antiquitus habebantur *Vicarii Apostolici*, de quibus fuse loquuntur de re historica scriptores (2); dein successerunt Legati, quorum alii *nati* dicebantur, alii *missi*. *Nati* erant illi, qui ex officio seu iure proprio munus legationis exercebant, utpote adnexum dignitati, qua in Ecclesia fruebantur. Ceteri legati *missi* nuncupabantur, ea ratione quia singulis vicibus a Romano Pontifice mittebantur pro rerum locorumque adiunctis, quin munus legationis alicui Sedi peculiari esset adnexum.

Hodiendum Legati *nati* non habentur; ad summum iura quaedam honorifica et tituli supersunt sine ulla tamen iurisdictione, quibus v. g. in Gallia condecorantur Archiepiscopi Rhemensis, Lugdunensis, Bituricensis et Burdigalensis.

Legati *missi* porro dividuntur in *Legatos a latere* et *Legatos simpliciter missos*. *Legati a latere* sunt semper Cardinales ac ita praecise vocari solent quia e gremio Cardinalium qui Romano Pontifici assident, assumuntur. Legati *missi* ordinario non solent assumi e numero Cardinalium.

Legati *a latere* a Romano Pontifice mittuntur ad quaedam negotia maioris momenti tractanda; quibus absolutis, eorumdem munus illico cessat ac potestas eo ipso expirat.

Legati *missi* vero duplici modo deputari solent: vel enim mittuntur ad aliquod dumtaxat negotium peragendum, vel mittuntur in aliquam regionem cum iurisdictione *stabili*.

In primo casu sunt Legati *simpliciter missi* quorum iurisdictio temporanea est, perdurans nempe usque ad negotium absolutum; simulque est coarctata ad peculiare negotium vel pro adiunctis ad aliquod negotiorum genus ab eadem Apostolica Sede determinatum.

In secundo casu Legati dicuntur *Nuntii*, de quibus infra. Licet potestas Legatorum a Romano Pontifice pro libitu determinetur, cuius proinde deputationis Litteris inhaerendum sit; tamen Canonistae uno labio docent eam *ad modum potestatis or-*

---

(1) Pius VI, in *Responsione super Nunciaturis*, 20 Ian. 1789.

(2) Cfr. Bouix, *De Curia Romana*, p. 616 ss.; Thomas, op. cit., cap. 34, n. 10 ss.

dinariae exerceri. Hac de causa per obitum R. Pontificis minime expirat (1).

Sane Pius X diserte declarat: « *Legatorum*... officium et potestas non cessant Sede vacante » (l. c., n. 20).

2. **Nuntii.** — Nuntii sunt Legati *missi* cum iurisdictione *stabili*. Ut olim Pontifices apud imperatores suos apocrisiarios seu responsales habebant, ita hodiedum apud aulas Principum catholicorum habere solent Nuntios pro negotiis gerendis quae ecclesiasticam respiciunt civilemque societatem, eo fine ut, collatis consiliis, unitas pro viribus foveatur ac plena concordia mutuo servetur sacerdotium inter et imperium.

De Nunciaturis ita disserit Pius VI (2): « Apostolica Sedes, quam uti benignam matrem de salute et commodo Filiorum suorum cura sollicitat, vix aut ne vix quidem extincto Primatum et Legatorum natorum iure, cum iam experta fuisset in irritum omnes suos cecidisse conatus, ut quae sibi perpetua divini Primatus onera incumbunt, in dissitis locis per *Vicarios indigenas* ibidem delectos suppostarentur, consilium iniit in usum revocandi illius iuris, quo primis etiam Ecclesiae saeculis interdum usa iam fuerat (in destinatione Apocrisiariorum et Vicariorum Siculorum, qui plerumque erant Romanae Ecclesiae diaconi vel subdiaconi) eligendi scilicet viros *exteros*, principibus gratos, et ecclesiastica dignitate fulgentes, eosdemque *stabili* facultate et potestate muniendi, eo prorsus modo, quo prima temporis epocha cum Vicariis Apostolicis, et secunda epocha cum Legatis natis actum fuerat.

« Impotens enim aemulandi studium quod Metropolitanis invaserat, in causa fuit cur Pontifices, volentes iniuncto sibi Apostolatus munere perfungi, nolentesque amplius *indigenis* uti, quibus suas ut antea vices committerent ac demandarent, id coeperunt consilii, a saeculo xv ad hanc usque nostram aetatem, ut *e proprio latere* in Germaniam, in Galliam, in Hispaniam, in Lusitaniam, et in alia etiam regna, *advenas Nuntios* mitterent, nulli parti addictos, ecclesiastica dignitate ornatos, principibus caros; utque apud catholicas aulas et in urbibus principibus ordinarias Nunciaturas instituerent ».

---

(1) Cfr. cap. 2, *De officio Legati in 6.*
(2) l. c.

Nuntii, Sede Apostolica vacua, minime amittunt suam potestatem.

« Nuntiorum officium et potestas non cessant sede vacante ». Ita Pius X, cit. Constit. (Tit. I. cap. III, n. 20).

Ratio liquido patet. Iurisdictio, qua Nuntii pollent, est *stabilis* ac *ordinaria*, ut passim docent Auctores. Nullum dubium proinde quin eorumdem auctoritas nullatenus exspiret vacatione Sedis Apostolicae occurrente.

3. **Delegati Apostolici.** — Delegati Apostolici sunt Legati missi, qui apud aulas principum *minores* resident, quique eodem munere funguntur ac Nuntii. Non desunt Auctores qui affirment Delegatos Apostolicos vocari quoque *Internuntios* (1).

Id tamen minus recte affirmatur. Siquidem reapse constat ex mente S. Sedis dari discrimen inter Delegatos Apostolicos et Internuntios ita ut minime fas sit eos uno aliove nomine nuncupare (2).

Delegati Apostolici potestatem exercent *ad modum iurisdictionis ordinariae;* proinde nullo pacto exspirat per obitum Pontificis Summi. Quod plane confirmatur verbis saepius cit. Constitutionis Pii X (Tit. I. cap. III, n. 20): « *Delegatorum Apostolicorum* officium et potestas non cessant Sede vacante ».

Quae nos absolute exposuimus in hoc articulo non satis cohaerere videntur cum doctrina clariss. Wernz. « Morte Romani Pontificis, ait ipse, finitur officium et potestas Legati vel Nuntii Apostolici, si Legatio concessa fuerit cum clausula *Ad beneplacitum Nostrum*. Quod voluntatis beneplacitum cum morte extinguitur. At Legati potestas per mortem Romani Pontificis non cessat, si simpliciter absque huiusmodi clausula, imo forte expresse *Ad beneplacitum Sedis Apostolicae*. data sit; reputatur enim ordinaria, quae morte concedentis non tollitur, et ipsa Sedes Apostolica propter mortem sedentis non moritur » (3).

Doctrina quam tradit Wernz in se spectata rectissima est. Verum animadvertere praestat R. Pontificem in litteris Legationis numquam adhibere formulam « *ad beneplacitum Nostrum* », sed

(1) Cfr. Bargilliat. op. cit., vol. I, n. 506.
(2) Cfr. *La Gerarchia cattolica*, an. 1910, p. 467.
(3) l. c., n. 691.

aliam formulam, nimirum « *ad beneplacitum Sedis Apostolicae* ». Quapropter distinctio inducta a clariss. Wernz merito omitti potest, practice saltem loquendo.

CAPUT VII.

De Cardinalium Congregationibus.

ARTICULUS I.

Duplex Congregatio.

Bibliographia: Brancaccio F. M. *Dissertato de pactionibus Cardinalium, quae vocantur conclavis capitula*, p. 18 ss.; Fueslinus. *Conclavia Romana reservata*, p. 42: Lottini I. F., *Dissertatio de sacris Cardinalium comitiis*, p. 23 ss.: Schoenemann, *De electione Romani Pontificis*, p. 35 ss.; Barbier de Montauet X., *Le conclave et le Pape*, p, 23 ss.; Bignon H. *Traité sommaire de l'élection des Papes*, p, 63; Lector, p. cit., op. 223 ss.

Petrucelli della Gattina, *Hist. diplomat. des conclaves*, p. 31 ss. Granderath Th., *Die Papstwahl*, p. 52; Lorenz O. *Papstwahl u. Kaisertum*, p. 128; Wahrmund, op. cit., p. 268.

Summarium: 1. Verba Constitution's « *Vacante Sede Apostolica* ». — 2. Explicatio.

1. Verba Constitutionis « Vacante Sede Apostolica ». — Pius X in citata Constitutione decernit: « Tempore Sedis vacantis duplex habeatur Cardinalium Congregatio, altera *generalis*, sive totius Collegii, altera *particularis*, constans tribus Cardinalibus antiquioribus, uno ex quoque Ordine cum Camerario, quorum officium tertia die post Conclavis ingressum omnino exspirat, in eorumque locum tres alii sequentes in ordine quolibet tertio die una cum eodem Camerario succedunt.

« Volumus ut in dictis Congregationibus particularibus, quae sive ante sive post coeptum Conclave haberi poterunt, levioris dumtaxat momenti, ac in dies seu passim occurrentia negotia expediantur. Si quid vero gravioris momenti atque indaginis fuerit, id omne ad Congregationem generalem, seu ad S. Collegium Car-

dinalium deferatur. Ac ulterius, quae in una Congregatione particulari decreta, resoluta vel denegata fuerint, in alia revocari, mutari, aut concedi nequeant, sed id faciendi ius habeat ipsa tantum Congregatio generalis per pluralitatem suffragiorum.

« Suffragia in Cardinalium Congregationibus, cum de rebus gravioris momenti agatur, non ore, sed suffragiis secretis dentur.

« Inter generales Congregationes singulari mentione dignae sunt quae ante ingressum in Conclave habentur, eaedemque Congregationes praeparatoriae appellari possunt.

« Congregationes generales praeparatoriae quotidie omnino locum habere debent a die obitus Pontificis usque ad diem quo Conclave Cardinales ingrediuntur, etiam diebus, quibus exsequiae defuncti Pontificis persolvuntur, idque eo consilio fiat ut liberum sit tum Cardinali Camerario sententiam S. Collegii exquirere atque cum ipso quae necessaria vel opportuna iudicaverit, communicare, tum singulis Cardinalibus sententiam suam circa occurrentia negotia aperire. in rebus dubiis explicationes scisciitari et opportuna proponere ».

2. **Explicatio.** — 1° Tempore vacationis durante, duplex haberi debet Cardinalium Congregatio: *generalis* scilicet seu totius Collegii, et *particularis*.

2° Congregatio *particularis* constat Cardinali *Camerario* ac *tribus Cardinalibus antiquioribus* ex unoquoque Ordine sc. diaconali, presbyterali et episcopali selectis.

3° Eorum officium tertia die post Conclavis ingressum cessat omnino, quorum in locum succedunt tres alii sequentes immediate in Ordine una cum Camerario.

4° Post tres dies horum quoque officium exspirat, et alii ordine praedicto succedunt, semper tamen una cum Cardinali Camerario. Quod et deinceps servandum erit.

Omnes Congregationes tum particulares Capitum Ordinis, quum generales totius S. Collegii haberi debent in Palatio Vaticano. Id expresse decernit art. 17 Instructionis adiectae Constit. « *Praedecessores Nostri* » Leonis XIII.

ARTICULUS II.

MUNERA DUPLICIS CONGREGATIONIS PRAEDICTAE.

Bibliographia: BRANCACCIO F. M., l. c.: FUESLINUS, l. c.; LOTTINI op. cit., p. 35 ss.

BARBIER DE MONTAUET X., op. cit., p. 45 ss.; LECTOR, l. c.; PETRUCELLI DELLA GATTINA, op. cit., p. 81 ss.

GRANDERATH TH. l. c.; LORENZ O., op. cit. p. 164 ss.; WARHMUND, l. c.

Summarium: 1. Verba Constitutionis Pii X. — 2. Explicatio.

1. Verba Constitutionis Pii X. — « In memoratis Congregationis generalibus haec praecipue negotia expedienda sunt:

a) In primis Congregationibus integre legendae erunt tum praesens haec, quum superius memoratae Constitutiones « *Commissum Nobis* » de civili *Veto* seu *Exclusiva,* uti vocant, in electione Summi Pontificis, a Nobis edita, et Leonis XIII « *Praedecessores Nostri* », cum adiecta Instructione: iisdemque perlectis, iusiurandum ab omnibus Cardinalibus praesentibus iuxta praescriptam formulam praestandum. Quod iusiurandum pariter emittere tenentur omnes alii Cardinales, qui serius ad locum electionis pervenerint, sive nondum sive iam incoeptis Comitiis.

b) Cardinales quam cito ea omnia decernere ac disponere debent quae ad Conclave inchoandum urgentiora sunt.

c) Constituendus est dies, hora ac modus, quo corpus defuncti Pontificis transferatur.

d) Item Cardinales omnia opportune paranda curabunt, ut diebus statutis Pontificiae exsequiae solvantur.

e) Deputentur duo viri ecclesiastici, qui orationes « *De Pontifice defuncto* » et « *De eligendo Pontifice* » recitare debeant.

f) Constituatur dies quo, si ab ipsis petatur, tum Legatis civilium Regiminum tum Equitibus Ordinis Hierosolymitani S. Collegium conveniendi aditus detur. Praedicti autem Legati nonnisi simul Congregati admittantur neque singulis facultas in posterum concedatur S. Collegium adeundi.

g) Nominentur singulares duorum vel trium Cardinalium coetus, vulgo *Commissiones* *α)* pro inquisitione de qualitatibus Conclavistarum eorumque approbatione, itemque pro eorum designatione, qui Conclavi inservire debeant, *β)* pro constructione et clausura Conclavis, ac pro cellarum dispositione.

h) Proponantur atque approbentur expensae Conclavis.

i) Epistolae Imperatorum, Regum aliorumque civitatum Moderatorum, item Nuntiorum relationes, omniaque alia, quae S. Collegii interesse possint, cum ipso communicentur.

k) Perlegantur, si quae sint, documenta a defuncto Pontifice Sacro Cardinalium Collegio relicta.

l) Frangantur Annulus Piscatoris et Plumbum Cancellariae Apostolicae. Pro Datarius autem vel Sub-Datarius, et Secretarius Brevium vel eius Substitutus supplicationes gratiarum, quae penes ipsos sunt, sub sigillo clausas Sacro Collegio tradant.

m) Cellae Conclavis Cardinalibus sorte distribuantur » (Tit. I. cap. II, n. 71).

2. **Explicatio.** — 1° Integre legi debent in primis Congregationibus *a*) Constitutio « *Vacante Sede Apostolica* »; *b*) Constitutio « *Commissum Nobis* », qua civile *Veto* proscribitur ac sub excommunicationis poena latae sententiae omnino damnatur; *c*) Constitutio Leonis XIII « *Praedecessores Nostri* »; *d*) Instructio, vulgo *Regolamento*, praedictae Constitutioni « *Praedecessores Nostri* » adiecta.

2° Perlectis Constitutionibus, omnes Cardinales praesentes tenentur iuramentum emittere iuxta hanc formulam: « Nos Episcopi, Presbyteri et Diaconi S. R. E. Cardinales promittimus, vovemus et iuramus inviolabiliter et ad unguem omnes et singulos Nos esse observaturos contenta omnia in Constitutione Summi Pontificis Pii Decimi *De Sede Apostolica vacante et de Romani Pontificis electione,* quae incipit « *Vacante Sede Apostolica* », data die vigesima quinta Decembris anno millesimo nongentesimo quarto ; necnon in Constitutionibus « *Commissum Nobis* » de civili *Veto* seu *Exclusiva* uti vocant, in electione Summi Pontificis, ab eodem Pio Decimo data die vigesima Ianuarii eiusdem anni millesimi nongentesimi quarti, ac Leonis XIII « *Praedecessoris Nostri* » cum adiecta Instructione: data die vigesima quarta Maii anno millesimo octingentesimo octogesimo secundo. Item promittimus, vovemus, et iuramus, quod quilibet ex Nobis in Romanum Pontificem, Deo sic disponente, erit assumptus, iura etiam temporalia, praesertim de civili Romani Pontificis principatu, libertatemque Sanctae Sedis integre ac strenue adserere et vindicare nunquam desistet, atque eamdem hanc pro-

missionem et iusiurandum, post eius ad Summi Pontificatus fastigium assumptionem, rursus praestabit.

« Praecipue autem promittimus et iuramus, sub poenis in praedicta Pii Decimi Constitutione « *Vacante Sede Apostolica* » statutis, Nos accuratissime et quoad omnes, etiam familiares seu Conclavistas nostros, secretum esse servaturos in iis omnibus, quae ad electionem Romani Pontificis quamodolibet pertinent, et in iis quae in Conclavi seu in loco electionis aguntur, neque secretum praefatum, quoquomodo violaturos, sive ipso Conclavi durante, sive etiam post novi Pontificis electionem, nisi peculiaris facultas aut expressa dispensatio ab eodem futuro Pontifice Nobis tributa fuerit; itemque nullo modo a quavis civili potestate, quovis praetextu, munus proponendi *Veto* sive *Exclusivam,* etiam sub forma simplicis desiderii, esse recepturos, ipsumve hoc *Veto*, qualibet ratione Nobis cognitum, patefacturos, sive universo Cardinalium Collegio simul congregato, sive singulis purpuratis Patribus, sive scripto, sive ore, sive directo ac proxime, sive oblique ac per alios, sive ante Conclave sive ipso perdurante; nullique interventui, intercessioni, aliive cuilibet modo, quo laicae potestates cuiuslibet gradus et ordinis voluerint sese in Pontificis electione immiscere, auxilium vel favores praestituros ».

Hanc formulam Cardinalis Decanus coram omnibus Cardinalibus iubeat a Praefecto Caeremoniarum elata voce legi. Deinde singuli Cardinales dicent:

« *Et Ego N. Cardinalis N. spondeo, voveo, ac iuro* ».

Et imponentes utramque manum super Evangelium, adiungent:

« *Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia* ».

3° Etiam Cardinales qui serius ad locum electionis pervenerint, sive Comitia incoepta sint sive non, tenentur praedictas Constitutiones perlegere ac iuramentum, ut supra, praestare.

4° Cardinales ea omnia decernere ac disponere quam cito debent, quae urgentiora videntur ad Conclave inchoandum.

5° Determinari debet dies, hora ac modus quo defuncti Pontificis cadaver sit transferendum.

6° Cardinales omnia opportune disponere tenentur, ut diebus statutis fiant exsequiae in suffrgium animae Pontificis defuncti, quae per novem continuos dies persolvendae sunt.

7° Duo viri ecclesiastici scientia ac pietate praeclari eligi debent, quorum alter orationem funebrem, uti aiunt, latino sermone habeat *de Pontifice defuncto* ultimo die exsequiarum, alter pariter idiomate latino orationem recitet *de Pontifice eligendo* post Missam celebratam de Spiritu Sancto, exsequiis novendialibus persolutis.

8° Si Legati Statuum qui diplomaticas cum Sede Apostolica relationes habent, vel Equites Ordinis Hierosolymitani adire velint Sacrum Collegium, Cardinales diem constituant ad hunc effectum. Notandum porro praedictos Legatos nonnisi *simul congregatos* esse admittendos, neque singulis in posterum posse licentiam concedi Sacrum Collegium adeundi.

9° Nominari debent coetus singulares seu *Commissiones* ex duobus aut tribus dumtaxat Cardinalibus, eo fine ut inquirant de qualitatibus Conclavistarum ac de eorum approbatione, ut personas seligant quae Conclavi debeant inservire, insuper ut omnia rite decernant ac disponant quae constructionem et clausuram Conclavis respiciunt, nec non cellarum dispositionem.

10° Proponi atque adprobari debent expensae Conclavis, de quibus infra.

11° Epistolae, si quae sint, imperatorum, regum aliorumque civilium principum, nec non litterae Nuntiorum aut Apostolicorum Delegatorum, et alia omnia documenta quae interesse possunt Sacri Collegii, oportet cum eo, nulla mora interiecta, communicentur.

12° Si defunctus Pontifex, ut communiter fieri solet, documenta Sacro Collegio reliquerit, eadem sunt quam primum in Congregatione perlegenda, ut singuli Cardinales agnoscant quaenam fuerit ultima mens seu Pontificis voluntas.

13° Annulus Piscatoris et Plumbum Apostolicae Cancellariae frangi debent. Vide inferius de annulo ac de plumbo.

14° Datarius autem vel Subdatarius (1), nec non Secretarius Brevium atque eius Substitutus tradere debent Sacro Collegio sub sigillo clausas gratiarum petitiones, quas forte apud se retineant.

15° Cellae Conclavis sunt Cardinalibus sorte distribuendae, ut decrevit Pius IV in Constit. « *In eligendis* »: « Mandamus quoque quod cellae Conclavis, Cardinalibus sorte distribuantur, nec liceat

(1) Cfr. vol. I, p. 468.

eas etiam infirmitatis praetextu mutare, aut desuper aedificare, vel illas dilatare: sed quilibet, etiam Decanus, sit sua sorte contentus ».

Quae huc usque diximus, Congregationes Cardinalium *generales* respiciunt.

Congregatio *particularis*, quae sive ante sive post incoeptum Conclave haberi potest, nonnisi levioris momenti negotia ac in dies, ut ita dicamus, occurrentia expedire valet. Ea omnia quae gravioris sunt momenti, ad Congregationem generalem, id est ad ipsum Cardinalium Collegium transmittantur. Sedulo animadvertere praestat, ea quae in una Congregatione particulari decreta, vel resoluta aut denegata fuerunt, in alia Congregatione revocari, mutari aut concedi nullo pacto posse. Ius, si casus ferat, id faciendi ad generalem dumtaxat spectat Congregationem, pluralitate suffragiorum inspecta (1).

CAPUT VII.

De iis quae Sede vacante occurrunt.

ARTICULUS I.

De annulo Piscatoris ac de Plumbo frangendis.

Bibliographia: Allatius, *De consensione utriusque ecclesiae*, lib. I, cap. 6; Barthel. *Opuscula iuridica*, p. 54; Brovius, op. cit., p. 66 ss.; Camarda, *Constit. Apost.*, etc., p. 128 ss.; Casalius, *De veteribus sacris christianorum ritibus*, Romae 1645; Mabillon, *De re diplomatica*, lib. II., c. 14; Mamachi, *Originum et antiquitatum cristianarum, libri XX.*, Romae 1752; Panvinius, *Epitome vitarum RR. Pontificum a S. Petro usque ad Paulum V*, Venetiis 1567; eiusdem auctoris. *De varia creatione Papae, sive Romanorum Pontificum, libri V*, Patavii 1648; Passerini, *De electione Summi Pontificis*, p. 123 ss.; Turrecremata, op. cit., p. 68.

Alalcona P., *Descrizione dei funerali d'Innocenzo X*; Ceccaroni A., *Il conclave. Storia, costituzione, cerimonie*, p. 225 ss.; Firmano C., *Novendiali esequie di Pio IV*; Moroni, op. cit., vol. I., p. 60 ss.; Mucanti, *Descrizione del funerale di Gregorio XIII*; Lunadoro, op. cit., p. 12.

Lector, op. cit., p. 123.

---

(1) Cfr. Constit. « *Apostolatus officium* », Clementis XII, § 37.

Summarium: 1. Annulus Piscatoris. — 2. Plumbum Cancellariae Apostolicae.

1. **Annulus Piscatoris.** — Annulus Piscatoris est sigillum quoddam ex cera rubra, quo Brevia signari solent. Nuncupatur *annulus Piscatoris,* quia continet imaginem divi Petri eo modo impressam quo e navicula in mari ipse piscari solebat.

Primaeva huius annuli origo sub tenebris adhuc delitescit, ut merito asserit Mabillon (1). Qua de causa perperam omnino Ferraris (2) putat Sanctum Petrum Annulo piscatoris usum fuisse.

Prima vice mentio de eodem occurrit in litteris quas Clemens IV an. 1265 ad nepotem Egidium Gros misit, in quibus Pontifex ait: « Non scribimus tibi, neque sanguineis nostris sub Bulla, sed sub Piscatoris sigillo, quo Romani Pontifices in suis secretis utuntur ». Quibus ex verbis merito deducitur Pontifices annulum Piscatoris primitus adhibuisse tantum pro litteris suis privatis signandis, minime vero pro aliis publicis documentis. Quo tempore praecise mos invaluerit Piscatoris annulo Brevia signandi, non autem privatas Pontificum epistolas, absoluta certitudine affirmari non potest, cum documenta desint.

Attamen extra dubium penes historiae auctores id est, nimirum inde saltem a saeculo XV praedictum morem inductum fuisse. Et sane: *a*) Callistus III Breve ad Comitem Fundi misit *sub Annulo Piscatoris*, die 1 febr. 1457, et aliud ad Nuntium Hungariae *sub Annulo Piscatoris*, die 25 octobris 1457; *b*) Pius II Epistolam ad regem Francorum Carolum VII scripsit *apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris,* die 24 octob. 1458; *c*) Innocentius VIII peculiarem deputavit ecclesiasticum virum a secretis, pro Brevibus exarandis *sub Annulo Piscatoris* ad reges, principes, episcopos aliasque personas in dignitate constitutas; *d*) Leo X Breve ad Carolum Aragoniae regem misit *sub Annulo Piscatoris,* die 25 febr. 1516.

« L'Anello Pescatorio veniva famigliarmente usato dal Pontefice: ora è custodito dal prelato maestro di camera, e lo si spezza avvenuta che sia la morte di ciaschedun Papa. In tal circostanza un notaio della camera, genuflesso, dopo aver letto l'istrumento della ricognizione del cadavere e di aver ricevuto da monsignor maestro di camera l'Anello, lo consegna in una borsa al Cardinal

(1) De re diplomatica, lib. II, c. 14, § 11.

(2) Op. cit. v. *annulus.*

Camerlengo, il quale nella Congregazione generale adunata nella stanza de' paramenti, lo passa al primo maestro di cerimonie, dal quale si rompe insieme col sigillo di piombo delle bolle » (1).

Mos frangendi Piscatoris annulum, Pontifice defuncto, probabilius inde ab obitu Leonis X, kal. dec. 1521 invaluit.

Et sane auctor Iaconius (2) scribit: « Defuncto Pontifice, rumpi solet hic Anulus uti et plumbum, qui mos fortasse a Leonis X obitu primum cœpit ».

Post Leonem X constat annulum Piscatoris fractum fuisse, morte occurrente Pii IV an. 1564, teste Cornelio Firmano (3), Gregorii XIII an. 1585, teste Francisco Mucanti (4), Gregorii XIV an. 1591, teste Paulo Alalcona (5), Innocentii X an. 1655, prout idem Paulus Alalcona asserit (6).

Clemens XII consuetudinem frangendi Piscatoris annulum explicite confirmavit chirographo suo diei 24 dec. 1732 hisce verbis: « *Vogliamo ed ordiniamo... che si franga l' anello piscatorio...* ».

Annulus Piscatoris traditur Pontifici in ipsomet die electionis; eum Cardinales in signum obsequii primae adorationis, ut aiunt, exhibent. Cardinalis Camerarius illum in digitum immittit Pontificis electi, qui eumdem tradit primo Caeremoniarium magistro, ut nomen imprimendum curet a Papa assumptum.

2. **Plumbum Cancellariae Apostolicae.** — *Plumbi* nomine venit sigillum quo Romani Pontifices iam ab antiquis temporibus consueverunt Bullas ac Brevia signare.

Controvertitur inter Auctores quanam aetate mos primum invaluerit plumbum adhibendi. Non desunt nonnulli qui tribuant Silvestro I, quorum tamen sententia videtur prorsus reiicienda. Alii probabilius tribuunt vel Honorio I an. 625 vel Deus desdit an. 615. Adrianus I vero an. 772 mandavit ut in posterum Bullae pontificiae non sigillo ex cera signarentur, sed sigillo plumbeo.

---

(1) Cfr. Moroni, *Dizionario*, etc. vol. I, p. 62.
(2) Op. cit., p. 46.
(3) *Novendiali esequie di Pio IV*, p. 10.
(4) *Descrizione del funerale di Gregorio XIII*, p. 6.
(5) *Memorie dell'esequie di Gregorio XIV*, p. 5.
(6) *Descrizione dei funerali d'Innocenzo X*, p. 3.

Romano Pontifice defuncto, sigillum Cancellariae Apostolicae frangi debet una cum Piscatoris annulo. Non constat certo quo tempore primum haec consuetudo inoleverit.

Clemens XII in chirographo 24 dec. 1732 praxim praedictam ratam habuit et confirmavit, decernens: « Vogliamo ed ordiniamo... che li presidenti del piombo consegnino l'impressorio del piombo delle Bolle, che parimenti verrà infranto ».

Quaeri solet ab auctoribus cur in Plumbo Sanctus Paulus a dextris, Petrus vero a sinistris exhibeatur. Nec id recens inventum, cum eiusmodi ordo in veterrimis quoque picturis deprehendatur, ut probant non modo priscae icones quamplures, sed etiam ostendit Petrus Damiani, qui ea de re opusculum edidit (1).

Allatius (2) argumentum accurate evolvit, varias auctorum sententias expendens, quibus relatis, dein concludit, id factum fuisse ex varia positione ecclesiarum, quarum aliae primitus Occidenti, aliae Orienti obversae erant. Ex hac enim dispositione factum est, ut quae aditum ab Oriente habebant, altare ad Occidentem haberent; illis pars australis esset sinistra, aquilonaris dextra; sed imagines Sanctorum ingredientibus obversae contrarium tenuerunt ordinem; nam Petri effigies, quae ad Austrum erat, ad dexteram Pauli cuius imago ad Aquilonem, mansit. Cum vero ista ecclesiarum positio, quae Antiochiae primum dein Romae ab initio instituta est, mutata in aliam fuisset, quae hodie communis est, altari ad Orientem converso, retentus fuit idem ordo in collocandis imaginibus. Quapropter Petri effigies, quae antea erat ad dexteram Pauli, ob oppositam conversionem ad sinistram evasit.

Auctor Mabillon (3) hac de re scribit: « Existimo hanc Petri et Pauli imaginum positionem in ecclesiis nostris recte conciliari et explicari posse ex varia conversione earum et populi assistentis. Nam si imagines illas conferas, Petri effigies, quae ad latus epistolae seu australe statui solet, Paulo quidem sinistra est: sed populo assistenti dextra. Huius vero ad populum conversionis in eo ordine habitam fuisse rationem inde intelligimus quod in variis sigillis, quae litteris publicis apponi solent, ea apud veteres habita

(1) Opusc., 35.
(2) *De consensione utriusque ecclesiae*, lib. I, cap. 6, n. 1 ss.
(3) *De re diplomatica*, lib. II, cap. 14, n. 13.

est ratio, ut qui dignitate praeeminet, in medio, qui alter ab eo est, in extremo sigillum habeat; tertius initio chartae, unde scriptura ducit initium; propterea quod legentibus seu intuentibus dexter est qui extremum chartae occupat latus, sinistrum qui aliud... Idem dicendum de Petro et Paulo in bullis pontificiis ».

Cum annulus Piscatoris et Plumbum Cancellariae Apostolicae franguntur, documentum authenticum de huiusmodi actu confici debet, in archivo Aedium Vaticanarum asservandum.

ARTICULUS II.

De iure numismata cudendi.

Bibliographia: Lunadoro, l. c.; Damiati, *Nozioni di numismatica*, p. 125 ss.; Moroni, op. cit. vol. XV. p. 308.
Lector, op. cit. p. 262.

Summarium: 1. De iure Card. Camerarii. — 2. De iure quorumdam aliorum. — 3. Origo historica.

1. **De iure Card. Camerarii.** — Neminem latet Card. Camerarium, ad quem de iure spectat rerum administratio Sedis Apostolicae vacantis, facultate pollere tum numismata cudendi, quum aes, argentum aurumve publice signandi sub hac inscriptione « *Sede vacante* an.... » (1).

2. **De iure quorundam aliorum.** — Antistes Pontificiae Domui praepositus, qui Conclavis gubernator de iure est, eodem pollet iure, cudendi scilicet numisma aenea vel argentea.

---

(1) « Sua Eminenza reverendissima il signor Card. Luigi Oreglia di S. Stefano, Decano del S. Collegio e Camerlengo di S. R. C. ha fatto coniare, come di consueto, la medaglia della S. Sede. La medaglia, finissimo lavoro del cavalier Francesco Bianchi, incisore dei Sacri Palazzi Apostolici, misura trentotto millimetri di diametro. Nel diritto è rappresentato lo stemma dell'eminentissimo Card. Oreglia, consistente in una targa di stile del 1400, nel cui centro è un leone rampante in campo azzurro; la targa è sormontata dalla Croce Arcivescovile, sopra cui sta il Cappello Cardinalizio: intorno è la scritta: *Aloisius Card. Oreglia. A. S. Stephano, S. R. E. Camerarius.* Nel rovescio è rappresentato il padiglione sotto il quale sono le chiavi, ed intorno la scritta: *Sede vacante* e sotto MDCCCCIII Nel basso, il nome dell'incisore, *Bianchi* ». (*Osservatore Romano,* 26 luglio 1903, n. 166).

1. Item Conclavis Mareschallo ius est cudendi numismata aenea, argentea vel aurea (1).

2. Idem ius olim ad Praelatum Auditorem Reverendae Camerae Apostolicae, nec non ad thesaurarium generalem spectabat.

3. **Origo historica.** — Cum in Aedibus Vaticanis Conclave locum habere coepit, nulli fas erat in Urbem Leoninam, ubi Palatium Apostolicum situm est, se conferre, nisi peculiari quodam signo seu numismate quisque munitus esset, in signum, ut aiunt, recognitionis (2). Hinc mos invaluit numismata cudendi.

ARTICULUS III.

De exsequiis Pontificis defuncti.

Bibliographia: *Acta Caerem.*, p. 447; Paris de Grassis, *De morte et funere Julii II;* Papebrochius, *De exsequiis Romanorum Pontificum*, Romae 1745.

Alalcona P., l. c.; Ceccaroni, op. cit., p. 52 ss.; Firmano, l. c.; Lunadoro, op. cit., p. 15 ss.; Moroni, op. cit., vol. VI., p. 206; Mucanti, l. c., Lector, op. cit., p. 137 ss.

Summarium: 1. Cadaver Pontificis defuncti. — 2. Eiusdem praecordia. — 3. Ritus funerum. — 4. Oratio in laudem Pontificis.

1. **Cadaver Pontificis defuncti.** — Corpus Pontificis defuncti postridie ab obitu sectum balsamo et aromatibus condiri solet; die vero sequenti, alba, tunica talari, pallio ac laneo pilleo

---

(1) « Il maresciallo del Conclave fa coniare medaglie d'argento, di mistura, ed anche di oro, delle quali ne dà una agli ambasciatori, che con solenne pompa si recano al conclave. Nel diritto evvi l'iscrizione: *Augustinus Princeps Aloisius S. R. E. Mareschallus Perpetuus MDCCCXXIX.* Nel rovescio il suo stemma della quercia e dei sei monti con la stella, inquartato quello della principessa consorte, col padiglione e due chiavi incrociate sotto alla corona, e manto ducale, siccome discendente da famiglia che ha avuto un Pontefice; mentre vi sono altre due chiavi più grandi, che sono l'insegna propria del maresciallo del Conclave, e pendenti dai due lati della targa... ». Moroni, op. cit., vol. XV, p. 308.

(2) « L'origine delle medaglie rimonta all'epoca, in cui si usò celebrare il Conclave nel palazzo Vaticano, quando non si poteva andare alla *Città Leonina,* ossia regione di Borgo, ove il Vaticano ritrovasi, senza presentare un segno all'imboccatura del ponte S. Angelo ed all'imboccatura degli altri ponti che danno accesso al Vaticano per la regione cosidetta di Trastevere ». Damiati, *Nozioni di numismatica*, p. 128.

aures tegente indutum, ponitur super lecto; Poenitentiariis interim Basilicae Vaticanae psallentibus et assiduas Deo pro defuncti Pontificis anima preces fundentibus, venerandum cadaver a pluribus praesertim ex Patricio Ordine civibus conspicitur.

Labente vero die cadaver, vestibus prius, quibus inter domesticas parietes Pontifices exornari solent, detractis, a Poenitentiariis supparo, amictu, alba, succintorio, fanone, levi tunica, dalmatica, casula, pallioque induitur, sacrisque infulis obtecto capite defertur super feretro gestatorio, facibus quaquaversum ardentibus a Palatio Apostolico ad Sacellum SS. Sacramenti in Basilica Principis Apostolorum per secretas scalas, quae a Sacello Sixtino ad Basilicam ducunt.

Praeeunt domestici Equites cum facibus; feretrum super humerum ferunt pontificiae sedis gestatores, quod nobiles custodes Sacri Palatii et Poenitentiarii minores Basilicae psalmos recitantes et faces ardentes in manibus gerentes comitantur. Inde sequuntur primo Praesules domus Pontificiae et cubicularii participantes una cum Ducibus Custodum sacri lateris, postea Sacrum Collegium pariter cum facibus, et post Eminentissimos Patres, Principes Pontificio solio adsistentes aliique plures ex patricio Ordine; tandem cubicularii a secretis et honorarii.

Hinc inde ad funebris comitatus latus militum cohors incedit. In sacello SS. Sacramenti adstant cum facibus Eminentissimus ac Reverendissimus Cardinalis, Vaticanae Basilicae archipresbyter, Capitulum et clerus. Feretrum in medio Sacelli deposito, consueta absolutio peragitur.

Absoluta funebri caeremonia, sacrum cadaver ibi ad pium defuncti Pontificis pedum osculum, quatriduo fidelium illuc undique confluentium manet expositum.

Novendialibus de more peractis, vespertino tempore sacrum Antistitis cadaver a Sacello SS. Sacramenti, praecedente Cruce, eiusdemque Basilicae capellanis et presbyteris psalmum *Miserere*, feriali cantu dicentibus, ad Cappellam chori transfertur, ibique, adstantibus S. R. E. Eminentissimis Patribus ab eodem Pontifice creatis, nec non eiusdem Basilicis reverendissimis canonicis, tumulo traditur cum hisce caeremoniis.

Unus ex sacrosanctae Basilicae canonicis, qui episcopali sit insignitus charactere, stola et nigro pluviali indutus, cum alba

mitra, recitata a cantoribus antiphona *In paradisum deducant te Angeli* etc., orationem dicit: *Deus qui fundasti,* etc.; dein Pontificis corpus et tumulum aqua benedicta aspergit; postea aliae iuxta Ritualis praescriptum orationes pro defuncto Antistite recitantur.

Interim capsis cupressina, plumbea et castanea a cornu Evangelii chori positis, quatuor ex Basilicae presbyteri cadaver in capsa cupressina parata super culticula bambicina rubra, ac duobus pulvinis reponunt; Praefectus Sacri Palatii Apostolici serico albo apprime concinnato defuncti Antistitis faciei et manibus superposito extremos in Pontificem honores effundit. Postea idem Praefectus Sacri Palatii Apostolici manticulam coccineam more novo elaboratam extincti Pontificis ante sinistrum pedem deponit, in qua occludit tres chartas cum nonaginta sex numismatibus, nempe triginta duobus aureis, triginta duobus argenteis, et triginta duobus aeneis; et insuper tubum ferreum album cum pergamena, in qua scriptum adest elogium Pontificis defuncti.

Dein corpus cum reliquo redundanti strato serico cooperitur, dicta capsa cupressina, operculo a fabris lignariis clausa et amento serico violaceo circumducta, super quo in cera hispanica liquefacta Cardinalis Camerariis, adstante integro Collegio Clericorum Camerae Apostolicae, duo sigilla imprimenda curat; alia duo Praefectus Sacri Palatii Apostolici; unum Cardinalis archipresbyter Basilicae S. Petri; unum Capitulum Vaticanum.

Postea in aliam plumbeam capsam immittitur, cuius operculum a capite crucem offert, in medio gentilitium Pontificis Insigne vel quodvis aliud signum cum brevi de vita Pontificis inscriptione, v. gr.: « Corpus Pii IX Pontificis Maximi. Qui vixit annos octoginta quinque, menses octo, dies vigintiquinque, praefuit Ecclesiae annos triginta unum, menses septem, dies viginti duos, decessit septimo Idus februarii, anno Millesimo octogentesimo septuagesimo octavo ».

Ad pedes vero mortis effigies poni solet. Deinde in capsa plumbea stamno undique obtecta, duo sigilla item Cardinalis Camerarius imprimit; duo Praefectus Sacri Palatii Apostolici, decussatim in angulis; unum Cardinalis Archipresbyter Basilicae, a cornu dextro, et unum Capitulum Vaticanum, a cornu sinistro.

Denique haec plumbea capsa, immissa in aliam ligno castaneo constructam, clauditur per baiulos et fabros murarios Rev. Fa-

bricae S. Petri, et in loco per eosdem fabros murarios apposite excavato cadaver asservandum reconditur, cum inscriptione in exteriore parte dicti muri instar urnae confecti, v. gr. *Leo XIII Pontifex Maximus.*

De hisce omnibus authentica attestatio confici debet per Cancellarium Sacrosanctae Basilicae Vaticanae, subsignanda tum ipsi quum clericis Camerae Apostolicae aliisque testibus, asservanda in archivo Capituli Vaticani.

« Spirato appena il Sommo Pontefice, il Cardinale Camerlengo di S. R. Chiesa, con avviso ricevuto dal maestro di cerimonie, vestito d'abito paonazzo, si reca col tribunale e coi chierici della reverenda camera, previo l'invito fatto dai cursori, al palazzo apostolico, ed accompagnato dai detti prelati, vestiti di nero, con rocchetto liscio senza merletto, viene introdotto nella camera del defunto Pontefice, ove lo trova a giacere sul medesimo letto, in cui rese l'anima a Dio; col volto coperto d'un fazzoletto bianco, ed assistito dai penitenzieri di S. Pietro, per la recita delle consuete preci della Chiesa, fatta dal Cardinale genuflesso sopra un cuscino violaceo, breve orazione. gli aiutanti di camera del defunto gli scoprono il volto, ed allora avvicinatosi il Camerlengo al letto, con un martellino d'argento batte per tre volte sul cranio del cadavere, ed altrettante volte con chiara voce lo chiama per nome, e poi si rivolge agli astanti, ai quali dice che *il Papa è realmente morto.* Quindi, coi nominati prelati, recita ad alta voce il salmo *De profundis* ecc. con l'orazione *absolve* etc., ed asperge il cadavere con acqua benedetta... È da avvertire che passando avanti al cadavere del Sommo Pontefice, finchè sta sopra terra, si fa la genuflessione come se fosse vivente.

« Le altre ricognizioni del cadavere del Papa, cuoprimento e scuoprimento del volto, si fanno prima di chiuderlo nella cassa, ed in occasione del trasferimento di esso dalla Basilica Vaticana in altra chiesa. Nel terzo giorno delle esequie novendiali, il cadavere del defunto Pontefice, con l'assistenza del Cardinal Camerlengo, dei chierici di camera, dei Cardinali dal medesimo creati, e con l'intervento del Capitolo Vaticano (il cui decano vestito pontificalmente fa la funzione), all'imbrunire del giorno, dalla cappella del SS. Sacramento, si trasporta in quella del coro di

detta basilica, ove dopo le consuete preci ed assoluzioni, si pone vestito come è dei sacri ornamenti, dentro una cassa di cipresso, con tre borse di velluto cremisi guernite di oro, in ciascuna delle quali vi sono venti medaglie, cioè d'oro nella prima, d'argento nella seconda, di rame o metallo nella terza, con la effigie del Papa, vale a dire quelle coniate nel suo Pontificato... Indi riconosciuto il cadavere, gli si cuopre il volto con un velo o fazzoletto di lino bianco dal Cardinal nipote, o altro Porporato congiunto del Pontefice, ed in mancanza di questo, esercita tale atto il maggiordomo Pontificio, al quale parimenti incombe coprir le mani del cadavere con un velo d'ormesino bianco, mentre altro velo parimente bianco si distende dal prelato maestro di camera. Il Cardinale più antico creato dal defunto, alla presenza delle altre creature, con l'assistenza dei maestri di cerimonie, ricopre tutto il corpo con un altro gran velo rosso, ed allora ripiegasi la coltre del cadavere stesso e si pone il coperchio della cassa... » (1).

Cadaver Pontificis solet exenterari atque balsamo repleri. Iulius II vita functus die 21 febr. 1513 primus Pontifex fuit, cuius corpus post mortem exenteratum atque balsamo conditum fuisse constat. Caeremoniarius enim (2) diserte statuit ut « chirurgus exenteret corpus, quod etiam repleatur balsamo ».

Mos tamen exenterandi atque balsamo replendi cadaver Pontificis defuncti non semper fuit retentus atque in usum constanter deductus. Id saltem historice haud constat.

Nihil v. g. constat de Leone X, de Paulo III, de Iulio III, de Marcello II. De Paulo IV, vita functo 18 aug. 1559, auctor Firmanus testatur (3): « Paulus IV mortuus, in eadem camera, in qua obierat, fuit scissus, mundatus et indutus consuetis paramentis ». Pariter de Pio IV, m. 10 dec. 1565, legitur (4): « Corpus ante cameram consistorii fuit incisum, et adaptatum secundum morem. Deinde fratres Plumbatores lavaverunt illud, et balsamo unxerunt ».

---

(1) Moroni, op. cit., vol. VI, p. 200 ss.
(2) Paris de Grassis, *De morte et funere Iulii II*, *Acta Caerem.*, p. 436.
(3) *Acta Caerem.*, p. 447.
(4) L. c., p 457.

Cadaver Gregorii XIII, m. 10 april. 1585, constat lavatum dumtaxat fuisse (1). Dum e contra corpus Gregorii XIV, m. 15 oct. 1591 « fuit lotum postquam fuit apertum, et fuit accommodatum cum rebus necessariis »; cadaver Gregorii XV, m. 8 iul. 1623 « fuit apertum, lotum et indutum »; cadaver Innocentii X, qui diem supremum obiit 7 ian. 1655 « fuit traditum in manus chirurgi, et apertum, lotum, et accommodatum de more ».

Inde ab Innocentio X, mos aperiendi ac balsamo cadaver Pontificis ungendi constanter servatus fuit.

Cadaver autem Pontificis indui debet sacris vestibus rubei coloris, scilicet sandalis albis, cinctorio, fano, stola, tunicella, manipulo, dalmatica, chirothecis, planeta, pallio de corpore B. Petri sumpto.

« Eseguita la lavanda, sezione ed imbalsamazione del cadavere del defunto Pontefice, dai penitenzieri si veste degli abiti usuali, cioè sottana bianca, fascia coi fiocchi d'oro, rocchetto, mozzetta, camarro rosso e stola, si espone alla pubblica vista, sopra un letto funebre, sovrastato da baldacchino, ricoperto di coltre rossa di broccato d'oro, in una delle Pontificie anticamere, che suol esser quella ove si aduna il concistoro (2).

Hac in re peculiares temporum consuetudines attendantur.

2. **Praecordia Pontificis defuncti.** — Nomine *praecordium* veniunt « il cuore, le viscere e interiora del corpo del Papa divenuto cadavere » (3).

Consuetudo praecordia Pontificis defuncti servandi eaque in loco sacro reponendi intime connectitur cum memorata superius consuetudine de cadavere aperiendo ac balsamo inungendo. « Le interiora, o precordii, si separano, ed imbalsamate si pongono entro un vaso ben sigillato, per trasportarsi alla chiesa dei SS. Vincenzo ed Anastasio a Trevi, già parrocchia del Palazzo Pontificio di Montecavallo, qualora il Papa muoia al Quirinale, mentre se cessa di vivere al Vaticano, anche i precordii si portano nella Basilica di S. Pietro » (4).

---

(1) *Acta*, p. 449.
(2) Alalcona, op. cit., p. 35.
(3) Lunadoro, op. cit., p. 18.
(4) Moroni, op. cit., vol. VI, p. 202.

Leo XII vero statuit ut non modo praecordia Pontificum quos in Palatio Quirinali decedere contingat, sed illorum etiam qui in aedibus Vaticanis vita funguntur, deferantur in ecclesiam SS. Vincentii et Anastasii, ibique honorifice sepeliantur.

Benedictus XIV capellam seu oratorium subtus altare maius in praedicta ecclesia aedificari iussit pro recipiendis servandisque debito honore RR. Pontificum praecordiis.

3. **Ritus funerum.** — Exsequiae Pontificis defuncti *novendiales* nuncupantur quia *novem* diebus persolvuntur.

Mos novendialium funerum perantiquus procul dubio est, licet eruditi viri minime conveniant quoad epocham praecise determinandam qua primum reapse incoeperit.

De exsequiis novendialibus diserte loquitur Pius IV in Constit. « *In eligendis* », qui plura circa easdem statuit, nimirum:

a) ultra novem dies nullo praetextu nullaqua ratione sunt protrahendae;

b) dies exsequiarum decurrunt quamvis aliquod festum solemne celebretur, ita ut nono die exsequiae sint absolvendae ac dies intermissi in numerum novem dierum computandi;

c) exsequiae solemniter quidem, prout pontificalis dignitas postulat, sunt peragendae, verum superflui sumptus omitti prorsus debent, ita ut earumdem impensae summam decem millium ducatorum non excedant;

d) summa praedicta decem millium ducatorum potest a Sacro Cardinalium Collegio pro prudenti iudicio limitari, minime autem augeri.

Etiam Caeremoniale Gregorii XV novendiales exsequias commemorat: « Per novem continuos dies (Cardinales) facere debent (exsequias), nisi forte in illis novem diebus aliquod festum ex praecipuis et magnis incideret, propter cuius observantiam, exsequias intermitti debere Cardinalibus videretur, hoc enim casu in numero quidem novem dierum exsequiarum intermissarum dies computantur: verum impensa quae in omissis exsequiis facienda esset, in pauperes Christi iuxta Pii IV Constitutionem distribuenda est ».

Pius X quoque in cit. Constit. (tit. II, cap. I, n. 33) decernit: « Item statuimus, ut cum Pontificem de hac vita migrare contigerit, praesentes Cardinales exspectare debeant absentes per decem tantummodo dies, quibus exsequiae defuncti Pontificis celebrantur;

quibus elapsis, statim Conclave ingredi et ad electionis negotium procedere tenentur » (1).

Ius hodiernum quod attinet, nonnulla animadvertenda ducimus.

1. Exsequiae fieri debent modesto ritu et forma, solito omisso apparatu a Constitutionibus vel ordinationibus aut consuetudine invecto.

---

(1) « Nove giorni durano l'esequie per il Pontefice defunto Ventiquattro ore dopo la morte ne viene aperto ed imbalsamato il di lui cadavere da' chirurgi Pontifici: e le interiore, qualora il Pontefice finisce di vivere al suo palazzo di Monte Cavallo, chiuse in un vaso soglionsi portare dentro una carrozza accompagnata da uno de' Cappellani segreti di Palazzo alla Chiesa parrocchiale di S. Vincenzo ed Anastasio vicino al Palazzo Pontificio con quattro torcie accese. Il cadavere viene vestito di sottana di lana bianca, mozzetta, e camauro rosso, e portato in altra anticamera del medesimo palazzo, viene alzato sotto il baldachino, ove ardono quattro ceri, ed è custodito sempre da' Penitenzieri e dalla guardia svizzera.

« La sera, verso un'ora della notte viene portato il defunto, dal Quirinale al Vaticano per la strada di S. Silvestro, di Monte Cavallo, piazza di S. Marco, Cesarini, Parione, Ponte S. Angelo e Borgo Nuovo con l'accompagnamento della maniera che segue:

« Precedono il cadavere pontificio diversi cavalleggeri, a mano a mano, per tener libere, dalla folla, le strade. Arriva l'avanguardia de' medesimi preceduta da' famigli della stalla Pontificia, con torcie a vento, cui segue parte della guardia svizzera col loro Capitano a cavallo, portando un ufficiale nel mezzo di due altri, la bandiera piegata, con la nuda spada appoggiata alla spalla. Viene uno de' Maestri di cerimonie a cavallo, ed a piedi quantità di parafrenieri di Palazzo con le livree rosse e ferraioli paonazzi con torcie accese: quindi la lettiga foderata di panno cremisi con trina d'oro, aperta da tutti i lati, fuorchè al di dietro, portata da due bianche mule, entro a cui giace il cadavere del Pontefice con gli stessi abiti, cappello usuale e scarpe rosse con Croce, ricamata di oro, nel mezzo. Gli stanno intorno i Padri Penitenzieri di S. Pietro con torcia accesa recitando preci, e con le torcie pure i lettighieri di Sua Santità, che stanno a lato. La guardia svizzera va facendo ala ai fianchi della lettiga medesima, ed è poi seguita dalle Alabarde, che chiudono in mezzo i decani del defunto, i quali tengono torcie accese, ed il maestro di stalla a cavallo. Passano, in appresso, sette carri tirati da' cavalli con altrettanti pezzi di cannoni con gli Svizzeri a lato, che portano moschetti e miccia accesa sulle aste.

« Terminata è questa ordinanza dalle due compagnie de' cavalleggeri, e delle corazze; i primi con le loro banderuole avvolte alle aste, e con la pistola con bocca rivolta a terra: ed i secondi con busti di ferro, e spada nuda con la punta parimente al basso; ambedue con le proprie insegne invilup-

2. Persolvendae sunt per novem dies *continuos,* nisi festum aliquod praecipuum occurrat, et quidem publice in Basilica S. Petri; Cardinales vero alias privatim persolvere debent in Sacello Syxtino, cum interventu Praelatorum de Urbe.

3. Tribus postremis diebus solemniori ritu celebrandae sunt.

4. Corpus defuncti Pontificis pontificalibus vestibus, quo citius fieri potest, indui debet, ac privatim scala interiori ad S. Petri

---

pate nelle aste; suonansi le trombe a sordino e battonsi li timpani scordati; loro ufficiali e capitani stanno alla testa.

« Con tale accompagnamento è portato il cadavere sino alla scala di Costantino del Vaticano, ove da quattro Padri Penitenzieri di S. Pietro, levato viene dalla lettiga, e trasportato su nobile bara alla Cappella Sistina: ivi da' medesimi Penitenzieri, qual se cantar dovesse Messa solenne, e postagli in capo la mitra di lama d'oro, viene collocato sovr'alto letto con torcie intorno accese, assistito dai medesimi Padri, che recitano preci in suffragio dell'anima di lui, ed è guardato dalla guardia svizzera.

« La mattina seguente il Capitolo e Clero della Basilica Vaticana ascende alla Cappella Sistina, ove da' Penitenzieri viene loro consegnato il cadavere del Pontefice. Vengono poi li Cardinali, all'arrivo dei quali s'intuona dai Cantori Pontificii il Responsorio *Subvenite Sancti* ecc. e da un anziano canonico si dice *Pater noster* ecc., si asperge il cadavere, e si dicono le preci consuete.

« Viene alzato poi, da otto sacerdoti di detta Basilica, il letto col cadavere, e calano giù in Chiesa, facendo atto di sostenerlo diversi canonici, precedendo il Capitolo, e Clero con Croce, e torcie accese ed accompagnandolo li Cardinali con cappa paonazza, e li prelati in sottana e mantelletta nera (perciocchè così vestono tutto il tempo di Sede Vacante) recitando salmi e preci da morto. E se il Papa muore al Vaticano, viene portato per la scala segreta nella Cappella di Sisto, vestito da' Penitenzieri, e la mattina seguente trasferito in Chiesa accompagnato da Cardinali e dal Capitolo Vaticano, come sopra, è posato in mezzo di detta Chiesa, gli viene fatta solenne assoluzione secondo il Cerimoniale, da un Arcivescovo o Vescovo del Capitolo, vestito in Pontificale, e indi è condotto dal Clero con torcie accese, e chiuso nella Cappella del Santissimo Sacramento, dove rimane tre giorni, porgendo fuori della cancellata di ferro, li piedi (acciocchè possano essere baciati dal popolo) con molti lumi accesi, e co' cappelli Pontificii a' piedi medesimi, custodito dalla guardia svizzera per sedare le confusioni che possono succedere per la calca del popolo che vi concorre.

« La sera del terzo giorno, i Cardinali promossi dal defunto Pontefice vengono ad assistere alla sepoltura. Viene trasferito il cadavere nella cappella del Coro del Capitolo con Croce e torcie accese, e fatta l'assoluzione da un Arcivescovo o Vescovo, e terminate le consuete funzioni con l'assistenza del Clero viene collocato il cadavere nella cassa di cipresso, una delle tre pre-

Basilicam deferri in SS. Sacramenti sacellum. Ibi, data absolutione, exponendum est, quatuor e Pontificia Militum Nobilium cohorte cadaver custodientibus, cancelloque clauso.

5. Intimatio a Praefecto Caeremoniarium per cursores fieri debet pro Cardinalibus ad funebres exsequias advocandis, die, hora ac loco indicatis.

6. Tumulatio cadaveris praesentibus Cardinalibus clausisque ianuis peragenda est.

4. **Oratio in laudem Pontificis defuncti.** — Mos deputandi duos eruditissimos viros, quorum alter orationem habeat in memo-

---

parate, e da monsignor Maggiordomo vengono gettate entro una borsa in detta cassa varie medaglie d'oro e di argento o di rame della Santità Sua, secondo il numero degli anni che visse nel Pontificato; indi si copre, o dal Cardinale nipote, o da altro Cardinale sua prima creatura, o finalmente da monsignor Maggiordomo, il volto con velo bianco: e velato pure il corpo intero del defunto Pontefice con coltre rossa di ermesino, si chiude la suddetta cassa di cipresso, e viene sigillata insieme con la seconda, ch'è di piombo, ove sono le arme ed iscrizioni Pontificie, ed in questa vi si improntano i sigilli, tanto del Cardinale Camerlengo, quanto del Maggiardomo; la terza parimente, ch'è di legno, si chiude; e di poi sono tutte e tre collocate nel medesimo sito.

« Ma quando il Papa ordina, per testamento, di essere seppellito in alcun'altra Chiesa, la traslazione del cadavere non può seguire, che un anno dopo essere state riposte le casse nel sito o nella cappella destinata.

« A tale funzione assistono anche i Prelati di Camera, i Maestri di Cerimonie ed altri Ministri ed Uffiziali, rogandosi tutto dal notaio del Cardinale Camerlengo, da quello del Capitolo di S. Pietro e da altro della Camera Apostolica, la chiusura del cadavere pontificio.

« La Camera Apostolica paga le spese della sepoltura del Papa, tanto per l'esequie, quanto per un superbo mausoleo, che s'inalza in mezzo alla gran navata di S. Pietro, storiato dalle imprese illustri del defunto Pontefice, illuminata da innumerabili ceri. Tutti i nove giorni si celebrano le Messe solenni di requie dai Cardinali; il primo giorno si canta dal Cardinal Decano, e negli altri giorni da quelli che gli succedono, in presenza del Sacro Collegio, e de' Prelati, abbiano luogo o no in Cappella, con le solite assoluzioni in suffragio dell'anima del defunto.

« Li tre ultimi giorni, però, cantansi le Messe solenni di Requie da' Cardinali, Vescovi e Preti con quattro altri Cardinali assistenti, che vanno alla fine facendo le solite aspersioni, e gl'incensamenti ordinati dal Pontefice Romano, con l'assistenza del Sacro Collegio, e de' sopradetti Prelati.

« Nel giorno ultimo, dal Prelato destinato si recita l'orazione *in Funere:* ed in tal modo terminano l'esequie, che si celebrano pel defunto Pontefice ».

Ita de ritu funerum perbelle disserit clariss. Lunadoro, op. cit., p. 15 ss.

riam Pontificis defuncti, alter de Summo eligendo Pontifice, perantiquus est (1) ac omni laude procul dubio dignissimus.

a) In oratione de Pontifice defuncto exponuntur eiusdem virtutes, merita, omnia quae in bonum Ecclesiae ab eodem gesta fuere.

b) Haec oratio idiomate latino conficienda, oportet ut quo fieri possit elegans atque compta sit.

c) Sive memoria recitari, sive etiam scripto exaratam legi potest pro lubitu oratoris.

d) Recitari aut legi debet in capella choro Basilicae Vaticanae adnexa, praesentibus Eminentissimis Cardinalibus aliisque de more praelatis.

e) Recitanda aut legenda est die nona post Missae celebrationem.

f) « Se l'oratore è vescovo si vesta di rocchetto, amitto, piviale nero e mitra semplice bianca di tela; se è semplice, relato in rocchetto, cappa e berretto; se è prete semplice, sol rocchetto, se ne ha l'uso, o sulla sottana vesta la cappa prelatizia in un alla berretta » (2).

g) Olim singulis diebus habebantur funebres orationes in laudem Pontificis defuncti statim post Missae celebrationem, et quidem ab eo Cardinali qui Sacrum pro anima Pontificis fecerat.

h) Electio seu designatio oratoris est Cardinalibus facienda in generali Congregatione per suffragiorum pluralitatem.

ARTICULUS IV.

De precibus ad Deum fundendis vacationis tempore.

Bibliographia: *Acta Caerem.*, p. 445; Paris de Grassis, l. c.; Papebrochius, op. cit., p. 48.

Alalcona, l. c.; Firmano, l. c.; Moroni, l. c., p. 204; Mucanti, l. c.

Summarium: 1. Quid praeceperit Gregorius X. — 2. Quid statuerit Pius X. — 3. Explicatio iuridica.

1. Quid praeceperit Gregorius X. — Pontifex Romanus, beatissimi Petri Apostolorum Principis Successor, in altissima militantis Ecclesiae specula divina dispositione collocatus, ex credito

(1) Papebrochius, op. cit., p. 254, censet prima vice sermonem habitum fuisse occasione obitus Eugenii IV, an. 1446.

(2) Moroni, op. cit., vol. XLIX, p. 48.

sibi Apostolicae servitutis officio omnium ecclesiarum sollicitudinem habere, totiusque Dominici gregis, qui unius sanctae catholicae et Apostolicae Ecclesiae per universum orbem terrarum diffusae sacro ovili concluditur, curam gerere tenetur (1).

Ideo, obitu eveniente Pontificis Maximi, universum orbem decet patrem et pastorem flere, universos christifideles pro anima eiusdem solemnes celebrare exsequias. Id enim ipsa ratio manifesto suadet ipsaque christiana caritas omnino postulat. Exsequiis vero pro Pontifice defuncto persolutis, humiles assiduasque preces ad Deum fundere debent fideles, ut mutua animorum concordia et voluntatum conspiratione in hoc omnia sua studia, omnia consilia conferant Cardinales, ne Petri Navis tot tantisque iactata fluctibus gubernatore diu careat, et is eligatur, qui universali Ecclesiae fructuose utiliterque gubernandae prae ceteris idoneus in Domino Eminentissimis Patribus visus fuerit.

Gregorius X (2) hac de re statuit: « Quia vero fidelibus non est tam de sollicita quantumcumque intentione fidendum, quam de instantia orationis humilis, et devote sperandum, huic adiicimus sanctioni, ut in omnibus civitatibus ceterisque locis insignibus, ubi primum de memorati Pontificis obitu certitudo claruerit, a clero et populo, solemnibus pro eo exsequiis celebratis, singulis diebus (donec de ipsius Ecclesiae provisione indubitanter rumor pertulerit veritatem) humiles preces fundantur ad Dominum, apud eum devotis orationibus insistatur, ut ipse, qui concordiam facit in sublimibus suis, sic efficiat eorumdem Cardinalium corda in eligendo concordia, quod provisio celeris, concors et utilis (prout animarum salus exigit et totius orbis requirit utilitas) ex ipsorum unanimitate sequatur. Et ne tam salubre praesentis sanctionis edictum, ignorantiae negligi praetextu contingat, districte praecipimus, ut patriarchae, archiepiscopi, episcopi et alii ecclesiarum praelati, ceterique quibus concessum est proponere verbum Dei, clerum et populum, propter hoc specialiter frequentius congregandos, in suis sermonibus ad supplicum precum suffragia pro celeri et felici exitu tanti negotii frequentanda solerter hortentur, et ipsis eadem auctoritate non solum orationum frequentiam, sed

(1) Cfr. Constit. *Romanus Pontifex*, Sixti V.
(2) Cap. 3, *Ubi periculum*, § 5, *de elect.* I, 6.

observantiam (prout circumstantiae pensandae suaserint) iciuniorum indicant ».

2. **Quid statuerit Pius X.** — Pius X (1) fere iisdem, quibus usus fuit Gregorius X, verbis utitur: « Cum vero fideles non tam humanae industriae subsidiis, etsi sollicitae, inniti debeant, quam in humilis devotaeque orationis instantia sperare, huic adiicimus sanctioni, ut in omnibus civitatibus, ceterisque locis saltem insignioribus, ubi primum de Pontificis obitu nuncium pervenerit a clero et populo, solemnibus pro eo exsequiis celebratis, singulis diebus (donec Romanae Ecclesiae de suo Pastore fuerit provisum) humiles assiduaeque preces fundantur ad Dominum, ut Ipse, qui concordiam facit in sublimibus suis, sic efficiat eorumdem Cardinalium corda in eligendo concordia, ut provisio celeris, unanimis et utilis (prout animarum salus exigit, et totius orbis requirit utilitas) ex ipsorum unanimitate sequatur. Et ne tam salubre praesentis sanctionis edictum, ignorantiae negligi praetextu contingat, praecipimus ut Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi et alii Ecclesiarum Praelati, ceterique quibus officium est enuntiare verbum Dei, Clerum et populum, propter hoc specialiter frequentius congregandos, in suis sermonibus ad supplicum precum suffragia pro celeri et felici exitu tanti negotii frequentanda solerter excitent. et ipsis eadem auctoritate non solum orationum frequentiam, sed observantiam (prout circumstantiae pensandae suaserint) iciuniorum hortentur ».

3. **Explicatio iuridica.** — Singula praecipua verba explicare quam maxime interest, ut mens Pontificis clare innotescat.

a) In omnibus civitatibus ceterisque locis saltem insignioribus. Nomine civitatum veniunt oppida seu urbes, quae communi hominum acceptione ita nuncupari solent tum propter incolarum numerum quum propter aedificiorum magnificentiam. Loca insigniora dici possunt multiplici ratione, habito scilicet respectu vel ad numerum haud exiguum incolarum vel ad instituta seu opera socialia, uti vocant, que inibi florexunt, vel ad scholas quae erectae ibi inveniuntur, vel ad commercium quod iis locis exerceri solet, aut etiam ad naturam topographicam, quatenus nimirum eo plurimi conveniunt peregrini aestivo tempore, rusticatus causa

(1) Constit. cit., tit. II, cap. VI, n. 85.

vel tandem habito respectu ad sanctuarium inibi fortasse existens, ex quo decus ac specialis honor loco derivatur.

Vox *saltem* manifesto ostendit quaenam sit legislatoris mens; ideoque animadvertimus singulis in ecclesiis parochialibus nec non et in aliis quoque ecclesiis curatis exsequias pro Pontifice esse celebrandas ac publicas preces effundendas pro Successoris electione.

b) *Ubi primum de Pontificis obitu nuncium pervenerit.* Si agatur de urbe principe, in qua scilicet antistes residet, ipsius erit, nuncio habito de morte Pontificis per telegraphum vel per ephemerides aut litteras, statim praecipere ut in ecclesia cathedrali et in aliis parochialibus ecclesiis solemnes functiones peragantur. Si contra agatur de oppidis vel pagis extra urbem principem, clerus, habito uno aliove modo nuncio de Pontificis obitu, per se illico potest res divinas agere; attamen melius est, ut litterae episcopales exspectentur, ne ulla confusio vel difformitas oriatur quoad ordinem functionum peragendarum.

Solemnibus pro eo exsequiis celebratis. Expresse decernitur ut exsequiae *solemnes* sint, prout ipsamet sane postulat dignitas pontificia, hoc est peculiari ritu ac pompa, uti aiunt, peragantur. Sonantibus nimirum festivo more ecclesiarum campanis, populus ad templum advocetur; Missa solemniter canatur; oratio in laudem Pontificis defuncti recitetur, ad eiusdem virtutes et merita, ad omnia breviter exponenda quae in bonum Ecclesiae vivens ipse gessit.

Praecipiant Episcopi ut frequenti campanarum sonitu fideles excitentur, id est mane, ad meridiem et vespere saltem per tres continuos dies a nuncio habito de Pontificis morte.

Qua in re nonnulla responsa S. Rituum Congregationis afferenda ducimus, opportunitatis gratia.

Exsequiae pro defuncto Pontifice peragendae sunt in cathedrali; quoad alias ecclesias, arbitrio Episcopi; absolutiones circa castrum doloris fieri debent a solis dignitatibus et canonicis cathedralis, non autem a canonicis collegiatarum, si forte intersint. S. R. C. *in Avenionen.*, 15 febr. 1727.

In exsequiis pro Papa absolvendis, corpore non praesente, faldistorium Episcopi ponendum est ad caput tumuli, non autem ad pedes. S. R. C. *in Mutinen.* 23 sept. 1837.

Sequens resolvendum propositum dubium fuit: « An in exsequiis pro Summo Pontifice absente corpore, ponendum seu deferendum sit baldachinum nigrum super defunctum aut super castrum doloris? Et quatenus negative ad normam responsionis diei 5 iulii 1631 in una Florentina, quid consuetudine contraria? S. R. C. *in Congregationis Oratorii* die 4 iulii 1879 rescribendum censuit: « Exposita consuetudo uti abusus est eliminanda ».

A clero et populo singulis diebus, donec Romanae Ecclesiae de suo Pastore fuerit provisum, humiles assiduaeque preces fundantur ad Dominum. Non modo sacerdotes e gemino clero ac religiosi sodales utriusque sexus, sed ipsi quoque fideles laici fervidis precibus Deum exorare tenentur pro novi Pontificis electione. Omnium enim et singulorum fidelium interest quam maxime celeris utilisque provisio. Sane vacante Apostolica Sede, summopere nutat Ecclesiae status; nam si gregi pastoris cura desit, facile laqueos insidiatoris occurrit (1). Ex quo fit ut Ecclesiae hostibus vix quidpiam optabilius et opportunius accidere possit quam Romani Pontificis electionem in longius distrahi, aut perturbari.

Singulis diebus, quoadusque novus electus fuerit Pontifex, clerus et populus uberrima gratiae Dei auxilia implorare tenetur. Quod potissimum per augustissimum Missae Sacrificium fieri debet, per SS. Communionem, per Mariani Rosarii devotam recitationem similiave pietatis ac religionis opera.

Et ne tam salubre praesentis sanctionis edictum, ignorantiae negligi praetextu contingat, precipimus... Ex voce *praecipimus* manifesto eruitur heic non de consilio agi, verum de praecepto, et quidem gravi, saltem generatim loquendo, cum ipsamet materia gravis profecto sit.

Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi et alii Ecclesiarum Praelati, ceterique quibus officium est enuntiare verbum Dei...

Omnes proinde, quibus cura animarum in foro interno vel externo incumbit, tenentur fideles enixe adhortari ut fervidis precibus novi Pontificis celerem faustamque a Deo impetrent electionem. Nomine Episcoporum veniunt etiam vicarii capitulares, vicarii generales, vicarii apostolici et administratores apostolici; nomine Praelatorum veniunt abbates exempti seu quasi *Nullius,*

(1 Gregorius Magnus, lib. I, cap. 80.

nec non abbates vere *Nullius*. Etiam Superioribus regularium, quovis nomine nuncupentur, incumbit publicas preces in suis respective ecclesiis et quoad sodales subditos indicere pro Pontificis electione.

Huiusmodi dispositio, cum fere ad litteram ex Constit. Gregorii X deprompta sit, ea tempora eaque adiuncta profecto respicit, in quibus electionem in longius distrahi saepissime contingebat, ita ut nostra hac aetate, peculiari vigente disciplina quoad conclave celebrandum, nonnisi, congrua congruis referendo, in praxim deduci videatur.

ARTICULUS V.

De relationibus S. Collegii cum Coetu diplomatico.

Bibliographia: Berthelet, op. cit., p. 252; Ceccaroni, op. cit. pagina 328 ss.; De Cesare R., *Il Conclave di Leone XIII*, Città di Castello 1888; eiusdem auctoris, *Dal Conclave di Leone XIII all'ultimo Concistoro*, Città di Castello 1889; Grabinski G., *Il Conclave*, Firenze, 1903.

Barbier de Montauet X., op. cit., p. 128 ss.; Bignon H., l. c.; Lector, op. cit., p. 413 ss.; Petruccelli della Gattina, op. cit., p. 65 ss.; Cartwright W. C., *De la Constitution des Conclaves*, Paris 1827; Feste Louis, *Préface au Conclave*, Paris 1877.

Granderath Th., op. cit., p. 64 ss.; Lorenz O., l. c.; Paflugk - Harttung, *Die papstwahlen und das Kaisertum*, Gotha, 1908; Wahrmund, op. cit., p. 225 ss.

Summarium: 1. Cum quibusnam Statibus S. Collegio liceat communicare. — 2. In specie quoad Gubernium italicum.

1. **Cum quibusnam Statibus S. Collegio communicare liceat.** — In prima Congregatione particulari, quam Capita Ordinum una cum Cardinali Camerario habent, communicationes ex more ad omnia Gubernia mittendae sunt, ad ea etiam quibuscum S. Sedes diplomaticas relationes forte haud habeat, etsi hae communicationes vel numquam intercesserint, vel interruptae sint, *dummodo haec Gubernia recognita iam fuerint a Pontifice defuncto.* Itaque cum Statibus, quos Apostolica Sedes haud rite cognosci, nequaquam S. Cardinalium Collegio communicare fas est.

Cum S. Collegium constituta iuramenta praestat, omnes protestationes a defuncto Pontifice pro iuribus, legibus et bonis S. Sedis Ecclesiaeque tuendis editas iterare tenetur; ac de iis omnibus coetum diplomaticum certiorem facere debet.

Nil vetat quominus Legati principum S. Collegium, Sede vacante, adeant; quin imo in primis Congregationibus generalibus dies constituendus est, quo, eiusmodi Legati, si ab ipsis petatur, S. Collegium conveniendi aditus detur.

Animadvertendum tamen est Legatos nonnisi simul congregatos admitti, et singulis facultatem S. Collegium in posterum adeundi haud concedi (1).

Si in prima generali Congregatione S. Collegium constituerit Conclave extra Italiam celebrandum esse, id non modo Cardinalibus, qui in Curia non adsint, nunciari illico debet, verum etiam Diplomatico Coetui, isque invitandus ut sequatur S. Collegium in locum pergens, quem ipsum elegerit.

S. Collegio minime licet eorum Statuum legatos excipere, qui diplomaticas relationes cum Apostolica Sede disruperint, etsi forte hi Status excipi ultro petant. Sane S. Collegium, vacante Apostolica Sede, nihil innovare valet in ea rerum conditione, quam Pontifex moriens reliquit (2).

2. **In specie quoad Gubernium italicum.** — Instructio saepius cit. (3) hac de re statuit:

« Si forte contingat ut italicum Gubernium opem et auxilium suum Sacro Collegio offerat, distinguendum est an haec auxilii oblatio scriptis vel potius ore fiat, scilicet accessione cuiusdam legati ab eodem Gubernio missi, ad Cardinalem Decanum aut ad Cardinalem Camerarium. In priori casu, Cardinalis Decanus nihil respondebit praedictae communicationi, sed Diplomaticum Coetum legatorum, qui apud Apostolicam Sedem sunt, litteris opportune datis exorabit, ut Gubernio Romam nunc occupanti nunciet: *a*) Sacrum Collegium, iuramentorum, quibus adstrictum est, memor, nullam mutationem inducere posse illi rerum conditioni, quam defunctus Pontifex reliquit atque ipsum S. Collegium integram successori eius transmittere debet. *b*) Itaque nullam communionem Sacrum Collegium cum Gubernio habere posse, quocum defunctus Pontifex minime communicabat. *c*) Ceterum in iis quae spectant interiorem S. Palatii partem, nullum auxilium opus esse:

---

(1) Cfr. tit. I, cap. II, n. 11, f.).
(2) Cfr. aa. 20, 22, 23, 32, Instruct. cit.
(3) Cfr. art. 13.

in iis vero, quae ad tranquillitatem exteriorem pertinent, quoniam S. Collegium Urbem non regit, nihil respondere posse.

« In altero casu autem, si quis ab italico Gubernio missus peteret loqui cum Cardinali Camerario aut cum Cardinali Decano, hic eodem modo excipiet eum ac supra ostensum est ad articulum 12 atque oblata occasione utetur ut easdem declarationes et protestationes edat, de quibus supra in priori casu dictum est, ubi dirigendae essent protestationis litterae ad Coetum Diplomaticum.

« In quolibet casu vero nulli alteri e S. Collegii Membris has visitationes et communicationes licebit excipere nomine eorum qui nunc gubernant, sed eas deferet ad Cardinales Ordinum Capita aut ad Cardinalem Camerarium: idque eo consilio fiat ut in illis difficilibus rerum adiunctis integra servetur unitas auctoritatis, actionis et directionis ».

Quae gravi sane permotus ratione Pontifex decernenda censuit, haec S. Collegium fideliter exequenda curet.

ARTICULUS VI.

De iis quae in specie Cardinales respiciunt.

Bibliographia: Bellarminus, l. c.; Bouix, l. c.; Fagnanus, l. c. Manfredi H. *Tractatus de Cardinalibus*, p. 128 ss.; Ruffi, op. cit., p 112 Panvinius, C. *De origine cardinalatus*, p. 128; Card. Petra, l. c.; Thomass., op. cit., part. I., lib. 2., cap. 115.

Botero G., *Dell'ufficio del Cardinale*, p. 25 ss.; Lonigo M., op. cit., p. 45; Tamagna, op. cit., p. 22 ss.; Vallieri, *Della dignità del Cardinalato*, p. 32 ss.

Lector, op. cit., p. 100 ss.

Summarium: 1. Quid agere prohibeantur Cardinales, vacante Apostolica Sede. — 2. Quomodo se gerere debeant.

1. **Quid agere prohibeantur Cardinales, vacante Apostolica Sede.** — Cardinales neve singillatim neve collective quidquam immutare valent quoad eam rerum conditionem, quam Pontifex moriens reliquit. Id potissimum dicendum de iis quae leges canonicas, iura et bona S. Sedis ac Ecclesiae, respiciunt. Quae profecto competit potestas S. Collegio, vacante Apostolica Sede, ea clare et perspicue expressa invenitur in Constit. Pii X; quidquid aliter fiat, irritum et inane ipso facto erit.

2. **Quomodo se gerere debeant Cardinales.** — Instructio cit. decernit: « Vacante Apostolica Sede, Sacrum Cardinalium Collegium eodem modo se gerat quo se exhibuit eo ipso die quum Roma occupata est. Quapropter: *a*) Cardinales sive singillatim, sive collective ab omni communicatione cum quavis civili auctoritate abstineant; *b*) privato more se vestiant et incedant, veluti huc usque ab iis servatum est; *c*) sacra munera quae eorum dignitatis sunt, haud publice obeant ».

ARTICULUS VII.

De custodia Palatii Apostolici, de Musaeis et Bibliotheca.

Bibliographia: Berthelet, op. cit., p. 128 ss.; Ceccaroni, op. cit., p. 128 s.; De Cesare R., op. cit., p. 124; Grabinski G., l. c.; Moroni, op. cit., vol., VI, p. 205.

Barbier de Montauet X., op. cit., p. 42 ss.; Bignon H., op. cit., pag. 62; Lector, op. cit., p. 265 ss.

Summarium: 1. De custodia Palatii Apostolici. — 2. De Musaeis, Archivis et Bibliotheca.

1. **De custodia Palatii Apostolici.** — Ubi primum S. Sedes vacaverit, illico portae Apostolici Palatii claudantur. Eiusdem custodia competit pontificiae cohorti sub plena tamen dependentia absolutoque regimine Cardinalis Camerarii, ita quidem ut nemo ingredi valeat nisi ex venia Cardinalis.

Quaedam in peculiari Instructione hac de re decreta, adnotanda ducimus.

« Si quis ad Vaticanarum Aedium portas armatus ipse aut cum manu hominum armis instructorum accedat eo consilio ut S. Palatium invadat, portae non aperiantur, sed potius sinatur ut ab invasore evertantur » (1).

« Si contigerit ut aliquis a Gubernio aut a Municipio missus ad S. Palatium accedat satelles, qui tunc in statione erit, petet ab eo quisnam sit et qua causa venerit: responsio autem accepta ad Cardinalem Camerarium deferetur, qui pro temporis adiunctis rem aget » (2).

---

(1) Art. 10.
(2) Art. 11.

« Si aliqua auctoritas vel politica vel civilis expetiverit loqui cum Cardinali Decano aut Cardinali Camerario, is petenti satisfaciet. Verum in loco iam antea ad rem expresse constituto personam illam excipiat: locus tamen distinctus erit a ceteris Cardinalium habitationibus, neque ulla Apostolici Palatii in parte situs, ubi excipere solet ceteros omnes, quibus quolibet titulo ius compedit ut ad eius praesentiam admittantur... At Camerarius aut quivis alius eum excipere recusabit, qui forte declarasset se eo consilio velle *in Apostolicum Palatium ingredi ut summae potestatis et imperii actus ederet,* aut *Vaticanarum Aedium quavis parte potiretur* aut quolibet modo Sanctae Sedis iura violaret » (1).

« Si foris violentiae actus fiant ea mente ut perturbationes excitentur atque hinc *praetextus sumantur in S. Palatium penetrandi,* S. Collegium necessarias cautiones adhibebit, ac de re Diplomaticum Coetum certiorem faciet, ut tranquillitas componatur et Cardinalibus restituatur libertas » (2).

« Debitae protestationes edantur si quis conetur armis exuere S. Palatii excubias, atque earum loco italicos milites ponere » (3).

2. **De Musaeis, Archivis et Bibliotheca.** — Omnimodae vigilantiae ac iurisdictioni subsunt Cardinalis Camerarii. Dum exsequiae pro defuncto Pontifice peraguntur, hoc est per novem continuos dies ab obitu eiusdem, nemo ingredi valet nisi ex venia Cardinalis Camerarii. Novendialibus peractis, exterior accessus ad Musaea et Bibliothecam patet, ut omnes ea loca visitare possint, prout vivente Pontifice permitti solet. Attamen si S. Sedis hostes hac concessione uti velint tamquam praetextu quo sibi aperiant aditum in alias Aedium Vaticanarum partes, accessus prohiberi omnino debet (4).

Si quis forte conetur Bibliotheca potiri, Musaeis, Archivis aut alia quavis S. Palatii parte, claudantur portae, sinatur ut evertantur ac, debita protestatione a Cardinali Camerario emissa, solemnibus litteris de re Diplomaticus Coetus certior fiat (5).

---

(1) Art. 12.
(2) Art. 14.
(3) Art. 16.
(4) Cfr. art. 9.
(5) Cfr. art. 15.

LIBER III.

DE ROMANI PONTIFICIS ELECTIONE.

CAPUT I.

Quaestio iuridica

ARTICULUS I.

An conveniens fuerit Pontificem Romanum carnali successione propagari.

Bibliographia : S. August. *Serm. 37 ad fratres;* Bonacina, op. cit., p. 23; S. Io. Chrysost., l. c.; S. Hieronym., *in Isaiam cap. LXVI;* S. Leo M., *Sermon. 2 de assumpt.*; Origines, *Homil.* 22 *in Num.*; Passerini, op. cit., p. 2 s.

Summarium: 1. Ratio successionis quoad Pontifices antiqui Foederis. — 2. Discrimen inter Ecclesiam Christi et Synagogam. — Rationes quae omnino excludunt carnalem successionem.

1. Ratio successionis quoad Pontifices antiqui foederis. — Nemo est qui ignoret sacerdotes in lege veteri secundum carnalem propagationem ex Aaron succedere.

« Sanctificabo et tabernaculum testimonii cum altari, et Aaron cum filiis suis, ut sacerdotes fungantur mihi (1) » ; « Aaron et filios

(1) *Exod.*, XXIX, 44.

eius unges sanctificabisque eos, ut sacerdotis fungantur mihi » (1); « Aaron autem et filios eius constitues super cultum sacerdotii » (2).

2. **Discrimen inter Ecclesiam Christi et Synagogam.** — Synagoga nonnisi per carnalem ex Jacob procreationem asseclas sibi gignebat in suoque statu visibilis et externae societatis perdurabat. Contra in Ecclesia Christi fideles per baptismum spiritualiter nascuntur.

Lex vetus carnalis erat seu lex mandatis carnalis, ut docet Paulus Apostolus (3), quippe quae « carnalia praecipiebat, in carnalibus sacrificiis offerendis fideles occupabat, et se observantibus carnalia in figuram spiritualium, quae lex gratiae allatura erat, promittebat ». S. Jo. Chrysost. (4), expendens verba divi Pauli (5) ait: « Quid est mandati carnalis? Circumcide carnem, urge carnem, lava carnem, munda carnem, tonde carnem, alliga carnem, nutri carnem, otiare carne. Et bona rursus quaenam? lac et mel carni, pax carni, alimentum carni ».

Sacerdotium ipsum carnale erat, quippe quod tantum versabatur in bobus et ovibus mactandis. Sacerdotium in Ecclesia Christi spirituale omnino est, eiusque munus praecipuum in eo consistit, ut Deo nimirum offeratur hostia pura, hostia sancta, hostia immaculata.

3. **Rationes quae omnino excludunt carnalem successionem.** —

a) Convenientissimum est, ut in Ecclesia Christi sacerdotes coelibes vivant, exemplum Christi et Apostolorum sectantes. Coelibatum enim suapte natura postulat sacerdotii excellentia et sanctitas, finis ac ordo (6).

Hinc est quod ab antiquissimo iam Ecclesiae instituto sacris Ordinibus votum castitatis est adnexum. Nam si sacerdotibus gentilibus et vestalibus castitas colenda erat, multo magis, inquit S. Augustinus (7), convenit ut corporis et animi integritatem ha-

---

(1) *Exod.*, XXX, 29.
(2) Num. III, 10.
(3) *Hebr.* VII, 12.
(4) Loc. cit.
(5) Loc cit.
(6) Cfr. CAPPELLO, *Instit. Iur. publ. Eccl.*, *vol. II.*, *p.*
(7) Serm. 37 *Ad Fratres.*

beant, qui sacramentum Corporis et Sanguinis Christi conficiunt, suscipiunt et administrant. Repugnat proinde, praelaturas ac praecipue supremam per carnalem liberorum propagationem obtineri et asservari.

b) Sacerdotium Christi spirituale est; quapropter eiusdem etiam propagatio spiritualis sit oportet. Hac de causa nuncupatur secundum ordinem Melchisedech sine patre et matre ac sine geologia; quatenus scilicet non carnis successione sed spirituali modo per electionem est propagandum, ut perbelle exponit S. Leo (1):

« Ipse est enim, de quo prophetice scriptum est: Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech, hoc est non secundum ordinem Aaron, cuius sacerdotium per propagationem sui seminis currens, temporalis mysterii fuit et cum veteris testamenti lege cessavit: sed secudum ordinem Melchisedech in quo aeterni Pontificis forma praecessit et dum quibus parentibus sit editus non refertur, in eo ille intelligitur ostendi, cuius generatio non potest enarrari. Denique cum huius divinis sacerdotii sacramentum, etiam ad humanas pervenit functiones, non per generationum tramitem currit, nec quod caro et sanguis creavit eligitur, sed cessante privilegio Patrum, et familiarum ordine praetermisso, eos rectores Ecclesia respicit quos Spiritus Sanctus praeparavit, ut in populo adoptionis Dei, cuius universitas sacerdotalis atque regalis est, non praerogativa terrenae originis obtineat unctionem, sed dignatio coelestis gratiae gignat Antistitem ».

Eodem sensu elegantissime loquuntur Hieronymus (2), Origines (3), et divus Thomas (4).

Hinc Christus, priusquam Petro munus regendi Ecclesiam tradisset, ita eum est allocutus: « Beatus es Simon Bar Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi sed Pater meus, qui in coelis est » (5). Claves siquidem regni coelorum non carni et sanguini, sed fidei dumtaxat consignandae sunt.

---

(1) Serm. 2.
(2) In cap. LXVI.
(3) Homil. 22 *in Num.*
(4) In Cap. VII. Epist. ad Rom.
(5) MATTH. XVI, 17.

c) Ad regimen spirituale animarum requiritur maxima doctrina, prudentia ac bonitas. Quod a fortiori dicendum est de eo, qui supremam assequitur potestatem, hoc est de R. Pontifice. Ipse enim oportet forma gregis sit, quatenus verbo et exemplo doceat, dirigat, pascat. Hac de causa Paulus ait: « *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse* » (1); « *Oportet Episcopum sine crimine esse benignum, sobrium, iustum, sanctum, continentem* » (2)

Jamvero propagatio carnalis in ordine ad Christi sacerdotium inepta omnino est, cum etiam ex patribus doctissimis et sanctissimis nascantur, historia teste, liberi indocti ac impii. Exempla habentur in filiis Samuelis, Davidis, Ezechiae et Joseae.

d) Ecclesia unius gentis angustis finibus nequaquam est circumscripta, sed universas gentes cunctosque populos sinu suo, veluti pia mater, amplectitur, ut egregie divus Paulus (3).

Eiusdem principatus et regale sacerdotium ad unius familiae concinit vel gentis angustias nullo pacto coarctari debet. Unde est, quod Ecclesia ex omni natione eos praeficiendos curat, qui ad ecclesiasticum regimen maxime idonei visi sunt (4).

ARTICULUS II.

An Pontifex Romanus ab hominibus sit eligendus.

Bibliografia: Bellarminus, l. c.; Bonacina, op. cit., p. 12; Brovius op. cit., pag. 2, Camarda, op. cit., p. 12 ss.; Fagnanus, l. c.; Gonzales, l. c.; Passerini, op. cit., quaest. I. p. 2.

Summarium: 1. Errores. — 2. Catholica doctrina. — 3. Solutio difficultatum.

1. **Errores.** — Plurimi sunt errores in hac re excogitati ante actis temporibus, quos breviter et praecipuos dumtaxat exponendos ducimus, ne in nullius negotio momenti tempus terere videamur.

Nonnulli putarunt Pontificem Maximum a Christo immediate esse eligendum, quemadmodum Petrus ab eodem Christo electus

(1) Tit. III.
(2) Loc. cit., Cap. I, 7.
(3) *Coloss.* cap. III, 11.
(4) Cfr. Passerin., op. cit., quaest. II. n. 2, ss.

fuit. Cum enim, aiunt, Romani Pontifices eadem potestate et dignitate fruantur, qua ipse Petrus pollebat, ipsa ratio postulat ut idem etiam habeatur electionis modus.

Quidam dixerunt ab eo esse Antistitem summum designandum, a quo suprema confertur iurisdictio. Iamvero, inquiunt, Papa immediate a Deo auctoritatem obtinet, non autem a coetu Episcoporum vel ab oecumenico Concilio aut a fidelium communitate; proinde ab ipso Deo eligi debet, nequaquam ab hominibus.

Alii existimarunt R. Pontificem esse ab hominibus eligendum, at nonnisi ministerialiter, quatenus scilicet in eum sua vota electores reapse conferant quem Deus, peculiari numine et quodammodo oraculo supernaturali afflante, designandum suggesserit; ex quo fit ut causa vera et efficiens electionis ipse Deus sit, causa materialis, hoc est instrumentalis homines sint.

Alii ideo opinati sunt per actum humanum Romanum Pontificem nullo pacto eligi posse quia designatus non fit verus Papa nisi probus et praedestinatus sit. Iamvero, aiunt, probitas ac praedestinatio homines omnino latet; ideoque absonum plane est, homines verum Papam eligere valere. Actus enim, quem electores ponunt, est quaedam designatio vel proxima vel remota, non autem vera propriaque electio.

2. **Catholica doctrina.** — Nullum dubium quiu Pontifex Maximus sit ab hominibus eligendus; idque multiplici ostenditur ratione.

a) Ecclesia est societas divina in ordine ad originem, ad finem atque ad media: at simul est humana habito respectu ad membra quibus coalescit. Quapropter nulla adest intrinseca repugnatio in hoc quod caput Ecclesiae, cuius membra homines sunt, ab iisdem hominibus eligatur;

b) si Pontifex Romanus ab hominibus re vera designari non posset, id repetendum foret ex iure divino positivo vel naturali. Iamvero ex neutro eiusmodi prohibitio eruitur;

c) Christus munus regendi Ecclesiam hominibus commisit; atqui designatio R. Pontificis suapte natura regimen ecclesiasticum attingit; ergo, cum aliter expresse cautum minime fuerit, fatendum necessario est, Ecclesiae munus quoque Christum credidisse Antistitem Maximum eligendi;

d) si Papa ab hominibus designandus non esset, dicendum foret vel Deum immediate illum eligere, vel Papam nullimode

designari, vel divino inspirante numine Pontificem per se ipsum, ad gregem dominicum pascendum deputari. Atqui Deus minime eligit, cum de eiusmodi facto nequaquam constet. Ecclesia sane est societas externa, visibilis et humana; ideo et caput, quod ei in hisce terris praeest, oportet externum, visibile et humanum sit; et consequenter factum ipsum quo caput designatur, oportet externum ac visibile sit, ut ab hominibus agnosci et acceptari valeat.

Absonum plane est aliud corollarium, Papam scilicet nullimode designari; nam Ecclesia cum sit vera et proprie dicta societas tum ex ipsamet sua natura quum ex Christi positiva voluntate, ne concipi quidem potest sine capite rite delecto.

Item absurdum est tertium corollarium nempe divino inspirante numine Pontificem per se ipsum ad gregem dominicum pascendum deputari. Etenim de legitimitate electionis *certo* et *publice* constare debet, secus fideles Papam agnoscere ac obedientia prosequi nullatenus tenentur.

3. **Solutio difficultatum.** — Ex his quae huc usque dicta fuere, facillime solutio liquet.

Ad 1um. Modus, quo Pontifex Romanus eligitur, nequaquam ipsius potestatem et dignitatem attingit; agitur siquidem de re omnino distincta. Praeterea animadvertimus, dignitate et potestate *ordinaria* Petri, non autem *extraordinaria*, Pontifices Maximos frui; quapropter immerito ex facto Petri ratio obiiciendi eruitur.

Ad 2um. In R. Pontificis electione duo sunt distinguenda: alterum est designatio personae: alterum collatio potestatis. Quod contingit etiam in principis designatione. Nam electio perficitur uno aliove modo a populo; verum potestas immediate, etsi naturaliter, ab ipso Deo confertur.

Ad 3um. Suppositum cui haec tertia innititur sententia est absonum; nam oraculum supernaturale inflans positive in ordine ad electionem non est supponendum, sed probandum; et a priori admitti nequit, potissimum in facto per se naturali, utpote est R. Pontificis electio.

Ad 4um. Quarta item sententia falso nititur supposito. Papa siquidem eo ipso instanti quo rite eligitur ac electionem de se factam ipsemet acceptat, supremam nanciscitur potestatem, quin ullo modo necessaria sit probitas vitae aut praedestinatio.

Potestas iurisdictionis et ordinis non supponit necessario in subiecto gratiam et innocentiam.

Petrus sane Apostolus (1) praecipit ut obedientia superioribus praestetur, non modo bonis et morigeratis, verum etiam discolis; et Christus expresse ait (2): « Super cathedram Moysis sederunt scribae et pharisaei...: quaecumque dixerint vobis servate et facite; secundum vero opera illorum nolite facere »; quasi dixerit, ut exponit S. Ioannes Chrysost. (3): « habent auctoritatem, sed vitae sunt immundae ». Item S. Augustinus eadem verba expendens, animadvertit scitissime (4): « Possunt esse populi boni, ubi fuerint episcopi mali; sicut potuit esse populus malus, ubi fuit Moyses princeps et rector bonus ».

Profecto Deus ipse Saulem regem Israel designavit, qui postea malus evasit rex; Christus elegit ad Apostolatum Iudam, qui proditor fuit; Apostoli inter alios diaconos elegerunt Nicolaum, qui postea a fide recessit et schisma amplexatus est. Hoc autem ideo fieri Deus permittit, ut si forte contingat aliquem malum eligi, non propterea electio alias facta iuxta leges nulla censeatur, sed nihilominus superiori rite designato obedientia a subditis praestetur.

Si a solo Deo Pontifex invisibiliter deputaretur, non prodesset Ecclesiae, quae electum ignorans non posset ab eo erudiri, gubernari vel corrigi, neque teneretur ipsius dictis credere ac mandatis parere.

Neque constat alio signo visibili et sensibili hanc suam electionem Deum hominibus patefacere. Etsi Deus plurimorum Pontificum electionem visibili signo praemonstraverit et Pontificatu dignos pandiderit, ut historia testatur de Fabiano, Gregorio Magno, Adriano II, Leone IX, Gregorio VII, Callisto II, Innocentio III, ac de aliis (5); nullum tamen Deus voluit habendum, ut Pontificem, nisi quem homines iuxta ritum temporum legitime elegissent. Et sic Pontifex a Deo quidem eligitur,

---

(1) Epist. I, cap. 2.
(2) MATTH. XXIII, v. 2, ss.
(3) Hom. ult. in epist. ad Rom..
(4) Lib. 2, contra Epis. Parmen., c. 4.
(5) Cfr. BZOV., *De Pontif. Rom.*, cap. 2.

sed nonnisi canonica electione mediante ex hominibus divinitus assumitur (1).

Nec eadem habetur ratio de homine et de Deo, seu de Praelatis inferioribus ac de Pontifice. Etenim aliorum Praelatorum electio indiget visibili confirmatione, quia certo constare potest num reapse confirmentur, nec ne; et ii ad quos spectat non alios confirmare debent, quam eos, quos dignos repererint.

At de R. Pontificis confirmatione ex parte Dei neve facto constat neve iure constare potest, nisi Deus ipse eamdem signo visibili patefaciat.

Porro miraculum seu factum revelationis haud supponi vel fingi debet, sed indubie probari. Ideoque contra divinae providentiae rationem est, in summum Pontificem nonnisi probum vel praedestinatum esse eligendum, et miraculosa revelatione Deum Ecclesiae significare, quinam sit ita delectus.

Eo vel magis si animadvertatur, Deum insufficentiam electi supplere posse, eumque de malo etiam bonum facere.

Quod Christus vero non elegerit Petrum, « nisi prius eo interrogato an se diligeret, non fuit factum tamquam necessarium fundamentum potestatis sit caritas et vitae sanctitas, sed gratia exempli, ut Pastores intelligant quales esse, et Ecclesia quales ab ea eligi debeant », ut perbelle exponunt S. Augustinus (2), S. Joannes Chrysost. (3), S. Leo Papa (4).

ARTICULUS III.

Num conveniat R. Pontificem immediate a Deo eligi.

Bibliographia: Azorius, part II, lib. 4, cap. 5; Bellarminus, *De Clericis*, cap. V; Bonacina, op. cit., disp. I, qu. V; Jaconius, *De hierarchia eccl.*; Venetiis 1754; Passerini, op. cit., qu. I; Turrecremata, l. c.

Summarium: 1. Status quaestionis. — 2. Errores Ioannis Wiclefi et Ioannis Huss. — 3. Sophismata Iaconii. — 4. Catholica doctrina.

1. **Status quaestionis.** — In articulo praecedenti thesim *absolute* seu *ad iuris unguem*, uti aiunt, consideravimus; et erroribus

(1) Cfr. Passerin, *De electione Papae*, quaest. I, p. 2, n. 5.
(2) *Lib. de agon. Christi, c. 30.*
(3) *Lib. 2 de Sacerdotio.*
(4) *Serm. 3 de assumpt. un.*

candide expositis ac refutatis, concludendum censuimus R. Pontificem ab hominibus esse necessario eligendum. Nunc videre praestat, num saltem *conveniat* Papam immediate a Deo eligi. Quod merito animadvertendum ducimus, ne iam superius dicta inepte repetere videamur.

2. **Errores Ioannis Wiclefi et Ioannis Huss.** — Ex Concilio Constantiensi manifesto patet quinam fuerint errores Ioannis Wiclefi et Ioannis Huss. Etenim in Sess. VIII dannatur sequens Wiclefi articulus qui est octavus: « Si Papa sit praescitus et malus, non habet potestatem super fideles »; item alius articulus nempe quadragesimus: « Electio Papae a Cardinalibus, per diabolum est introducta ». In Sessione XV proscribuntur sequentes articuli Ioannis Huss: « Papa vel praelatus malus et praescitus est aequivoce pastor » (n. 22); « Non eo ipso quo electores vel maior pars eorum consenserit viva voce secundum ritus hominum in personam aliquam, eo ipso illa persona est legitime electa: unde sive electores bene vel male elegerint, operibus electi debemus credere » (n. 26). Immerito quidam auctores putant (1) Wiclefum et Ioannem Huss non absolute docuisse R. Pontificem immediate a Deo esse eligendum, sed relative dumtaxat, hoc est convenientiae tantum honorisque gratia. Eiusmodi interpretatio inepte omnino profertur. Eo ipso enim quod Papa praescitus et malus nullam habere dicitur potestatem; eo ipso quod tanquam legitime electus Pontifex non censetur etsi omnes vel maior electorum pars in eum sua vota contulerint; prono alveo sequitur ex mente Wiclefi et Ioannis Huss R. Pontificem a Deo formaliter ac immediate esse deligendum.

Sane praedestinatio homines prorsus latet; item dicas de statu gratiae. Hinc Ecclesia merito canit: *Deus, cui soli cognitus est numerus electorum...* ».

3. **Sophismata Iaconii.** — Iaconius (2) contendit congruum et conveniens omnino esse, ut Papa immediate a Deo designetur *per quasi inspirationem* ex parte cleri et populi, ita quidem ut aliter factam electionem, validam habeat at plane illicitam.

Rationum momenta, quibus Iaconius innititur, haec sunt:

---

(1) Cfr. Sägmüller, l. c.

(2) *De hierarch. eccl.* part. I. qu. VIII, n. 15 ss.

1° R. Pontifex est caput totius Ecclesiae, pastor omnium christifidelium; idcirco ipsa luminis ratio postulat, ut universus cleri populique coetus suffragium ferat in eiusdem electione.

2° Eo modo Papa eligi debet, quo tutius et congruentius Ecclesiae provide regundae consulatur; iamvero si Pontifex delectus fuerit ex suffragiis totius Ecclesiae *per quasi inspirationem*, benevisus et acceptus optimeque meritus erit de Ecclesia; quare pastorale munus maximo cum fructu obire valebit.

3° Eiusmodi *quasi inspiratio* ex parte Dei non est habenda tamquam factum commentitium; nam Christus Ecclesiae consulit per iugem Spiritus Sancti adsistentiam. Porro electio boni vel mali Pontificis, docti vel ignari, religionis zelo praeclari aut expertis, tam necessario cum recto Ecclesiae regimine coniungitur, ut ab electione animarum salus omnino dependeat. Hinc, ex iugi Spiritus Sancti favore Ecclesiae promissa adsistentia, iure concludi debet electionem R. Pontificis a Deo immediate esse peragendam coelesti inspirante numine, hoc est *per quasi inspirationem*.

4° Id autem plane confirmatur Apostolorum exemplo in Mathiae electione, ut diserte Actus Ap. (1) testantur.

4. **Catholica doctrina.** — Quidquid in ordine supernaturali magis congruum et conveniens est, id nonnisi ex S. Scriptura vel ex Traditione erui debet; nam in iis quae ordinem supernaturalem attingunt, ignarus omnino est quilibet homo ideoque peculiari indiget auxilio seu lumine divinitus indito. Iamvero neve ex Sacris Litteris neve ex Patrum testimonio deducitur necessitas *quasi inspirationis* in Petri Successore designando.

Imo natura Ecclesiae quae est societas humana, visibilis et externa ratione membrorum, omnino postulat ut *per se* Pontificis electio fiat modo *humano, visibili* et *externo*.

Si in aliquo peculiari casu, quasi inspiratio necessaria vel opportuna sit, Deus – ultro concedimus – providebit; verum eadem tamquam ordinaria communisque regula nec supponi nec fingi potest.

Paucis hinc verbis respondendum est ad rationum momenta a Iaconio allegata.

---

(1) L. c.

Ad 1um. Interventus totius cleri populique coetus in R. Pontificis electione est *impossibilis* omnino multiplici de causa; praeterea numquam aut fere numquam haberetur *quasi inspiratio*, sed potius via recluderetur seditionibus, litibus et controversiis quamplurimis, teste historia.

Ad 2um. Eo modo Papa eligi debet, quo *tutius* et *facilius* Ecclesiae viduatae consulatur; nam, vacante Apostolica Sede, tunc maxime nutat Ecclesiae status, ut scitissime animadvertit S. Gregorius M. (1); et Ecclesiae hostibus vix quidpiam optabilius et opportunius accidere potest, quam Romani Pontificis electionem in longius distrahi aut etiam perturbari. Iamvero si Pontifex per *quasi inspirationem* ex parte cleri et populi eligendus est, necessario electio in longius distrahitur ac suapte natura perturbatur; quod nonnisi cum maximo Ecclesiae detrimento fieri, nemo est qui non videat.

Ad 3um. Quasi inspiratio cum nullo innitatur solido fundamento, seu cum de eadem plane sileat tum Scriptura tum Traditio, necessario inter facta mere commentitia recenseri debet.

Ceterum Christus semper Ecclesiae consulit semperque erit consulturus, quin tamen quasi inspiratio absolute necessaria haberi debeat; imo peculiari providentia, fatemur Christum Dominum Pontificis Romani electioni prospicere, ut in eum sua vota electores ferant, quem prae ceteris pietate et doctrina ac prudentia et religionis zelo dignum iudicaverint.

Ad 4um. Ex Mathiae electione, nil prorsus deducitur favore sententiae Iaconii, ut alibi fuse explicandum erit.

ARTICULUS IV.

Num Christus formam electionis determinaverit.

Bibliographia: Bellarminus l. c.; Bonacina, l. c.; Brovius, l. c.; Camarda, l. c.; Fagnanus, l. c., n. 15 ss.; Gonzales, l. c.; Passerini, op. cit., p. 4; Pichler, *in lib. I. Decret. tit. VI.* § 11, n. 80 ss.; Suarez, l. c.; Wernz, to. II, part. II, n. 567.

Summarium: 1. Electio Summi Pontificis arduum et grave negotium est. — 2. Qua forma Christus sibi Petrum successorem elegerit. — 3. Principium theologicum. — 4. Conclusio.

---

(1) Lib. I, epist. 80.

1. **Electio Summi Pontificis arduum et grave negotium est.** — *Totius corporis salus agitur, cum de capite consulitur.* Eiusmodi effatum applicari profecto potest Romani Pontificis electioni. Etenim ex persona Antistitis Maximi totius christianae Reipublicae amplitudo et decor omnino pendet. Teste siquidem historia, constat disciplinam cleri populique mirifice floruisse, cum ad Summum Pontificatum evehi contigit viros pietate et doctrina ac religionis zelo praestantissimos; contra cuique compertum est, abusus plurimos irrepsisse et ecclesiasticam disciplinam quam maxime fuisse neglectam ac enervatam, quoties — quod raro tamen contigisse fatendum est — viri indocti aut divina prudentía destituti vel nitore virtutum carentes pontificiam dignitate sunt adepti.

Idcirco in tanti negotio momenti, oportet quovis humano respectu remoto quavisque mundana ratione seposita, electio nonnisi Spiritus Sancti oraculo inspirante fiat, hoc est unice maiori Dei gloria prae oculis habita communique Ecclesiae catholicae utilitate.

2. **Qua forma Christus sibi successorem Petrum elegerit.** — Christus Dominus, universo humano genere per passionem ac mortem suipsius liberaliter redempto, cupiens Ecclesiae suae visibili summum Pastorem item visibilem relinquere, qui vicariam potestatem usque ad consummationem saeculi exercendam retineret, quindecim vel viginti diebus circiter a sua resurrectione ad littus maris Tyberiadis redivus Apostolis apparuit, et Petrum ad se accersitum, Ecclesiae militantis Summum Pastorem ac Magistrum divino ipsomet suo ore primum designavit (1).

3. **Principium theologicum.** — Quidquid Christus egit mortalis degens in hisce terris nobis non aliunde patescit quam ex Scriptura et Traditione. Utraque enim divinam pandit revelationem, altera quidem veluti fons scriptus, altera tamquam oralis.

Inquirentes igitur num Christus determinaverit formam Summi Pontificis eligendi, oportet videre an in Scripturis vel Traditione mentio occurrat de positiva Christi voluntate quoad hanc rem. Iamvero dum luculenter divina eloquia testantur Christum Dominum constituisse Petrum fundamentum totius Ecclesiae mi-

(1) Joan., XI, 15 ss.

litantis, eique claves regni caelorum tradisse, pro eo preces ad Patrem effudisse, munus ipsi tum agnos tum oves pascendi commisisse, ne verbum quidem faciunt de forma peculiari eligendi Successores Beati Petri.

Neque ex Traditione constat de Christi positiva voluntate. Silent enim SS. Patres, silent vetera documenta, silent scriptores qui de antiqua Ecclesiae disciplina disceptarunt. Ergo Christus formam minime determinavit.

Facta ipsa historica manifesto confirmant doctrinam hanc.

Et sane: si Christus formam Summi Pontificis eligendi determinasset, non varia variis temporibus ipsa fuisset, sed semper eadem. Quod siquidem Christus constituit, ab ulla humana auctoritate corrigi, mutari aut abrogari nequit. Iamvero nemo est qui ignoret formam electionis variam fuisse pro temporum personarumque adiunctis, ut infra exponemus. Igitur prono alveo sequitur Christum Dominum nullatenus determinasse formam Successores Beati Petri eligendi.

4. **Conclusio.** — Si Christus, non determinavit electionis formam, concludere necesse est, eam alicui determinandam reliquisse; secus minime consuluisset Ecclesiae perennitati. Nam suprema Primatus potestas Petro collata non debebat obitu eiusdem cessare, sed in successores integra erat transferenda. « Si quis dixerit non esse ex ipsius Christi institutione seu iure divino, ut B. Petrus in primatu super universam Ecclesiam, habeat perpetuos successores, a. sit ». Ita definivit Concilium Vat.

Qua de causa necessario et absolute adfirmari oportet, vel Christum formam electionis determinasse vel determinandam reliquisse. Si prima hypothesis ex dictis reiicitur, necessario et absolute est secunda admittenda.

Munus autem formam determinandi cuinam Christus commisit? Procul dubio auctoritati, et quidem competenti. Atqui neminem latet competentem auctoritatem in iis omnibus quae res sacras seu spirituales respiciunt non esse laicam, id est civilem, sed ecclesiasticam dumtaxat, prout liquido patet ex fine. Igitur Christus quamvis directo ac immediate non constituerit ac determinaverit ipse formam Pontifices Summos eligendi, nihilominus eam determinandam reliquit competenti auctoritati, nimirum Ecclesiae.

ARTICULUS V.

Num Papa per sortes, vel potius per veram propriamque electionem designandus sit.

Bibliographia : Albanus, op. cit., qu. 58; S. Augustinus, *Doctr. Christ.* lib. I, cap. 28; Azorius, l. c.; Bellarminus, l. c., cap. I; Bonacina, op. cit., disp. I, qu. V, n. 2; Felinus, in c. *Capitulum ad finem, de rescriptis;* Layman, op. cit., lib. IV, tract. 10, cap. 3; Origenes, *Homil. 25 in Iosue;* Passerini, l. c.; Sanchez, op. cit., lib. V, cap. 38; Thomas, *Summ. theol.* 2-2, q. XCV, art. VIII; Turrecremata, l. c.

Summarium: 1. Ius divinum et naturale. — 2. Ius ecclesiasticum. — 3. Opiniones erroneae. — 4. Doctrina catholica.

1. **Ius divinum et naturale.** — Naturalis divinaque lex absolute prohibet quominus designatio Romani Pontificis sortibus committatur. Agitur enim de persona evehenda ad supremum fastigium, cuius scilicet est, Ecclesiam per totum terrarum orbem diffusam regere, Dominicum gregem pascere, universos christifideles salubriter edocere et gubernare eosque ad ultimum sempiternumque finem capessendum adducere. Hinc suapte natura pontificium munus postulat, ut eligendus in Pontificem Maximum prudentia, doctrina ac religionis zelo omnino praestet, quo officio divinitus concredito rite recteque incumbere valeat. Iamvero per sortes eligi possunt non modo viri scientia et pietate praeclari, verum etiam viri aut mali aut ignari, ideoque plane impares pontificio muneri obeundo. Ergo electio per sortes tum positivae Christi voluntati repugnat, tum fini ipsius Ecclesiae, nec non excellentissimae Primatus naturae.

Etenim si sortes superstitiosae sint, quatenus eventus vel a Deo, vel a diabolo exspectetur, earumdem usus impius et sacrilegus censeri debet. Si eventus a casu dumtaxat exspectetur, item impius et sacrilegus est usus sortium, cum citra scelus nequaquam possit incertitudini casus committere electionem Vicarii Christi, Capitis totius Ecclesiae, Pastoris universi Dominici gregis.

Idipsum quoque dicendum, si eventus exspectetur a Deo; nam quaedam in casu haberetur Dei tentatio, quae illicita plane est, ut christiana doctrina indubie suadet; siquidem nulla adest ne-

cessitas huius experimenti, cum aliunde occurrat facultas seu modus providendi Ecclesiae deliberate ac maturo consilio (1).

Merito proinde S. Ambrosius (2) ait: « In sortibus eventus est, non iudicium; et saepe irrationali casu sorte melioribus ultimus quisque praefertur ».

Divino naturalique iure inspecto, usus sortium igitur in Pontificis Maximi electione illicitus plane est ac vetitus.

2. **Ius ecclesiasticum.** — In quibusvis electionibus canonica lex prohibet quominus sortes adhibeantur. Sancte enim religioseque hanc regulam amplectendam iubet: *Electiones non casu, sed divino consilio haberi debent.*

Cap. ult. *De sortilegiis* in Extrav. decernit: « Sortes quibus cuncta vos vestris discriminatis provinciis, quas Patres damnaverunt, nihil aliud sunt quam divinationes et maleficia decernimus. Quamobrem volumus omnino illas damnari, et ultra inter christianos nolumus nominari: et ne exerceantur, anathematis interdicto prohibemus ».

Hinc S. Thomas (3) docet: « Potest in hoc quadrupliciter peccatum incidere... Quarto si in electionibus ecclesiasticis, quae ex Spiritu Sancti inspiratione fieri debent, aliqui sortibus utantur ».

3. **Opiniones erroneae.** — Quidam putant quovis in casu sortes adhiberi posse in electione Praesulum, cum merito supponendum sit Deum suam voluntatem uno aliove modo pandere, eo quod agatur de re maximi momenti.

Alii contendunt sortium usum tunc licitum fieri, cum peculiares dumtaxat intercedunt circumstantiae, v. gr. seditiones ex parte electorum, tumultus vel dissidia alia qua huiusmodi.

Alii demum censent eo tantum in casu licite sortes adhiberi posse, cum electores dubii haerent circa personam eligendam, num digna indignave sit, num ceteris dignior, necne.

4. **Doctrina catholica.** — Usus sortium nedum ex iure ecclesiastico, verum etiam ex iure divino et naturali vetitus om-

---

(1) Cfr. Bellarm. lib. 1, *De cler.*, cap. 5; Azor., op. cit., part. II, lib. 4, cap. 5; Bonacina, op. cit., disp. 1, qu. 5, n. 2; Turrecremata, c. *In nomine Domini*, art. 1.

(2) Lib. 5, *Exam.*, cap. 21.

(3) 2-2, q. XCV, a. VIII.

nino est; id autem ita intelligi debet, ut electio quomodolibet per sortes peracta, tamquam nulla ac irrita ipso facto sit, haberique debeat, *generatim et per se* loquendo.

Diximus *generatim* et *per se* loquendo; scilicet praecisione facta a peculiari Dei inspiratione, quae non supponenda, sed probanda omnino est, ex qua certo constet revera, superno afflante numine, Deum per sortes suam pandidisse voluntatem quoad personam eligendam.

Aliis quibusvis casibus sortium usus impius et sacrilegus est.

Attamen si sortes praecedat electio, earumdem usus non est iure divino vel naturali vetitus. Quod contingit, cum duo vel plures optimi eliguntur, et dein nescientes electores inter huiusmodi electos digniorem discernere, effusis precibus, electionem unius ex illis Deo commendant. Porro causa iusta et rationabilis sic faciendi requiritur, ne electores specie saltem tenus Deum tentare aliquo modo videantur.

Id contigisse in electione Mathiae sacrae Litterae diserte testantur.

In hoc similive casu sortium usum licitum esse ex iure divino et naturali luminis ratio manifesto suadet. In tantum enim divina naturalisque lex prohibet quominus sortes adhibeantur, in quantum periculum adest quod sorte deputentur indigni seu mali et inhabiles. Iamvero, praemissa electione, eiusmodi periculum plane deest cum sors non feratur in dignum et indignum, in bonum et malum, sed in dignos per electionem repertos, quin tamen dignosci valeat quinam ex iis melior censeri debeat.

S. Augustinus (1) ait: « Si tibi abundaret aliquid, quod oporteret dare ei qui non haberet, nec duobus dari potuisset; si tibi occurrerent duo, quorum neuter alium vel indigentia vel erga te aliqua necessitate superaret; nihil iustius feceres, quam ut *sorte* legeres cui dandum esset quod dari utrique non posset ».

Et alibi (2): « Si inter Dei ministros sit disceptatio qui eorum persecutionis tempore maneant, ne fuga omnium, et qui eorum fugiant, ne morte omnium deseratur ecclesia: si haec disce-

---

(1) *Doctr. christ.*, lib. I, cap. 28.
(2) *Epist.* 180 ad Honoratum.

ptatio aliter non potuerit terminari, quantum mihi videtur, qui maneant et qui fugiant *sorte* legendi sunt ».

Item Origenes (1).

Divus Thomas (2) hanc doctrinam egregie tradit et probat.

Cum enim humanum haud superest consilium iure ad divinum recurritur, ut innuere videntur cap. *Quaeritur* 22, qu. 2, et cap. *Si nulla* 23, qu. fin.

Quidam auctores putant sorte dirimi posse litem, quae versetur inter duos electos ad Pontificatum quando alio modo lis dirimi nequeat. Hanc sententiam professi sunt Cardin. (3), Felinus (4), card. Albanus (5), Azorius (6), Lanchez (7), Layman (8).

De iure naturali ac divino nos quoque indubie putamus eiusmodi litem sorte dirimi posse; de iure ecclesiastico vero, alibi sermo erit.

Item canonistae inquirere solent num et quo sensu sortes licite valideque admitti valeant in electione per compromissum peragenda. De hac aliisque quaestionibus nobis alibi erit disserendum.

ARTICULUS VI.

Num iure divino electio Papae ad Episcopos spectet.

Bibliographia: Azorius. l. c.; Bellarminus, l. c., cap. 2; Bonacina, l. c.: Camarda, l. c.: Passerini, l. c., p. 26 ss.

Summarium: 1. Opiniones erroneae. — 2. Rationum momenta quibus innituntur — 3. Catholica doctrina.

1. **Opiniones erroneae.** — Quidam auctores docent ex iure divino electionem Romani Pontificis ad Episcopos ita spectare ut a quibusvis aliis quomodolibet facta nulla irritaque sit.

---

(1) *Homil.* 25 in Iosue.
(2) l. c.
(3) Consult. 150.
(4) In c. *Capitulum ad finem, de rescriptis.*
(5) Op. cit., qu. 58.
(6) l. c., cap. 5, qu. 5.
(7) Lib. V, cap. 38, n. 80.
(8) Op. cit., lib. IV, Tract. 10, cap. 3, n. 9.

Alii censent ius eligendi Papam Episcopis quidem competere, non autem sub poena nullitatis electionis aliter factae.

Alii autumant de iure divino stricto sensu accepto electionem Romani Pontificis ad Episcopos nequaquam spectare, verum de iure divino late sumpta, quatenus *facilius* et *tutius* electioni Papae per Episcopos consuli valet.

Eiusmodi opiniones paucis memorasse verbis sufficiat, cum plane obsoleverint.

2. **Rationum momenta quibus innituntur.** — Haec sunt praecipua argumenta.

1° Potestatem eligendi Romanum Pontificum Christus primo et immediate Ecclesiae tribuit; iamvero Ecclesiam constituunt ac repraesentant Episcopi, utpote qui ab eodem Spiritu Sancto positi fuerunt ad eam regendam. Ipsis proinde ius competit Papam designandi.

2° Is eligi debet in Pontificem Maximum qui doctrina et prudentia ac religione dignus plane sit; hinc quoddam peculiare charisma divinitus inditum in electoribus requiritur, ut rite Ecclesiae viduatae provideant. Iamvero Episcopi, collegialiter copulati, infallibilitate donantur, fatentibus universis theologis; ipsi proinde censeri debent tamquam electores divinitus praeordinati et constituti ad Papam designandum.

3° Papa est Episcopus tum Ecclesiae Romanae, tum Ecclesiae universae; ideo Episcopis, qua talibus, ingenitum seu nativum inest ius Papam eligendi cum Christus nullam electionis formam constituerit.

4° Apostoli elegerunt sibi Petrum in Caput et Pontificem Maximum, ut liquet ex cap. *Si duo*, ex cap. *Si pecunia*, et ex cap. *Si transitus*, dist. 79; nec non ex cap. *Sacrosancta*. dist. 22. Porro eiusmodi eligendi formam Apostoli suis successoribus tradiderunt. Iamvero Episcopi sunt legitimi Apostolorum successores (1); ideoque ipsis privative competit ius Antistitem Romanum deputandi.

5° « Necesse est, ut de iure divino dicamus esse constitutum, ut haec facultas eligendi Pontificem perpetua et perseverans constituatur in aliquo perpetuo duraturo et quod non possit

---

(1) Cfr. cap. *Ecclesiae*, 35 dist.; et 12, q. 1, cap. *Videntes;* et cap. *Legimus*, 3 dist., cap. *In novo*, dist. 22.

deficere, et ad quod iure divino devolvatur electio si contingat illos deficere ad quos ordinarie spectat Papae electio, aliter contingeret Ecclesiam carere omnino Pontifice, si deficiant omnes Cardinales, quibus haec electio competit, et qui omnes deficere possunt, cum non sit magnum, quod 70 homines, vel pestilentia vel hostium incursione pereant; debet igitur dari in Ecclesia aliqua congregatio, cui de iure divino competat eligere Pontificem; haec vero alia esse non potest, nisi Congregatio Episcoporum quae totam Ecclesiam repraesentat » (1).

Ad 1^{nm}. Respondendum est, Christum tradidisse quidem directe et immediate Ecclesiae ius Papam eligendi; verum Ecclesia non constituitur ab Episcopis seorsim aut copulative sumptis, sed ab uno Pontifice Maximo; et Episcopi nonnisi eo sensu dicuntur Ecclesiam constituere quatenus una cum capite seu Romano Pontifice coniuncti copulatique censentur.

Ad 2um. Ultro concedimus eum qui in Papam eligitur doctrina et prudentia ac religione plane dignum esse oportere ac ideo maturo consilio et quavis humana postposita affectione electoribus esse procedendum; at praeter Episcopos alii quoque dantur probi et omni exceptione maiores viri, quibus Pontifex munus Papae designandi concredere valet.

Ceteroquin si charisma peculiare in Pontificis electione reapse requireretur, id ex sacris Litteris vel ex Traditione eruendum foret; imo ipsemet Christus debuisset formam designationis statuere et expresse divina sua, qua pollebat, auctoritate perpetuos designare electores.

Ad 3um. Candide fatemur inepte omnino patronos ratiocinari. Sane eo ipso quod Christus formam electionis nequaquam determinavit, id unum sequitur, nimirum eam determinandam reliquisse Ecclesiae. Verum istiusmodi ius Christus Ecclesiae tribuit quatenus est corpus capiti coniunctum, ac ita quidem concessit ut haec facultas esset principaliter in Papa, in aliis vero nonnisi pro arbitrio et dispositione Papae; etenim meliori modo committi nequit quam ut determinatio formae electionis iuxta temporum varietatem et adiunctorum exigentiam directioni ac determinationi Pontificum plane subdatur.

---

(1) Cfr. Passerini, op. cit., p. 27.

Ad 4um. Textus allegati nil in contrarium evincunt. Re quidem vera, cap. *Si duo* loquitur de casu particulari, quo duo temere sint intrusi in Pontificatu, et decernit neutrum ex iisdem tamquam Pontificem esse habendum; sed eo in casu statuitur, ut ii, ad quos electio spectat, tertium legitime designent.

Cap. *Si transitus*, potiusquam traditae doctrinae adversetur, eam potius diserte confirmat. Etenim ibi decernitur ut ille veluti legitimus Papa habeatur, qui vel unanimiter vel a pluribus fuerit electus, ab iis scilicet, quibus de iure competit electio.

Falsum omnino est, Apostolos elegisse Petrum in caput et pastorem Ecclesiae; neque id asserit cap. *Sacrosancta*, in quo solum habetur quod Petro Dominus concessit, ut ceteris Apostolis praeesset, *quod et ipsi inter se idipsum voluerunt*. Haec verba – *et ipsi inter se idipsum voluerunt* – haud significant Apostolos elegisse Petrum, vel eorum consensum Christi electionem praecessisse, sed tantum indicant Apostolos consequenter gratam habuisse ac libere acceptasse electionem Petri, qua a Christo Domino in Caput Ecclesiae designatus fuit. Id autem luculentissime patet ex Evangelio. Nam Christus, inconsultis et irrequisitis Apostolis, Petrum designavit Ecclesiae fundamentum eique promisit se daturum claves regni coelorum, ac ei reapse munus commisit pascendi agnos et oves, hoc est supremam tradidit potestatem in totam universamque Ecclesiam.

Ex Petri electione hoc unum sequitur, nempe sicut Apostoli gratam habuerunt electionem a Christo factam, ita Episcoporum est libenter in Pontificem eum recipere, qui iuxta determinationem Successorum Petri, quibus hoc concreditum est, canonice fuerit electus.

Ad 5um. Equidem concedimus potestatem eligendi Papam esse iure divino in Ecclesia *perpetuo* et *inamissibiliter*, uti aiunt canonistae. Verum determinatio huius iuris quoad has vel illas personas est de iure positivo ecclesiastico, quatenus pendet ab arbitrio et a voluntate Papae; ideo ex argumento nil aliud concluditur, quam, casu eveniente, quo nullus superesset legitimus elector Papae ordinatione constitutus, tunc ad Ecclesiam pro illa vice et per modum cuiusdam devolutionis spectaret Papam eligere, ut scite explicat Caietanus (1).

---

(1) L. c., cap. 13.

Quibus omnibus mature consideratis, indubie concludendum est R. Pontificis electionem nullo pacto ad Episcoporum coetum iure divino spectare.

ARTICULUS VII.

Num electio Papae oecumenico Concilio competat.

Bibliographia: Anton., *Summula, part. III, tit. 21 cap. 2;* Bellarminus, l. c.; Camarda, l. c.; Corvinius *Hist. eccl.;* Decius, *in cap. Licet, n. 5 de elect.;* Hostien. *in cap. Licet, n. 42 de elect.;* Paludanus, *in cap. In nomine Domini, dist. 23, art. 2;* Panorm., *in cap. Licet. n. 1 de elect.;* Paris, *de resignat. lib. I. qu. 1*; Passerini, op. cit., p. 19; Suarez, *De Fide disp. 10, sect. 4. n. 11;* Turrecremata, *in cap. In nomine Domini, dist. 23, art. 2;* Victoria, *in cap. Licet. n. 5, de elect.*

Summarium: 1. Sententia Turrecrematae et Petri Paludani — 2. Sententia Antonii, Decii, Hostiensis et aliorum. — 3. Sententia Victoriae et Corvinii. — 4. Catholica doctrina.

1. **Sententia Turrecrematae et Petri Paludani.** — Clariss. Turrecremata (1) et Petrus de Palude, uti aiunt, seu Paludanus (2) docent ius Romanum eligendi Pontificem competere primario Ecclesiae universae, hoc est oecumenico Concilio, et nonnisi ex Concilio repraesentante totam Ecclesiam ad alios, puta ad Cardinales, promanasse, sicut ius eligendi Imperatorem de consensu populi in senatores translatum fuit.

2. **Sententia Antonii, Decii, Hostiensis et quorumdam aliorum.** — Antonius (3), Decius (4), Card. Hostiensis seu Hugo de Segusino (5), et quidam alii auctores putant eo dumtaxat in casu electionem summi Pontificis, de iure quidem divino, ad oecumenicum devolvi Concilium, cum omnes forte desint electores, puta Cardinales, a Papa legitime designati.

3. **Sententia Victoriae et Corvinii.** — Victoria (6) et Cor-

---

(1) In cap. *In nomine Domini*, dist. 23, art. 2.
(2) In d. cap.
(3) *Summula*, part. III, tit. 21, cap. 2, § 6.
(4) In cap. *Licet*, n. 5, *de elect.*
(5) In cap. *Licet*, n. 42, *de elect.*
(6) L. c. *de relict.*

vinius (1) censent iure quodam secundario Antistitis Maximi electionem ad generale Concilium pertinere, quatenus, accedente totius Ecclesiae assensu, is profecto in Papam eligitur qui dignus plane sit ac benevisus, sicque tutius et congruentius consulitur Ecclesiae regimini obeundo.

4. **Catholica doctrina.** — Electio Romani Pontificis neve primario iure seu directe, neve secundario, hoc est indirecte, ad oecumenicum pertinet Concilium. Sane:

1° Concilium generale ne concipi quidem valet, praecisione facta a Pontifice; cum ipsius dumtaxat sit illud rite convocare, ei praeesse eiusque acta approbare. Hinc sequitur, nihil plane iuris Concilio oecumenico competere independenter a Papa; idcirco in tantum eiusmodi eligendi facultas potest ad Concilium spectare, in quantum reapse ei Pontifex tribuerit. Id loculentisse patet ex catholica doctrina de Primatus natura.

2° Neve dicas generale Concilium universam Ecclesiam ex se ipso repraesentare; nam Ecclesia nonnisi iuncta capiti vel in actu (Papa vivente) vel in virtute seu habitu (Papa defuncto) concipi haberique potest.

3° Si revera potestas Papam designandi iure divino Concilio competeret, id eruendum foret vel ex Sacris Litteris vel ex Traditione. Atqui non modo nihil prorsus favore Concilii liquet ex S. Scriptura ac Traditione, verum uterque revelationis fons diserte ostendit Christum Dominum Petro eiusque successoribus directe et immediate plenam ac independentem dedisse facultatem. Hinc est quod divino innixi testimonio vix non omnes auctores ius praescribendi electionis formam uni Pontifici Maximo adiudicent, v. gr. Azorius (2), Barbosa (3), Castell. (4), Caietanus (5), Anton. (6), Sylv. (7), Bonacina (8), Panormitanus (9), Pas-

---

(1) *Hist eccl.*, p. 48 ss.
(2) Op. cit., part. 2, lib. 4, cap. 5, q. 2.
(3) Cap. *In nomine Domini.*
(4) *De elect.*, c. 10, n. 2.
(5) To. I, opusc. tract. I, cap. 13.
(6) *Summula,* part. 3, tit. 21, § 10.
(7) Op. cit., v. *electio,* 3.
(8) Op. cit., p. 12.
(9) In cap., *Licet,* n. 1, *de elect.*

serini (1), Paris (2), Suarez (3), aliique plures, ut alibi exponendum erit.

4° Is modus electionis Pontificis peragendae divinitus praeordinatus censeri debet, quo provide solerterque Ecclesiae viduatae consulitur. Iamvero si ius Papam designandi Concilio oecumenico competeret, electio in longius ex una parte necessario distraheretur, ex alia parte vero eadem perfici haud posset nisi maxima cum difficultate. Primum patet ex eo quod Concilii generalis convocatio longum suapte natura temporis spatium requirit, teste historia; alterum ex eo liquet, quod plurima adiuncta, potissimum temporum iniuria et Statuum malitia, ipsam convocationem praepedirent, vel saltem retardarent, aut uno aliove modo libertatem Concilii laederent. Perpelle Passerini ad rem scribit:

« Adiungitur tertio, quod Papam eligi a Concilio est modus electionis tardissimus, valde dispendiosus et subiectus maximis periculis, et relinquens perniciose Ecclesiam per longum tempus viduatam; non fuit ergo conveniens, quod Christus determinaret, ut electio per se spectaret ad Ecclesiam universalem, vel ad Concilium. Neque valet dicere quod potuit committi Concilio directio electionis, quia haec convenienter debebatur capiti, non corpori, et multo facilius et securius Pontifices Romani, qui sunt in facto, et plenam notitiam electionis huius habent, possunt decernere quae circa huiusmodi electionem conveniant. Itaque igitur electio formaliter non fuit per se commissa Concilio, quia non expediebat Ecclesiae. Nec ei fuit commissa simpliciter directio eiusdem electionis, quia haec competit Papae; non est igitur, unde dicatur, quod Concilium de iure divino habet ut per se et simpliciter eligat Papam » (4).

5° Id autem praxis Ecclesiae manifesto probat. Etenim a primordiis Ecclesiae ad nostra usque tempora, hoc est a divo Petro usque ad Pium X, ne unus quidem invenitur Pontifex qui a Concilio fuerit electus, etiamsi Concilio congregato vacaverit Apostolica Sedes, ut Concil. Constant. et Lateranen. tempore contigisse constat.

(1) L. c., p. 19.
(2) *De resignatione,* lib. I. qu. 1, n. 13.
(3) Disp. 10, *de fide,* sect. 4, n. 11 ss.
(4) L. c.

ARTICULUS VIII.

Num electio Summi Pontificis ad populum iure divino spectet.

Bibliographia: Augustinus, epist. 110, 225; Azorius, l. c.; Bellarminus, l. c., cap. 7; Bonacina, op. cit., p. 21 ss.; Camarda, l. c.; Fagnanus, l. c., n. 22 ss.; Gonzales, l. c., n. 1 ss.; Passerini, l. c.; Petra, l. c.; Hieronymus, *Cronic.*, p. 15 ss.; Ruffinus *Hist.*, lib. XI, cap. 10 ss.; Theodoretus *Hist.*, lib. I, cap. 9; Thomassinus, op. cit., parte I, lib. I, cap. 54 ss.

Summarium: 1. Errores. 2. Doctrina catholica.

1. **Errores.** — Martinus Lutherus, Ioannes Calvinus, Mathias Illyricus, Ioannes Brentius, Martinus Kemnitius, aliique sectatores systematis protestantismi, docent ac omnium contentione virium probare satagunt, electionem ministrorum Ecclesiae in genere, et in specie electionem Romani Pontificis ad clerum ac populum spectare, ita quidem ut sine populi consensu et suffragio legitime electio nequaquam fieri valeat.

Lutherus (1) ait: « Hunc ritum per multas epistolas Cyprianus commemorat, semper suffragium populi, et iudicium propinquorum, Episcoporum, ita allegans, ut hanc ex Deo ordinationem esse cum fiducia pronunciet... Nec referre est necesse quanto felicius hodie is ritus divinus servaretur, praesertim tot sacerdotibus malis regnantibus, et invito populo impositis ».

Calvinus (2): « Habemus - inquit - esse hanc legitimam ex verbo Dei ministri vocationem, ubi ex populi consensu et approbatione creantur, qui visi fuerint idonei. Praeesse autem electioni debere alios pastores, ne quid vel per levitatem, vel per mala studia, vel per tumultum a multitudine peccetur ».

Mathias Illyricus (3) acriter contendit, facultatem eligendi ac instituendi universos Ecclesiae ministros exclusive multitudini fidelium iure divino competere.

« Habet - ait ipse (4) - Ecclesia in quolibet loco, hoc est, totus coetus, tum, ut nunc vocamus, laicorum, tum clericorum

---

(1) *De potestate Papae*, p. 58.
(2) *Instit. christ.* lib. 4, cap. 3, § 15.
(3) *De Episcoporum electione*, p. 18 ss.
(4) *Hist. Eccl. Centur.*, lib. 2, cap. 4, col. 391.

coniunctim potestatem eligendi, vocandi et ordinandi ministros idoneos ».

Ioannes Brentius (1) cunctis viribus eiusmodi ius populi asserere ac vindicare conatur.

Item Martinus Kemnitius (2) potestatem designandi ministros ecclesiasticos coniunctim clericis laicisque competere contendit.

Quae doctrina suapte natura profluit ex protestantismi systemate; nam negata hierarchia in Ecclesia divinitus constituta et quavis potestate fidelium multitudini adiudicata, prono alveo sequitur, cum pari iure singuli in Ecclesia potiantur, ius eligendi vocandique ministros ad integrum populum christianum spectare, ad clericos scilicet una cum laicis.

Inter auctores, qui recentiori aevo absona plane protestantismi consectaria amplexati sunt, silentio praeteriri nequit Antonius Rosmini, qui penitus reiectum peroptat cuiuslibet auctoritatis laicae interventum, at simul contendit votum et suffragium populi (non autem consensum stricte sumptum) omnino esse requirendum in pastorum Ecclesiae aliorumque ministrorum electione. Mirandum sane est quod istiusmodi plebis interventum ex ipsamet Ecclesiae natura Rosminius depromere ac probare ausus fuerit.

« Vero è – inquit – che non essendo il governo istituito da Gesù Cristo nella sua Chiesa una dominazione terrena, ma un servigio in favore degli uomini, un ministero di salute per le anime; egli non è retto dall'arbitrio di una dura autorità, non si picca di un crudo diritto; ma egli si piega, e, fondato nell'umiltà e nella ragione, riceve la legge, per cosí dire, da quei soggetti medesimi in vantaggio dei quali è stato istituito, e la sua mirabile costituzione è appunto quella di potere ogni cosa pel bene e niente pel male: tale è la sola sua superiorità, il solo diritto che egli vanta, il diritto di giovare. Indi quel dolce principio dell'ecclesiastico reggimento, che in tutto manifestavasi nei primi secoli della Chiesa, e particolarmente nella elezione dei primi pastori ed era questo « *il clero giudice, il popolo consigliere* » (3).

---

(1) *Delle cinque piaghe della Santa Chiesa*, Lugano, 1848, p. 123 s.
(2) Cfr. MATTH. ILLYR., *De elect. Episc.*, p. 45 ss.
(3) *Adv. Petrum a Soto, proleg.*, p. 15.

Rationum momenta, quibus laicis adiudicatur eligendi ius, haec praecipua sunt (1).

1° Claves regni coelorum universae Ecclesiae traditae fuerunt, non autem uni Papae vel Episcopis. Sane verba Christi (2) « *Tibi dabo claves* etc. », S. Augustinus (3) merito putat dicta fuisse Petro, quatenus personam Ecclesiae ipse gerebat.

Item Christus (4) toti multitudini ait: « *Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata in coelo: et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo* ».

Nullum dubium quin nomine clavium significetur universa potestas ecclesiastica; ideoque fidelium plebs a Christo ius habet eligendi ministros.

2° Christus ipse praecipit, ut alienorum vocem non audiamus: « *Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo: quia non noverunt vocem alienorum* » (5); item mandat ut falsos prophetas propulsemus: « *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces* » (6). Paulus expresse anathematizari iubet eos, qui praeter evangelium aliquid docent: « *Sed licet nos aut angelus de coelo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Sicut praediximus et nunc iterum dico: si quis vobis evangelizaverit praeter id, quod accepistis, anathema sit* » (7).

Plebs igitur christiana ex divino mandato tenetur bonos pastores quaerere ac vocare, malos autem reiicere.

3° Episcopus, et a fortiori Papa, est minister Ecclesiae. Re quidem vera Apostolus (8) docet Praesules constitutos in Ecclesia fuisse tamquam fidelium ministros.

Ideo si Episcopi ipsique Summi Pontifices Ecclesiae ministri sunt, ab eadem Ecclesia, hoc est, a fidelium communitate eligi

---

(1) *Examen Concilii Trid.*, p. 42 ss.
(2) MATTH. XVI, 19.
(3) *Tract. 124 in Ioan.*
(4) MATTH. XVIII, 18.
(5) IOAN. X, 5.
(6) MATTH. VII, 15.
(7) GALAT. I, 8-9.
(8) Cor. I, cap. I, 12-23; cap. III, 1-14.

debent; plane enim compertum est, ministrorum electionem ad eos spectare, quibus reipsa inserviunt.

4° Ecclesia, seu christiana societas, est columna ac firmamentum veritatis, ut perbelle docet Apostolus Timotheum alloquens: « *Ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis* » (1).

5° Non Apostoli soli, sed universa Ecclesia Mathiam et Barsabam elegit, ut Sacrae Litterae diserte testantur.

« *Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intravit et exivit inter nos Dominus Iesus incipiens a baptismate Ioannis usque in diem, qua assumptus est a nobis, testem resurrectionis eius nobiscum fieri unum ex istis. Et statuerunt duos, Ioseph, qui vocabatur Barsabas qui cognominatus est Iustus; et Mathiam. Et orantes dixerunt: Tu, Domine, qui corda nosti omnium, ostende, quem elegeris ex his duobus unum accipere locum ministerii huius, et apostolatus, de quo praevaricatus est Iudas ut abiret in locum suum. Et dederunt sortes eis et cecidit sors super Mathiam et annumeratus est cum undecim Apostolis* » (2).

6° Scriptura expresse tradit Stephanum et alios diaconos electos fuisse a multitudine fidelium. « *Convocantes autem duodecim multitudinem discipulorum, dixerunt: Non est aequum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis. Considerate ergo fratres viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu Sancto et sapientia, quos constituamus super hoc opus. Nos vero orationi, et ministerio verbi instantes erimus. Et placuit sermo coram omni multitudine. Et elegerunt Stephanum, plenum fide et spiritu sancto etc.* » (3).

7° In Act. Apostolorum (4) legitur: « *Et cum constituissent illis per singulas ecclesias presbyteros... commendaverunt eos Domino, in quem crediderunt* ».

Vox graeca χειροτονήσαντες significat, cum elegissent *per suffragia*. Nam χειροτονέω est quasi χειραζείνω, id est, manus

(1) Tim. I, cap. III, 15.
(2) *Act.* I, 21-26.
(3) *Act.* VI, 2-5.
(4) Cap. XIV, 22.

tendo, seu attollo in signum suffragii; ut enim constat ex Marco Tullio in oratione pro Flacco, signum suffragii apud Graecos erat, attollere manus. Cum ergo Paulus et Barnabas elegerint episcopos ad suffragia populi, manifestum est, eos praefuisse quidem electioni, sed non solos elegisse (1).

8° S. Cyprianus (2) sic ait: « Propter quod plebs obsequens praeceptis dominicis, et Deum metuens, a peccatore praeposito separare se debet, nec ad sacrilegi sacerdotis sacrificia miscere, quando ipsa maxime habeat potestatem, vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi, quod et ipsum videmus de divina auctoritate descendere ut sacerdos plebe praesente, sub omnium oculis delibatur, et dignus atque idoneus publico iudicio ac testimonio comprobetur ».

9° Concilium Nicaenum in epist. ad Alexandrinos (3) haec refert: « Dignum est vos potestatem habere, et eligendi quemlibet, et nomina, eorum dandi qui clero sunt digni et absolute facere secundum leges et sanctiones Ecclesiae. Si quem vero contigerit requiescere in Ecclesia, tunc provehi in honorem defuncti eos, qui nuper assumpti sunt, solummodo si videantur digni, et *populus eos elegerit,* condecernente simul et designante maxime Alexandrinae civitatis episcopo ».

Nullum dubium quin allegatis verbis sacra Nicaena synodus fidelibus Alexandrinis potestatem adiudicet ministros eligendi.

10° Concilium II oecumenicum in epistola ad Damasum haec significanda statuit (4): « Reverendissimum et Deo amabilem Nectarium Episcopum ordinavimus coram universali Concilio cum omni concordia, sub aspectu etiam Deo amabilis imperatoris Theodosii, universique cleri, *cuncta decernente pariter civitate* ».

11° Concilium Carthaginien. III (5) decernit: « Nullus ordinetur clericus, nisi probatus fuerit vel examine Episcoporum, vel *populari testimonio* ».

---

(1) Cfr. BELLARM., *De clericis*, lib. I, cap. VII.
(2) Lib. I, epist. 4.
(3) Cfr. THEODORET, lib. I, cap. 9 hist.
(4) Cfr. THEODORET, lib. V. cap. 9 hist.
(5) Can. 2, dist. XXIV.

12° Concilium Navaten. (1) statuit: « ... Alias autem, sine clericorum testimonio videlicet consilio, et populi testimonio, nullum Episcopus ordinare praesumat ».

13° Can. 6 (2) praecipit: « Episcopus sine consilio clericorum suorum clericos non ordinet: ita ut *civium conniventiam et testimonium quaerat* ».

14° Can. 1 (3) decernit: « Nulla ratio sinit, ut inter Episcopos habeantur, qui nec a clericis sunt electi, *nec a plebibus sunt expetiti* ».

Can. 11 (4) haec habet: « Plebs Diotrensis data nobis petitione deflevit diu se sine rectoris proprii gubernatione dispergi... Et ideo fratres charissimi diversos ex omnibus saepe dicti loci parochiis, et presbyteros et diaconos et *universam turbam vos oportet saepius convocare*; quatenus non prout cuilibet libuerit, sed concordantibus animis talem vobis admoventibus sibi quaerant sola divinitatis attentione personam, quam nulla contrarietas a constitutis possit revocare rescriptis ».

15° Can. 13 (5) mandat: « Episcopos per Aemiliam non consecres, nisi post electionem vel *consensum* cleri et *populi* ».

16° Pelagius Papa in epistola ad Iulianum Episcopum Grumentinum (6): « Literas charitatis tuae suscepimus, quibus significas Latinum diaconum tuum ad episcopatum ecclesiae Marcellianensis a clero et *omnibus, qui illic conveniunt, postulari* ».

17° Stephanus Papa Guigoni comiti haec significat (7): « Lectis sagacitatis vestrae apicibus, qui defuncto ecclesiae Reatinae antistite clerum et *plebem eiusdem elegisse sibi futurum antistitem,* et a nobis consecrandum vestro studio directum esse, ne ipsa ecclesia diu sine proprio constet pastore, fatebantur... ».

18° Leo Papa decernit (8): « Metropolitano defuncto, cum in loco eius alius fuerit subrogandus, provinciales Episcopi ad ci-

---

(1) Can. 5, dist. cit.
(2) Dist. cit.
(3) Dist. LXII.
(4) Dist. LXIII.
(5) Dist. cit.
(6) Can. 14, dist. LXIII.
(7) Can. 18, dist. cit.
(8) Can. 19, dist. cit.

vitatem metropolim convenire debent, ut omnium clericorum atque *civium voluntate discussa,* ex presbyteris eiusdem ecclesiae vel diaconibus optimus ordinetur... ».

19° Isidorus in libro Officiorum statuit (1): « Archidiaconus... cum clericis et *populis ipsius plebis electionem faciat,* quatenus dignus pastor domui Dei constituatur... ».

20° Coelestinus Papa (2): « Cleri *plebisque consensu* et desiderium *requiratur* ».

21° Leo Papa (3): « *Vota civium, testimonia populorum, honoratorum arbitrium,* electio clericorum, in ordinationibus sacerdotum *constituantur* ».

22° In primo libro Capitulorum Caroli et Ludovici Imperatorum (4) statuitur: « Episcopi per *electionem cleri et populi* secundum statuta canonum de propria dioecesi... ob vitae meritum et sapientiae donum eligantur ».

23° Leo Papa in epistola ad Anastasium Episcopum ait: « De persona autem consecrandi Episcopi, et de cleri *plebisque consensu* metropolitanus episcopus ad fraternitatem tuam referat... » (5).

24° Anacletus Papa iubet: « Reliqui sacerdotes a proprio ordinentur Episcopo, ita ut *cives* et alii sacerdotes *assensum praebeant...* » (6).

25° C. VIII, quest. 1, Can. *Licet,* haec praecipit: « Licet ergo dominus de constituendo principe praecepisset et elegisset, tamen convocatur etiam synagoga. *Requiritur* ergo in ordinando sacerdote etiam populi *praesentia,* ut sciant omnes, et certi sint, quod qui praestantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior: ille eligitur ad sacerdotium, et hoc *attestante populo* ».

26° Ultimum argumentum adversarii ex Ecclesiae consuetudine desumunt. Sane Illyricus ait, eiusmodi usum fuisse in Ecclesia per annos fere 1300, et nonnisi a tempore Friderici II qui obiit anno 1250 more esse receptum, ut laici excluderentur ab

(1) Can. 20, dist. cit.
(2) Can. 26, dist. cit.
(3) Can. 27, dist. cit.
(4) Can. 32, dist. cit.
(5) Can. 4, dist. LXV.
(6) Can. 1, dist. LXVII.

electione. Probat autem, quod tamdiu duraverit consuetudo eligendi ad suffragia populi, ex Gregorio IX, qui sedit tempore Friderici. Prostat enim in decretalibus epistolis a Gregorio IX editis (tit. de electione, cap. *Messana*), mentio huius rei, item in epistola eiusdem Gregorii ad Episcopum Bremensem, apud Krantium (1). Denique ita concludit Illyricus hoc argumentum: « Quare nullum prorsus est dubium, quin electio ante annos 300 et deinceps quoque aliquandiu a laicis citra omnem controversiam sit factitata (2) ».

2. **Doctrina catholica.** — Ius eligendi Romanum Pontificem ceterosque Ecclesiae pastores nequaquam competit plebi seu laicis iure divino. Qua in re, distinguere praestat inter mares et feminas, inter electionem proprie dictam, et praesentationem aut commendationem.

Mulieres sunt ipso iure divino incapaces iurisdictionis ecclesiasticae exercendae, quidquid aliter putent nonnulli doctores; ex quo fit ut iisdem ne ex benigna quidem Romani Pontificis concessione competere possit potestas ministros ecclesiasticos proprie deligendi. Inepte vero quis obiiceret canones et privilegia quaedam a Sede Apostolica mulieribus attributa; nam eiusmodi canones et privilegia nos minime latent. Verum non agitur in casu de vera ac propria iurisdictione ecclesiastica, sed tantum de *nudo ministerio* seu *de exercitio ministeriali* eiusdem, quod citra dubium putamus ad mulieres quoque spectare posse de Antistitis Maximi consensu.

Electio proprie dicta ea nuncupatur, ex qua candidatus ius reapse acquirit, hoc est iurisdictionem exercendam. Impropie dicta ea censetur, qua candidatus commendatur utpote vita ac doctrina et moribus clarus, vel proponitur instituendus legitimo superiori, quin tamen ex hac commendatione aut praesentatione ipsi ullum sit ius potestatis exercendae.

Maxime proinde adest discrimen inter alium et alium electionis modum.

Electio proprie dicta nullo umquam tempore ad laicos pertinuit, ut fuse alibi probandum erit; attamen incunctanter cen-

---

(1) Lib. 8 *metropolis*, cap. 3.
(2) Cfr. Bellarm, l. c.

semus eamdem ex concessione potuisse, absolute loquendo, ac posse laicis *viris* competere, non autem *mulieribus*.

Electio improprie dicta aliquando fieri consuevit etiam a laicis; at nonnisi ex concessione tacita vel expressa aut ex mera tolerantia Pontificum.

His praemissis, catholica doctrina nobis vindicanda est.

1° Christus (1) Apostolis ait: « *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* ». Quibus ex verbis innuere voluit ut ea potestate Apostoli eaque ratione Ecclesiam regerent, qua ipse degens in terris rexerat. Christus autem primum Apostolos duodecim elegit, ac dein discipulos quin ullum exquisierit consilium vel suffragium populi.

2° Apostolus (2) scribit: « *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron* ». Nemo igitur sibi honorem assumere debet nisi a Deo vocatus fuerit, tamquam Aaron; atqui Aaron a solo Moyse in Pontificem electus fuit (3) absque consensu aut multitudinis consilio.

3° Praelati in Ecclesia sunt veluti pastores populi, et populi tamquam oves (4); iamvero munus eligendi ad regimen et gubernationem spectat; ergo multitudo seu oves, quae pasci ac regi debent, nequeunt eligere, ne ipsaemet pascere ac regere contra ius divinum dicantur.

4° Apostoli passim Episcopos eligebant nullo praehabito populi consensu, atque Ecclesias ipsis committendas creabant, historia teste. Quampropter iure merito Innocentius I (5) ait: « Cum sit manifestum, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, Siciliam, Insulasque interiacentes, nullum hominum instituisse Ecclesias; nisi eos, quos venerabilis Petrus Apostolus, aut eius Successores constituerunt sacerdotes ».

5° Concilium Laodicen. I (6) expresse decernit: « Non est permittendum turbis electionem eorum facere, qui sunt ad sacerdotium promovendi ».

---

(1) Ioan. XX, 21.
(2) Hebr. V, 4.
(3) XXVIII, 1.
(4) Ioan. XXI, 16-17; *Act.* XX, 28; I, Petr. V, 2.
(5) *Epist. ad Decent.*
(6) Can. 13.

6° Concilium Martini Papae (1) statuit: « Non licet populo electionem facere eorum, qui ad sacerdotium promoventur, sed in iudicio Episcoporum sit ».

7° Concilium Nicaenum II (2) haec habet: « Omnem electionem, quae fit a magistratibus Episcopi, vel presbyteri vel diaconi, irritam manere. Oportet enim, qui est promovendus ad episcopatum, ab Episcopis eligi ».

8° Concilium Constantinopol. IV (3): « Sancta et universalis synodus definit neminem laicorum principum, vel potentum semet inferre electioni, vel promotioni patriarchae, vel metropolitani, aut cuiuslibet episcopi, praesertim cum nullam in talibus potestatem, quemlibet potentum, vel caeterorum laicorum habere conveniat, sed potius silere, ac attendere sibi, usquequo regulariter a collegio Ecclesiae suscipiat finem electio futuri Pontificis ».

9° Adrianus Papa haec (4) decrevisse dicitur: « Nullus laicorum principum vel potentum semet inferat electioni, aut promotioni patriarchae, metropolitani, aut cuiuslibet episcopi, ne videlicet inordinata et incongrua fiat electio ». Quidquid sit de huiusmodi canonis auctoritate, citra dubium est, catholicam doctrinam perspicue eum probare, cum manifeste patefaciat quaenam fuerit tunc temporis hac de re mens.

10° Item dicas de can. 4 (5) qui habet: « Porro scias, quia relatum est nobis, quod quicumque ad episcopatum in regno tuo provehendum est, nonnisi faventem tibi permittas eligi. Idcirco apostolica auctoritate sub divini iudicii obtestatione iniungimus tibi, ut in Trevirensi urbe, et in Agrippina Colonia nullum eligi patiaris antequam relatum super hoc nostro Apostolatu fiat ».

11° Item can. 7 (6) refert: « Omnis electio episcopi, vel presbyteri vel diaconi a principibus facta, irrita maneat, secundum regulam quae dicit, si quis episcopus secularibus potestatibus usus ecclesias per ipsas obtinuerit, deponatur et segregentur ab ecclesia omnes, qui illi communicant ».

---

(1) Apud Martin. Bracharen., cap. 1, decret.
(2) Can. 2.
(3) Can. 28.
(4) Can. I, dist. 63.
(5) Dist. cit.
(6) Dist. cit.

12° Romani Pontifices quoad universam Ecclesiam, Patriarchae et Metropolitae quoad provincias seu regiones, Episcopi quoad dioeceses, ad electionem ministrorum qui fidelium curam gererent, ita quovis tempore processerunt, ut eiusmodi eligendi iure tamquam divinitus sibi concredito ac privative demandato usi fuerint.

Sane Hieronymus (1) testatur Alexandriae « a Marco evangelista usque ad Heracleam et Dionysium episcopos » presbyteros a clero delectos fuisse.

Ruffinus (2) enarrat Frumentium a S. Athanasio creatum esse Episcopum Indorum, sine ullo eorum consensu vel suffragio, imo neve scientibus ipsis neve cogitantibus.

Item testatur Epiphanius (3) de Pauliniani electione et consecratione.

Romanos vero Pontifices quod attinet, innumera exempla afferri possunt, ex quibus satis superque colligitur, insciis seu irrequisitis populis, Episcopos saepissime ipsos creasse.

Quod factum, maximi profecto momenti, hisce verbis probe novit vindicavitque clariss. Thomassimus (4): « Refert in Bibliotheca Photius (nempe cod. XLVIII), Caium doctissimum, clarissimumque Romanae Ecclesiae presbyterum, Pontificibus Victore et Zephyrino gentium Episcopum ordinatum esse κῶροτονηθῆναι ἐθνῶν Επίσκοπον, et veluti regem iunctum, et coronatum ei regno, quod vi et consilio esset adepturus. Eo fere modo Pontifices Romani consecravere Episcoporum partem longe maximam, quos deinde immitterent ad debellandas, fideique iugo subiiciendas provincias illas, quas in epistola sua enumerat Innocentius primus »

13° Plurima incommoda suapte natura profluunt ex populari electione.

Qui ad sacra munia obeunda deputantur, oportet doctrina, pietate ac religionis zelo praeclarissimi sint. Iamvero plebs, cum

---

(1) *Epist 85 ad Evagrium.*
(2) *Hist* lib. X, cap. 9.
(3) *Epist. ad Ioan.*
(4) *Op. cit.* part. I, lib. I, cap. 54.

ignara plane sit, nequit iudicium proferre num aliquis sit idoneus sacerdotio, nec ne; num dictis qualitatibus praestet, vel minus.

Praeterea, si multitudinis esset reipsa ministros ecclesiasticos deputare, eos citra dubium eligendos curaret, qui sibi forent benevisi et humano iudicio commendabiles. Quare S. Chrysostomus (1) graviter queritur, quod suo tempore Episcoporum electiones in manu populi essent, affirmatque mirandum haud esse, si pessimi quique praeficiantur et optimi viri interim negligantur, cum eorum sit eligere, qui nihil norunt nisi de rebus temporalibus iudicare (2).

Tandem popularis electio seditionibus ac tumultibus quamplurimis, historia teste et experientia, obnoxia est.

Ruffinus (3) tumultus enarrans populi mediolanensis in antistite deligendo, ait: « Dissensio gravis et periculosa urbi propriae maturum parabat exitium ».

Item S. Augustinus (4) contentionem turbulentissimam refert quae, populo conclamante, habita fuit in Piniano designando.

In electione S. Damasi ea fuit animorum perturbatio ut plures interrempti sint, testibus Hieronymo (5), et Ruffino (6).

Diluenda remanent paucis saltem verbis argumenta quibus adversarii nituntur in populari electione vindicanda.

Ad 1um Christus tradidit Petro directe et immediate claves regni coelorum seu supremam ac universam potestatem; ideoque tantum abest, quin ex verbis Christi argumentum erui possit contra doctrinam catholicam, ut eam potius luculentissime confirmet.

Neque repugnat interpretatio S. Augustini. Nam ipse significare voluit, Petrum claves accepisse in utilitatem totius ecclesiae, non autem in commodum sui ipsius privatum, atque easdem esse transmissurum ad successores, et cum aliis Episcopis ac presbyteris communicaturum.

Verba « *Quaecumque alligaveritis* etc. », ut liquido patet ex contextu, referuntur ad Ecclesiam, non autem ad fidelium mul-

(1) *De sacerd.* lib. 3.
(2) Cfr. Bellarm, l. c.
(3) *Hist.* lib. XI, cap. 11.
(4) *Epist.* 110, 225.
(5) *Chronic.* p. 18.
(6) *Hist.* lib. XI, cap. 10.

titudinem. Porro nomine Ecclesiae veniunt Pastores, ii nimirum quibus munus concreditum est pascendi regendique christifideles.

Ad 2um Populus tenetur quidem discernere verum a falso propheta, at non alia regula, quam naviter attendendo, utrum is, qui praedicat, contraria enunciet iis, quae a praedecessoribus dicebantur, vel iis, quae dicuntur ab aliis ordinariis pastoribus, et praesertim ab Apostolica Sede. Sane Christus (1) ait: *Qui vos audit, me audit* »; et alibi: « *Omnia ergo quaecumque dixerint vobis, servate et facite* » (2). Tunc igitur debet populus de suo pastore iudicare, cum scilicet nova audit, et quidem ab aliorum pastorum doctrina aliena.

Quo profecto sensu intelligenda sunt etiam verba divi Pauli (3), quatenus ii anathematizandi dicuntur, qui nova docent et iis contraria, quae prius evangelizata fuerunt.

Ad 3um Duplex est ministrorum genus. Alii siquidem inserviunt obediendo, ut mancipia: alii imperando, ut magistratus. Porro Ecclesiae Praelati posteriori sensu ministri dicuntur, quatenus populis serviunt regendo et imperando, monente Apostolo: « *Obedite praepositis vestris, et subiacete eis. Ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri* (4).

Ad 4um Ecclesia ideo dicitur *columna* et *firmamentum veritatis*, quia Petrus eiusque successores infallibilitatis praerogativa donantur ex peculiari Spiritus Sancti adsistentia.

Ad 5um Designatio Mathiae et Barsabae non fuit vera electio, sed mera postulatio, qua scilicet multitudo fidelium effusis precibus a Deo impetravit ut quisnam in locum Iudae eligendus foret, significare ipse dignaretur. Actum fuisse in casu de mera postulatione, non autem de vera propriaque electione, manifesto liquet ex verbis ipsis : « Et orantes dixerunt : « Tu, Domine, qui corda nosti omnium, ostende *quem elegeris* (5) ».

Ad 6um Ex electione Stephani et aliorum inepte omnino adversari argumentum erui contendunt contra catholicam doctri-

---

(1) Luc. X, 16.
(2) Matth. XXIII, 3.
(3) Gal. I, 8-9.
(4) Hebr. XIII, 17.
(5) *Act.* 1, 24.

nam. Nam agebatur in casu de iis eligendis, qui *praeessent mensis,* non autem Ecclesiae regendae. Hinc deputatio Stephani et aliorum non fuit electio pastorum; ideoque ad nos minime spectat.

Ad 7um Verbum χειροτονέω tria significare potest. Primo, eligere per suffragia, ut ratio ipsa etymologiae docet, et firmat auctorum profanorum auctoritas. Secundo, eligere ac decernere quovis id fiat modo. Etenim, licet etymologia ab extensione manuum sumpta sit, tamen derivatur postea verbum ad omnem electionem et sanctionem, ut multis aliis verbis accidit. Lucas (1) dicit: « *Cecidit sors super Mathiam, et annumeratus est cum undecim Apostolis* ». Graece καὶ σύγκατε ψηφίσθη, id est, suffragiis additus est. Siquidem vox ψηφίζεσθαι significat *dare suffragium,* et ψηφίσμα est *ipsum suffragium,* et nihilominus constat Mathiam non suffragiis, sed sorte fuisse electum. Quare ψηφίζεσθαι eo loco accipitur pro *cooptare,* quocumque modo id fiat. Quod plane confirmatur ex alio textu: *Dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus praeordinatis a Deo* » (2). Graece: Α' λλὰ μαρτυρίσι τοῖς πρόκε χειροτονημένοις ἀπὸ τοῦ θεοῦ. Nec tamen Deus suffragiis elegit, quibus ostenderet Christum redivivum (3).

Tertio significat apud ecclesiasticos scriptores *ordinare per manuum impositionem,* sane Chrysostomus (4) exponens illud: « *Et cum orassent, imposuerunt illis manus* »; sic ait: « Τοῦτο γὰρ ἐζὶ χειροτονία ».

Etiam Concilium Nicaenum in epistola ad Alexandrinos (5) utitur voce χειροτονία pro *ordinatione.*

Porro si illud χειροτονήσαντες secundo vel tertio modo accipitur, argumentum probe solutum est; si vero accipiamus primo modo, tunc notandum est, χειροτονεῖν, non significare eligere per suffragia ab aliis data, sed eligere proprio suffragio, ut patet ex etymologia nec non ex constanti auctorum usu.

---

(1) *Act.*, 1, 26.
(2) *Act.*, X, 40-41.
(3) Cfr. Bellarm, l. c.
(4) *Homil.*, 14 in *Act.*
(5) Cfr. Theod. *hist.* lib. I, cap. 9.

Ad 8um Cyprianus nihil adiudicare vult populo quoad sacerdotum electiones, nisi ut de vita ac moribus ordinandorum testimonium ferat. Hoc sensu populus dicitur habere potestatem eligendi, quatenus dicere valet si quid boni malive de ordinando noverit, sicque testimonio suo efficere potest, ut eligatur, vel non.

Re quidem vera Cyprianus dicit ita esse eligendum Episcopum, ut Scriptura docet fuisse electum Eleazarum.

Verum Scriptura (1) testatur Eleazarum a Moyse electum esse coram populo, ipsius tamen consilio aut consensu nequaquam requisito.

Ipsemet Cyprianus mentem suam hac de re manifesto pandit: « Episcopus deligatur *plebe praesente, quae singulorum vitam plenissime novit, nec non uniuscuiusque actum de eius conversatione perspexit...* » (2).

Et dein (3) « Coram omni synagoga iubet Deus constitui sacerdotem, id est instruit, et ostendit, ordinationes sacerdotales nonnisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, *ut plebe praesente vel delegantur malorum crimina, vel bonorum merita praedicentur...* ».

Et clarius alibi (4): « In ordinandis clericis, fratres clarissimis, olemus vos antea consulere et *mores ac merita singulorum communi consilio ponderare. Sed expectanda non sunt testimonia humana, cum praecedunt divina* ».

Ad 9um. Ex Concilio Nicaeno id unum colligitur, nimirum consuetudinem iam inolevisse, ut populus electioni admisceretur; quod nos haud inficiamur.

In fine porro epistolae Concilium expresse mandat ut ille, in quem vota populi convenerint, confirmari debeat ab Episcopo Alexandrino; hinc satis superque colligitur praecipuam auctoritatem uni episcopo competere.

Ad 10um. Concilium II oecumenicum in epistola ad Damasum loquitur de consuetudine eligendi Episcopum coram populo,

---

(1) Num. XX, 12.
(2) Epist. 68.
(3) l. c.
(4) Epist. 23.

quatenus is iudicium proferre debebat una cum clericis de vita moribusque candidati.

Proinde non agitur de vera electione, sed tantum de impropria, hoc est de commendatione aut praesentatione.

A 11° usque ad 25um inclusive. In omnibus obiectis textibus, uno aliove tantum exceptis, non occurrit sermo de electione, sed potius de postulatione aut testimonio populi quoad vitam ac mores eligendi. In nonnullis fit mentio de praxi alicubi inducta qua plebs iure iniuriave se immiscebat in presbyterorum electione. Exinde tamen nil sequitur contra doctrinam nostram. Canones ipsimet ex Decreto Gratiani ab adversariis allegati id plane evincunt, potiusquam infirment.

Can. *Nosse* (1) statuit: « *Sacerdotum quippe est electio,* et fidelis populi consensus adhibendus est, *quia docendus est populus, non sequendus* ».

Can. *Quanto* (2), decernit sententiam populi exquirendam post iam peractam a clericis electionem.

Can. *Nullus* (3), can. *Adrianus* (4), can. *Porro* (5), can. *Si per ordinationem* (6), can. *Non est* (7), can. *Omnis electio* (8), can. *Non licet* (9), excludunt populi interventum in presbyterorum, et maxime Episcoporum, electione. Populus, qua testis dumtaxat, partem gessit in electione praesulum, ut ostensum fuit supra et alibi fusius probabimus; quapropter ex huiusmodi interventu nihil contra thesim nostram erui profecto potest.

Aliquando plebs, labentibus saeculis, in Episcoporum electione ius sibi vindicavit suffragia ferendi; sed nonnisi ex iniuria et abusu. Quod tamen numquam accidit quoad Romani Pontificis electionem.

---

(1) Dist. 63, 12.
(2) Dist. cit., 10.
(3) Dist. cit., 1.
(4) Dist. cit., 2.
(5) Dist. cit., 4.
(6) Dist. cit., 5.
(7) Dist. cit., 6.
(8) Dist. cit., 7.
(9) Dist. cit., 8.

Caput vero *Messana*, cui omnium contentione virium innititur Mathias Illyricus, nedum nobis contradicit, sed expresse favet, adversariorum audaciam apertissime contundens. Etenim dictum caput absolute prohibet ne laici eligant: « Edicto perpetuo - ait Honorius - prohibemus, ne per laicos cum canonicis Pontificis electio praesumatur. Quod si forte praesumpta fuerit, nullam obtineat firmitatem non obstante contraria consuetudine, quae dici debet potius corruptela ».

Imperatorum vero ac principum quod attinet interventum in Summi Pontificis electione, vide quae inferius exponenda erunt.

Ipse Rosminius, qui totis viribus interventum plebis in Praesulum electione tuetur, quemque adversarii nimia profecto laude extollunt, fateri cogitur nullum re vera stricte ius populo inesse quoad Pastores deligendos. « *Certamente* - ait ipse (1) - *ove si fosse trattato di un rigido e stretto diritto, nessuna parte poteva avere la plebe cristiana nella elezione dei vescovi* ».

Ex his prono alveo sequitur ius Pontificem Maximum eligendi ceterosque Ecclesiae pastores et ministros nequaquam ad populum spectare.

ARTICULUS VIII.

R. Pontifici competit potestas formam electionis determinandi.

Bibliographia: Albanus, op. cit., p. 82; Azorius, op. cit., part. II, lib. IV, cap. I; Bellarminus, *De clericis*, lib. I, cap. IX, prop. VIII; Bonacina, *De legitima Summi Pontificis electione*, p. 6; Camarda, op. cit., dissert. I; Cavagnis, op. cit., vol. II, p. 34 ss.; Passerini, op. cit., qu. IV; Petra, *in Constit. 5 Clementis IV*, to. IV; Fagnanus, *in c. Licet de vitanda, VI, de elect., I*, n. 19 ss.; Gonzales, *in d. l.*; Suarez, *Disp. X de Summo Pontif. sect. IV*; Wernz, op. cit., to. II, part. II. n. 57.

Berthelet, *La elezione del Papa*, p. 13 ss.; Ceccaroni, op. cit., p. 5 ss.; Moroni, l c.

Bouix, *De l'élection du Souverain Pontife* (*Revue des sciences ecclésiastiques*), Arras, 1864; Lector, *L'élection papale*, p. 10 ss.; Mary, *Du droit des Papes de désigner leur successeur* (*Revue de l'Institut catholique de Paris*, mars 1907); Périès, op. cit., p. 17 ss.

---

(1) Op. cit., p. 124.

HOLDER, *Die designation der Nachfolger durch die Päpste*, Freiburg (Schweiz) 1892; eiusdem auctoris, *Die designation*, etc. (*Archiv für kath. Kirchenrecht*, 1894); PHILLIPS, *Kirchenrecht*, Regensburg, 1851 s.; SÄGMÜLLER, l. c.

Summarium: 1. Errores. — 2. Catholica doctrina.

1. **Errores.** — Non defuerunt saeculis elapsis nonnulli auctores, qui adfirmare ausi fuerint ius formam electionis determinandi competere episcopis collective sumptis seu concilio oecumenico, vel regibus aut principibus.

Id autem quam perperam affirmatum fuerit, ex dictis manifesto liquet. Siquidem episcopi, licet collective sumpti seu conciliariter coadunati, nullo fruuntur iure nullaque potestate indipendenter a Pontifice Maximo. Compertissimum enim est, unius Pontificis esse concilium cogere, ei praeesse actaque eiusdem confirmare; ita ut sine interventu ac positiva Papae approbatione nihil Episcopi agere valeant; et si quid, inscio vel invito Pontifice, fiat, id tamquam nullius valoris haberi profecto debeat.

Eo vel magis si prae oculis habeatur sententia, quam nos prout certam docuimus semperque docemus, nimirum Episcoporum iurisdictionem seu potestatem a Romano Pontifice totam immediate profluere.

Quibus attentis, evidentissime patet Episcopis nullo pacto competere ius determinandi formam iuxta quam successores Petri eligi debeant.

A fortiori autem huiusmodi ius est regibus seu principibus denegandum, cum qualibet ipsi careant potestate in iis quae regimen Ecclesiae attingunt.

2. **Doctrina catholica.** — Potestas determinandi formam electionis ad Romanum Pontificem spectat. Quod multiplici ratione ostenditur.

a) Superius ostensum fuit praedictum ius ad auctoritatem competentem, seu ecclesiasticam pertinere. Iamvero plena ac universalis in Ecclesia potestas uni Romano Pontifici competit. Ergo ipsi necessario competere debet etiam potestas determinandi electionis formam, secus enim eiusdem potestas non esset plena ac universalis.

b) Ius formam, de qua loquimur, determinandi suapte natura intime connectitur cum recto universalis Ecclesiae regimine.

Interest enim quam maxime Ecclesiae. forma electionis apte determinetur, ut ad supremum Pontificatus apicem praeclarissimi viri, debito modo selecti, assumantur. Iamvero si R. Pontifex non valeret formam praescribere. in eligendis successoribus suis adhibendam, regimen Ecclesiae recte, ut liquido apparet, minime procederet.

c) Vel R. Pontifex potestate fruitur formam electionis determinandi, vel nulla alia datur persona cui huiusmodi competat ius. Etenim in Ecclesia unus Pontifex auctoritatem repraesentat eiusque plenitudine pollet; et in tantum Episcopi aliique praelati iurisdictione gaudent, in quantum a Pontifice Summo recipiunt.

Atqui absurdum foret procul dubio asserere non dari in Ecclesia personam, quae valeat constituere formam Successores B. Petri eligendi, cum a Christo determinata non fuerit. Ergo necessario est admittenda alia hypothesis, nimirum ius determinandi ad R. Pontificem spectare.

d) Eo vel magis quod Pontifices variis temporibus leges reapse ediderunt, quibus formam determinarunt pro suis eligendis Successoribus. Ita v. g. Nicolaus II, Alexander III, Gregorius X, Clemens V, Clemens VI, Pius IV, Gregorius XV, Urbanus VIII, et tandem Pius X. Iamvero neminem latet praedictas leges, tamquam vim habentes, ab universa Ecclesia fuisse receptas et ad praxim deductas. Quae Romanorum Pontificum agendi ratio manifesto suadet, ipsos potestate pollere formam constituendi, ne dicere velimus eos alienum ius usurpasse; quod absonum cuique evidentissime apparet.

e) Haec est sententia quam omnes profitentur auctores, ne iis quidem exceptis qui negant Pontificem successorem sibi posse eligere.

Bellarminus (1) docet: « Ratio eligendi Summum Pontificem per solos Cardinales, est omnium optima, et merito conservanda, etsi absolute posset Pontifex eam mutare, si vellet ».

Passerini (2): « Certum est, quod potestas dirigendi electionem S. Pontificis est in eodem S. Pontifice principaliter, et ita ut ad ipsum spectet nedum praescribere locum, tempus et for-

(1) *De clericis*, lib. I, cap. IX, prop. VIII.
(2) Op. cit. qu. IV, n. 14.

mam eligendi, sed determinare personas, quibus haec electio conveniat. Et ita quod licet ex divina institutione ius eligendi Pontificem sit in Ecclesia, nihilominus determinatio modi et formae exercendi huius iuris est Pontifici commissa, cui etiam competit decernere a quibus Pontifex sit eligendus et secundum quod sibi bene visum fuerit dirigere per suas leges huiusmodi electionem ».

Camarda (1): « Pontifex habet universalem totius Ecclesiae curam; ad eumque spectat eidem Ecclesiae de necessariis providere. Atqui, unum ex maxime necessariis praecipua est electio S. Pontificis illiusque directio quoad locum tempus et formam ac determinationem personarum eligentium; igitur *potestas dirigendi electionem summi Pontificis in eodem summo Pontifice residet* ».

Suarez (2): « Modus eligendi Pontificem non fuit a Christo Domino praescriptus, sed Ecclesiae commissus est... Ad Sedem Apostolicam praecipue praescribere (pertinet) et ordinare modum eligendi Summum Pontificem ».

Idem tradunt Bonacina (3), Fagnanus (4), Gonzales (5).

Cardinalis Petra (6) scribit: « Non est autem cur dubitandum sit, an... Summi Ecclesiae Praesules suam potestatem explicare valeant in hac constituenda forma Pontificiae electionis... quippe cum Christus Dominus ius collativum Papalis dignitatis reliquerit in Ecclesia, nec certae formae, nec determinatis personis affixum, reliquum est quod eiusdem Vicarius in terris possit eam regulare, et praescribere, et secundum temporum vicissitudines variare; ita tamen, quod ab Ecclesia eam non abstrahat, puta laicis committendo, vel in quemcunque modum qui in manifestum Ecclesiae totius detrimentum et perniciem vergeret. Quapropter varie et pluries mutatus fuit mos eligendi Pontifices, Apostolica interveniente auctoritate... Atque tandem est receptissima sententia, etiam ab his qui Papam successorem eligere sibi non posse autumant ».

---

(1) *Tract. de electione Summi Pontificis, dissert*, 1.
(2) *Disp. X. De Summo Pontifice*, sect. IV, n. 6, 11.
(3) *De legitima Summi Pontificis electione*, p. 18.
(4) Cap. 6, XI, *de elect.*, I, 6, n. 19 ss.
(5) In c. *Licet de vitanda*, VI, *de elect.* I, n. 10 ss.
(6) To. IV, ad Constit. 5 Clementis IV, n. 35.

Card. Tarquinius (1) ait: « modum electionis (Christus), ipsosque electores designandi (R. Pontifici) ius tribuit ».

Clariss. Wernz, inter canonistas facile princeps, haec habet (2): « Imprimis autem Romanis Pontificibus a Christo collata est potestas *modum* designationis personae definiendi ».

ARTICULUS IX.

Num R. Pontifex valeat formam electionis determinare cum decreto irritante.

Bibliographia: Bonacina, op. cit., p. 18; Camarda, l. c.; Fagnanus, l. c., n. 30; Gonzales, l. n. 13; Passerini, l. c.; Petra, l. c.; Wernz, l. c., n. 57.

Summarium: 1. Argumenta pro sententia negativa. — 2. Argumenta pro sententia affirmativa. — 3. Quaenam sententia sit praeferenda.

1. **Argumenta pro sententia negativa.** — *a*) Auctores docent valide assumi posse ad Summum Pontificatum quotquot iure divino aut naturali non prohibentur. Iamvero si haberetur decretum, forte irritans electionem, non ius divinum aut naturale ipsum constitueret, sed *ecclesiasticum* dumtaxat; et proinde quisque valide nihilominus eligi posset.

b) Potestas modum designationis personae definiendi quoad Successores B. Petri intime ac necessario connectitur cum Primatu ipso; qua de causa plus minusve cum iure divino copulatur. Atqui ius divinum et ea quae cum eodem necessario copulantur minime potest humana sua auctoritate R. Pontifex irritare. Ergo.

c) Bonum ipsius Ecclesiae postulat ut R. Pontifex nequeat sub clausula irritanti formam electionis determinare; secus enim ancipites semper haerent christifideles num valide electus fuerit Papa aut invalide, num consequenter sit ipsi parendum vel minus.

2. **Argumenta pro sententia affirmativa.** — *a*) Si R. Pontifex non valeret formam electionis sub clausula quoque irritante definire, eiusdem potestas esset inutilis ac plane irrisoria. Si-

(1) *Iuris Eccl. Publ. Institutiones*, p. 83.
(2) Op. cit., to. II, part. II, n. 567.

quidem ius seu potestas suapte natura exigit ut legislator actus praecipere aut prohibere possit sub poena nullitatis, secus enim finis minime attingitur.

b) Bonum Ecclesiae omnino postulat ut modus electionis determinetur decreto irritanti; aliter plures Pontifices diverso modo eligi possent, qui, quamvis illicite, valide tamen electi dici deberent. Quod nemo est qui non videat plane absonum esse.

c) Argumenta oppositae sententiae sunt nullius valoris. Siquidem: 1° Auctores docent valide assumi posse ad Summum Pontificatum eos qui non modo iure divino vel naturali, sed ipso quoque iure ecclesiastico non prohibentur: « Valide eligibiles sunt omnes, qui iure divino aut iure ecclesiastico irritante non impediuntur » (1); de qua re fuse alibi; 2° potestas modum designationis personae definiendi intime quidem ac necessario cum ipso iure divino seu cum Primatu connectitur; at ius divinum minime constituit; quapropter nil vetat quominus R. Pontifex illud moderetur etiam cum clausula irritante; 3° bonum ipsum Ecclesiae manifesto exigit ut forma electionis sub clausula nullitatis determinetur, prout liquet ex argumento 2°.

d) Romani Pontifices modum electionis designarunt cum irritanti decreto. Ita v. g. ante Pium X electio novi Pontificis aliter quam in Conclavi facta, ipso iure nulla ac irrita erat; nunc temporis electio contra praescriptum Constit. « *Vacante Sede Apostolica* » peracta, pariter quovis caret robore.

3. **Quaenam sententia sit praeferenda.** — Nullum dubium quin secunda sententia non modo probabilior, sed certa omnino dici debeat.

Potestas enim seu ius concipi non potest sine facultate irritandi actus contrarios, ut liquido patet ex iuris definitione.

Agendi autem ratio RR. Pontificum certitudinem huius sententiae plane confirmat, quin ulterius immoremur in ea probanda.

« Summi Ecclesiae Praesules, ait Card. Petra, suam potestatem explicare valent in hac constituenda forma Pontificiae electionis, *etiam cum decreto irritanti* » (2). Ita passim eruditi scriptores rerum canonicarum.

---

(1) Wernz, l. c.
(2) l. c.

ARTICULUS X.

Num et quo sensu R. Pontifex formam electionis mutare valeat.

Bibliographia: Barbosa, *Iuris eccl. univ.* lib. I, cap. II, n. 41; Bargilliat, op. cit. n. 370; Bonacina, op. cit. punct. IV, n. 32; Cavagnis, op. cit. p. 141; Camarda, l. c.; Fagnanus, in cap. 5, X, *De pactis*, I, 35, n. 28 ss.; Gonzales, l. c.; Lerentia, *De R. Pontificis electione*, p. 80 ss.; Petra, *Comm. to.* 4. *ad Constit. 5 Clementis VI*, n. 9 ss.; Pirhing, op. cit. lib. I, tit. VI, sect. 9; De Rosellis A., *Monarchia sive de potestate Pontificis Maximi, etc.*, cap. 19; Suarez, l. c.; Turrecremata, *Summa de Ecclesia*, lib. II, cap. 51; Vasquez, *Comm. in III part. D. Thomae*, Disp. 244, cap. III, n. 25 ss.; Victoria, *Relationes theologicae, De potest. eccl.* II, n. 21 ss.; Wernz, l. c.

Summarium: 1. Errores. — 2. Doctrina catholica.

1. **Errores.** — *a*) Quidam immerito contendunt Romanos Pontifices nullo pacto posse determinatam electionis formam immutare, si constans ac universalis usus eam ratam habuerit et confirmaverit.

b) Alii autumant Pontifices posse quidem immutationes inducere, verum ex consensu dumtaxat Concilii oeumenici vel Collegii Cardinalium.

c) Quidam contendunt Summos Pontifices accidentales mutationes quoad formam electionis inducere valere; minime autem *substantiales*.

« Semel designato modo, quo Praesules Ecclesiae sint eligendi, Papa non potest illum pro libitu moderari seu immutare; ad summum id peragat praehabito suffragio oecumenici Collegii, aut saltem Cardinalium ». Ita Lerentia (1).

d) Alii tandem affirmant Summum Pontificem, gravi causa urgente, cum licite tum valide posse formam electionis mutare; nulla porro exstante gravi causa, illicite ac invalide agere.

2. **Doctrina catholica.** — Nullum dubium quin R. Pontifex valeat immutare pro temporum adiunctis formam eligendi successores suos. Si eamdem enim iure meritoque constituere potest, ut ostensum fuit, cur ei non licebit ipsam quoque moderari pro diversis aetatum circumstantiis? Historia luculenter testatur variam methodum seu praxim adhibitam reapse fuisse iuxta tem-

(1) *De R. Pontificis electione*, p. 84.

porum vicissitudines, Apostolica interveniente auctoritate. Qua de causa nemo citra scelus praedictam potestatem abiudicare potest Pontifici Romano.

Requiriturne causa gravis ut ratio eligendi mutari queat? Ad liceitatem requiritur procul dubio causa iusta et quidem proportionata mutationi; nam supremus societatis moderator non prolubitu eam, qua pollet, iurisdictionem exercere valet, sed in bonum dumtaxat subditorum. Ad validitatem vero nulla requiritur causa, cum agatur de iure mere ecclesiastico.

Quo sensu seu modo R. Pontifici designationis formam mutare licet? Hoc sensu seu modo, ut nimirum vergat mutatio in bonum Ecclesiae, non autem in damnum eiusdem. Si enim manifesto vergeret in contemptum disciplinae ecclesiasticae, aut in animarum detrimentum, vel in perniciem totius Ecclesiae, illicita ac invalida foret, utpote contra ius divinum ac naturale facta. Hac de causa Card. Petra (1) docet: « Vicarius in terris potest eam (formam) regulare et praescribere et secundum temporum vicissitudines variare; ita tamen, quod ab Ecclesia eam non abstrahat, puta laicis committendo vel in quemcumque modum qui in manifestum Ecclesiae totius detrimentum et perniciem vergeret ». Haec verba, prout sonant, haud recta videntur. Nam quaevis mutatio a Pontefice facta valida omnino censeri debet; nam cum ipse authenticus sit interpres divini naturalisque iuris, neutrum ius violare potest. Ideoque immutatio a Pontifice Maximo peracta a priori valida dicenda est.

ARTICULUS XI.

Num ipsius Romani Pontificis sit successorem sibi eligere.

Bibliographia: Albani, l. c.: Azorius, l. c.; Barbosa, *Iur. eccl. univ.*, lib. I, cap. II, n. 42; Baronius, *ad annum Christi II, fol. 188*; Bonacina, op. cit., punct. IV; Gundisalvus de Villadiego, *Tract. de origine, dignitate et potestate S. R. E. Cardinalium*, qu. V; A. De Rosellis, op. cit., cap. 19; Roccaberti, *Bibl. Max. Pontif.* to. X, p. 108 ss.; Turrecremata, *Summa de Ecclesia*, lib. II, cap. 51; Caietanus, *Apol. de comparata auct. Papae et Concilii*, cap. XXII; Fagnanus, l. c.; A. Chiroli, *Bibl. cit. Roccaberti*, to. III, p. 357 ss.: Franciscus Amicus, *Theol.* to. IV, disc. 6; Ferraris, op. cit., v. *Papa*, n. 1 ss.; Dominicus a S. Thoma, *De*

(1) l. c.

Ecclesia et Papa, p. 25 ss.; SUAREZ, l. c.; VASQUEZ, *Comm. in III part. D. Thom. disp. 24*, cap. III; MARTINUS DE LEDESMA, *in 2 part. qu. 20, art. 4;* PIHRING, lib. I, tit. VI, sect. 9, § 2; VICTORIA, *De potest. eccl. II*, n. 23; BELLARMINUS, *De clericis*, lib. I, cap. 9; PETRA, *Comm. in Constit. 5 Clementis VI*, to. 4; WIESTNER, *Instit. can.* lib. I, tit. VI, sect. II; BOUIX, *De Curia*, p. 120 s.; GONZALES, *In cap. 6, X, de elect.* I, VI; PIGNATELLI, *Consult.* LXVII, to. IX; SEBASTIANELLI, op. cit., vol. I, p. 194; FELINUS, *In cap. 1, n. 23, col. 5* vers. *Fallit quarto*; IOAN. ANDREAS, *in cap. Licet de vitanda*, n. 15; IOAN. DE LIGNANO, *in Clem. Ne Romani, de elect.;* A. BELLAMERA, *in cap. si transitus*, vers. *Non possit;* ABBAS PANORM. *in rubr. de Testam. n. 2;* A. BUTRIUS, *in cap. Licet de vitanda*, n. 3; IOAN. a CAPISTRANO, *De potest. Papae*, n. 2, to. 13, fol. 32; CARD. IACOBAT. *De Concil.* lib. X, art. 7; AUGUST. TRIUMPH. *De potest. Eccl.* lib. I, cap. 13; CARD. ZARABELLA, *in Clem. Ne Romani, quaest. 5, n. 5 de elect.*; IOAN. BERTACHINUS, *De episc. in 4, seu 40 quaest. tert. par.* lib. I; HIER. MANFREDI, *De Card. decis. 15. to. 13, tract. 3, part. 2, fol. 86;* SILVESTER ALDOBRANDUS, *in cap. Licet de vitanda, in* vers. *Communiter*; PETRUS DE PALUD. *De potest. Eccl.* lib. V; SILVESTER PHIERIUS, *in vers. Excommunicatio*; LOMBARDI, op. cit., vol. I, p. 194; WERNZ, l. c., n. 567; CAPPELLO, *Instit.* vol. I, 383; CAVAGNIS, op. cit., vol. II, p. 141 ss; PEZZANI, l. c.

AMELLI, *Documenti inediti relativi al Pontificato di Felice IV e di Bonifacio II;* SCUOLA CATTOLICA, to. XXI, 122; CASANA, *Se il Papa possa eleggere il suo successore*, p. 12 ss.

DUCHESNE, *Mélanges de l'école de Rome,* to. III, p. 228 ss.; eiusdem auctoris, *Liber Pontificalis,* to. I, p. 280 ss.; DUMONT, *Défense du Pape Vigile* in *Ann. de Phil. chrétien.* VII, 325 ss.; MANY, *Du droit des Papes de désigner leur successeur* in *Revue de l'Institut catholique de Paris,* mars 1901, p. 150 ss.; BOUIX, *De l'élection du Souverain Pontife,* etc. in *Revue des sciences ecclésiastiques,* 1864, p. 340 ss.; G. PÉRIÈS, *L'intervention du Pape dans l'élection de son successeur,* Paris 1902; SABATIER, *Comment on devient Pape*, Paris 1901.

MOMMSEN, *Ueber die Acten zum Schisma 530,* in *Neues Archiv,* to. X, p. 581 ss.; EICHHORN, *Grundsatze des Kirchenrechts der kath. und evang. Religionspartei in Deutschland*, Göttingen 1831-32; EWALD, *Acten zum Schisma des Jahres 530, in Neues Archiv der Gesellschaft für ältere deutsche Geschichtskunde*, to. X, p. 412 ss.; FUNK, *Die Apostolischen Constitutionen*, Rottenburg 1891; HARNACK, *Theologische Studien und Kritiken*, 1893; HEFELE, *Conciliengeschichte*, Friburgi 1855-1876; HEIMBUCHER, *Die Papstwahlen unter der Karolingern*, Augsburg 1889; HERGENRÖTHER, *Lehrbuch des Katholischen Kirchenrechts*, Freiburg in Brisgau 1891; HINSCHIUS, *Das Kirchenrecht der Katholiken und Protestanten in Deutschland,* Berlin 1879-98; HOLDER, *Die designation der Nachfolger durch die Päpste,* Freiburg 1892; eiusdem auct. *Die designation,* etc. (*Archiv für kath. Kirchenrecht.*) 1894; HOLLWECK, *Kann der Papst seinen Nachfolger bestimmen?* (*Archiv für*

k. K.) 1895; LANGEN, *Geschichte der römischen Kirche,* Bonn 1881; LOENING, *Die Gemeindeverfassung der Urchristenthums*, Hall, 1889; MAASSEN, *Geschichte der Quellen und der Literatur des Canonischen Rechts,* Gratz 1870; PHILLIPS, *Kirchenrecht*, Regensburg, 1851 ss.; SÄGMÜLLER, *Die designation des Nachfolgers durch den Papst* (*Archiv für k. Kirchenrecht*), 1896; eiusdem auct. *Die Papstwahlbüllen und das staatliche Recht der Exclusive*, Tubingen 1892; SCHERER, *Handbuch des Kirchenrechts*, Graz 1885-1891: SCHNEIDER, *Die Lehre von den Kirchenrechtsquellen*, Regensburg 1892; SCHULTE, *Geschichte der Quellen und Literatur des canonischen Rechts von Gratian bis auf die Gegenwart*, Stuttgart 1875-83; SOHM, *Kirchenrecht*, Leipsig 1892; GRAUERT, *Papstwahlstudien*, *Hist. Jahrb.* t. 20, p. 20 ss.: GRISAR, *Gesch. Roms*, t. I, p. 494 ss.; WALTER, *Lehrbuch des Kirchenrecht*, 1871: WERNZ, *Von der Ursprung der bischöflichen Gewalt* (*Zeitschrift für kath. Theologie*, Innsbrück, 1887); GRANDERATH, in *Stim. aus Maria-Laach* a 1874, t. VII, p. 139 ss.

LIGHTFOOT, *The apostolic Fathers*, part. I. *S. Clemens of Rome*, 2 vol., London 1890.

Summarium: 1. Factum divi Petri. — 2. Factum Felicis IV. — 3 Factum Bonifacii II. — 4. Quaedam alja historica facta. — 5. Status quaestionis. — 6. Doctrina theologorum et canonistarum. 7. — Variae auctorum sententiae. — 8. Argumenta quibus unaquaeque innititur sententia. — 9. Quaenam sententia amplectenda sit.

1. **Factum divi Petri.** — Veteres de re historica scriptores ipsique theologi et canonistae quamplurini fatentur divum Petrum sibi successorem designasse S. Clementem. Neminem sane latet a Christo Domino neve formam successionis determinatam neve personam cui post obitum Petri Ecclesiae regendae gubernandaeque incumberet, designatam fuisse.

Angelus Massarelli scribit: « Petrus autem sub tempus suae passionis Clementem sibi successorem substituit » (1).

O. Panvinius ait: « Mortuo igitur Clemente, episcopo romano, quem Petrus Apostolus adhuc vivens sibi successorem designaverat . . . » (2).

Hieronymus Albani docet: « Hae rationes non videntur urgere, quia eodem iure nec Petrus Clementem eligere potuisset... » (3).

---

(1) Cfr. A. MAI, *Spicilegium romanum*, 1839, IX, p. 518.

(2) *De varia Romani Pontificis creatione* in *Cod. lat. Monacen.*, *147. folio 242.*

(3) *Tractatus Universi Iuris*, to. XIII, part. II. qu. 32, p. 116.

Item Vasquez: « Cumque legamus Petrum elegisse Clementem, dubitare etiam non debemus, aliis etiam Pontificibus hanc potestatem reipsa Deum tribuisse » (1).

Ipse Fagnanus putat « B. Petrum Apostolorum principem sibi elegisse successorem Sanctum Clementem » (2).

Suarez (3) ait: « Petrus, qui fuit primus Papa, successorem sibi delegit Clementem, ut constat ex ipsius Clementis epistolis, et ex secunda alia Alexandri Papae I ad Orthodoxos, et ex epistola Ioannis III ad episcopos Germ. ex cap. *Si Petrus*, et ex cap. *Unde* 8, q. 1 ».

Item Petra affirmat (4): « Non ideo consequitur quod idem Clemens non fuerit a B. Petro sibi substitutus: verum quia huiusmodi substitutioni ipse renunciavit, ideo electus fuit Linus, deinde Cletus, postmodum denuo Clemens ».

Ciacconius (5): « Licet Petrus Clementem successorem sibi designasset, Clemens tamen modestia usus, iuri suo cessit; et Linus Pontifex Romanus electus fuit. Clemens igitur secundus fuit Petri ordinatione, non Ecclesiae nominatione, Petri iure, non functione et administratione, quae Lino fuit tributa divino consilio, ne in posterorum exemplum transiret, successores sibi eligendi, et libertas, et providentia Ecclesiae in constituendo sibi Pastore isto modo fuisset adempta ».

Gonzales (6) oscitanter loquitur: « Difficilius est D. Petri factum relatum in *d. cap. si Petrus*, ibi: *Ad hos et Clemens successor Apostoli,* tum propter incertam illius loci fidem, tum propter factum ipsum, quod ambigue apud Patres et historicos refertur ».

Argumenta vero quibus innituntur historici et canonistae in vindicanda designatione Clementis utpote immediate a divo Petro facta, haec sunt:

1° Cap. *Si Petrus* (7) refert: « Si Petrus princeps Apostolorum adiutores sibi adscivit Linum et Cletum, non tamen pote-

---

(1) Comm. in III *part. Summ. Theol. S. Thomae* disp. 244, cap. III, n. 26.
(2) In cap. 5, X, *de pactis*, I, 35, n. 19.
(3) *Disp. de Summo Pontifice, sect. IV,* n. 6.
(4) *Comm. in Constit. 5 « Licet »* Clementis VI, to. IV, n. 12.
(5) *Vita S. Lini,* p. 13.
(6) In cap. I, X, *De praeb. et dignit.* III, 5, 16.
(7) Can. I, caus. VIII, qu. 1.

statem pontificii, aut solvendi aut ligandi normam eis tradidit, sed successori suo Clementi, qui sedem apostolicam post eum, et pontificalem, tradente sibi beato Petro, tenere promeruit ».

2° Palea in h. l. (1) tradit: « Unde ipse Clemens in epistola ad Iacobum Hierosolymitanum missa inter cetera scribit, quod Petrus adhuc vivens Clementem in Episcopum elegit. Simon Petrus in ipsis diebus quibus vitae finem sibi praesensit, apprehensa manu mea in auribus totius ecclesiae haec protulit verba: Clementem hunc vobis ordino Episcopum, cui soli meae praedicationis et doctrinae cathedram trado, quem prae ceteris expertus sum Deum colentem, homines diligentem, discendi studiis deditum, sobrium, benignum, iustum, patientem, scientem nonnullorum ferre etiam ex his, quae verbo Dei instituuntur, iniurias ».

3° Epist. Clementis ad Iacobum, in qua Petrus exhibetur ita alloquens Clementem (2): « Quoniam, sicut edoctus sum ab eo qui misit me, domino et magistro meo Iesu Christo, dies mortis meae instat, Clementem hunc Episcopum vobis ordino... propter quod ipsi trado a Domino mihi datam potestatem ligandi et solvendi »; et dein (3): « Te (Clementem)... oportet summo studio niti, ut omnes vitae huius occupationes abiicias; ut... veritatis verbo abundantius possis et studiosius deservire ».

4° Tertullianus (4) expresse testatur S. Clementem a divo Petro delectum fuisse, aiens: « Hoc enim modo ecclesiae apostolicae census suos deferunt: sicut Smyrnaeorum ecclesia Polycarpum ab Ioanne collocatum refert: *sicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum edit*... ».

5° Liber Pontificalis (5) refert: « Hic (Petrus) Beatum Clementem episcopum consecravit eique cathedram vel ecclesiam omnem disponendam commisit »; et alibi (6): « Hic ex praecepto

---

(1) Post Gratianum, a Paucapalea, discipulo Gratiani, aliisque Glossatoribus *auctoritates* Decreto insertae sunt, quae a primo auctore indiscriminatim *paleae* nuncupantur.

(2) Cap. 2.

(3) Cap. 5.

(4) *De praescript.*, cap. XXXII.

(5) To. I, pag. 118, edit. Duchesne.

(6) L. c., p. 123.

beati Petri suscepit Ecclesie pontificatum gubernandi sicut ei fuerat a Domino Iesu Christo cathedra tradita vel commissa; tamen in epistola quae ad Iacobum scripta est, qualiter ei a beato Petro commissa est ecclesia repperies ».

6° Praeterea innituntur testimoniis Damasi Papae in vita S. Petri (1), Hieronymi (2), S. Epiphanii (3), Ruffini (4), Bedae (5), Hugonis a Sancto Victore (6).

Quidam auctores (7) designationem Clementis a beato Petro factam veluti commendationem accipiunt seu monitionem fidelibus exhibitam, ut post obitum Petri Clemens in Episcopum Ecclesiae Romanae confirmaretur, hoc est eligeretur.

Omnibus mature perpensis incunctanter adfirmamus divum Petrum nequaquam sibi successorem designasse S. Clementem. Etenim designatio est factum historicum; iamvero facta historica non sunt supponenda, sed probanda. Porro argumenta quibus nituntur alterius sententiae patroni ut rei veritatem historice evincant, nullius videntur plane momenti.

Sane *a)* Cap. *Si Petrus*, seu can. I, caus. VIII, quaest. I, quem refert Gratianus, habet auctorem Pseudo-Isidorum (8), ac quavis ideo destituitur authenticitatis charactere, ut vix non omnes eruditi scriptores nostra hac aetate indubie censent (9).

b) Glossa (Palea) et Liber Pontificalis (10) innituntur epistolae Clementis ad S. Iacobum, quam veluti authenticam et genuinam manifesto accipiunt. Iamvero eiusmodi epistolam apocrypham esse, luculentissime tradit hodierna critica; nam, aliis omissis, conscripta refertur post obitum Petri, dum cuique compertum est

---

(1) *Pontif.*, cap. 2 ss.

(2) *Lib. 1 contr. Iovinian.* et *in cap. 52 Isaiae.*

(3) Op. cit. sect. 27.

(4) *In praefact. relect. et recognit.*, n. 12, 18, 21.

(5) *Hist. Angl., lib.* 2, *cap. 4.*

(6) *Mystica Arca Nöe*, disquisit. I, cap. 4.

(7) Cfr. GONZALES in cap. 6, X, *De elect.* I, 5, 11.

(8) Cfr. BERARDI, *Gratiani canones, genuini ab apocryphis discreti, corrupti ad emendatiorum codicum fidem exacti, difficiliores commoda interpretatione illustrati*, p. 48 ss.

(9) Cfr. FRIEDBERG, *Corpus Iuris Canonici*, Leipsig, 1879-81; HINSCHIUS, op. cit., p. 716; PÉRIÈS, op. cit., p. 9.

(10) Cfr. l. c.

S. Iacobum diem supremum obiisse ante Petrum. Reiecta proinde huius epistolae authenticitate, suapte natura corruit quodvis fundamentum adversae opinionis.

c) Tertullianus nullatenus docet, ut quam plures theologi et canonistae perperam interpretati sunt, S. Clementum fuisse ab ipsomet Petro delectum veluti successorem, sed tantum ab eodem *ordinatum* esse (1). Re quidem vera Tertullianus contra haereticos probat seriem Episcoporum ad Apostolos usque attingentes, praesertim Romae, atque ecclesiarum apostolicitatem.

d) Testimonia Damasi Papae, Hieronymi, Epiphanii, Ruffini, Bedae, Hugonis a Sancto Victore aliorumque, nil plane evincunt. Etenim hi Patres et ecclesiastici scriptores vel nequaquam docent Petrum sibi successorem S. Clementem designasse, sed tantum Clementem immediate Petro successisse; vel docent quidem Petrum eum in suum elegisse successorem, at nonnisi supposita authenticitate epistolae S. Clementis id asserunt, prout liquido patet ex contextu; et cum eiusmodi epistolae authenticitas omnino sit reicienda, prono alveo sequitur dicta testimonia, utpote falso innixa fundamento, quovis valore destitui.

e) Dubium profecto haud est, quin Linus immediate Petro successerit, non autem Clemens. Id S. Ignatius martyr (2) qui tempore Apostolorum vixit, diserte testatur « Clementem Cleto successisse ».

Iraeneus (3) scribit: « Fundantes igitur et instruentes beati Apostoli Ecclesiam, Lino episcopatum administrandae Ecclesiae tradiderunt. Huius Lini Paulus in his quae sunt ad Timotheum epistolis meminit. Succedit autem ei Anacletus; *post eum tertio loco ab Apostolis episcopatum sortitur Clemens* ».

Tertullianus (4) haec habet:

« *Ex quibus electum magnum, plebique probatum*
Hac cathedra Petrus, qua sederat ipse, locatum,
Maxima Roma Linum primum considere iussit:
Post quem Cletus et ipse gregem suscepit ovilis:

---

(1) Cfr. l. c.
(2) Epist. IV *ad Mariam. Cassob.*
(3) Lib. III, c. 3.
(4) Lib. III, *Carm. in Marc.*

Huius Anacletus successor sorte locatus;
Quem sequitur Clemens, *etc.* »

Optatus Milevitanus (1): « Cathedra unica quae est prima de dotibus: sedit prior Petrus, cui successit Linus, *Lino successit Clemens* ».

Epiphanius (2): « Episcoporum in Roma successio hanc consequentiam habuit: Petrus et Paulus, Linus, Cletus, *Clemens*, etc. ».

Augustinus (3) sequitur Optatum, ac ideo ratus Clementem eumdem esse ac Anacletum, illum praetermittit.

Hieronymus (4), corrigens quae alias dixit (5), refert: « Clemens... quartus post Petrum Romanus Episcopus; siquidem secundus fuit Linus, et tertius Cletus; tametsi plerique Latinorum, secundum post Petrum Apostolum putent fuisse Clementem ».

Martyrologium Romanum (6) testatur Linum immediate successisse Petro, et Clementem Cleto.

Item catalogus Liberianus Lino, non autem Clementi, statim post Petrum locum adsignat.

f) Ipsimet patroni sententiae adversae vim persentiunt et auctoritatem huius traditionis; ex quo fit ut quamplurimi contendant, S. Clementem, a divo Petro tamquam successorem designatum, pontificiae dignitati renunciasse vel humilitatis gratia, vel ne « esset perniciosum exemplum quod aliquis sibi eligeret successorem » (7). Verum id inepte prorsus affirmatur. Nam renunciatio quamdam irriverentiae speciem in B. Petrum sapit; praeterea, cum sit factum historicum, neve supponi neve fingi auctorum arbitrio potest, sed solidis argumentis probari debet.

Quibus omnibus attentis ac naviter consideratis, pro ingenii nostri exiguitate indubie incunctanterque censemus B. Petrum nequaquam sibi successorem Clementem elegisse, quidquid aliter veteres plerique auctores et nonnulli recentiores putent.

---

(1) Lib. II.
(2) *Haeres.*, XXVII.
(3) Epist. CLXI.
(4) *De script. eccl. in Clem. c. 15.*
(5) *In Is. c. 52 in fin.*
(6) Rom. martyr. 25 sept., 26 april. et 23 nov.
(7) Cfr. Gloss. in c. *Si Petrus.*

2. **Factum Felicis IV.** — Felix IV diem supremum obiit decimo kal. oct. an. 530. Cum Ecclesia gravibus premeretur aerumnis, ut provide solerterque eiusdem consuleret bono, praesentibus presbyteris diaconis et senatoribus atque patriciis, moriturus sibi archidiaconum S. Caeciliae designandum curavit successorem, qui nomen accepit Bonifacii II.

De historica huius facti veritate ambigi nequit. Sane clariss. M. G. Amelli an. 1883 in bibliotheca Capituli Novariensis documentum authenticum in triplicem partem divisum invenit manu conscriptum, in quo expresse fit mentio de electione Bonifacii II a Felice IV morituro peracta (1).

En ad litteram documentum:

« Incipit Praeceptum Papae Felicis.

Praeceptum Papae Felicis morientis per quod sibi Bonifacium archidiaconum suum post se substituere cupiebat.

« Dilectissimis fratribus et filiis episcopis et presbyteris, diaconis vel cuncto clero, senatui et populo Felix episcopus.

« De quiete vestra et pace cogitantes Ecclesiae, quae plurimis debitis tenetur obnoxia, quia omnes clericis et pauperibus solemnes erogationes implevi et octavae praeteritae indictionis vel poene nudas pro temporis qualitate pensiones accepi; ideo ista considerans Deum quibus possum praecibus exorando, hoc mihi ipso fateor adspirante compertum, ut si me Deus pro voluntate sua de hac luce, sicut habet humana conditio, transire praeceperit, ut Bonifacius archidiaconus, qui ab ineunte aetate sua in nostram militavit ecclesiam, episcopatus honore suscepto, in qua proceditis Romanam Deo adiuvante gubernet ecclesiam. Cui etiam, praesentibus presbyteris et diaconis et senatoribus atque patriciis filiis meis quos interesse contigit, pallium tradidi, mihi tamen si hac fuero luce... reddendum. Et quamvis pro Dei timore et christiana devotione credam meum vos sequi et servare posse sine aliqua dubitatione iudicium, tamen ne quis pravis persua-

(1) Cfr. Amelli, *Documenti inediti relativi al pontificato di Felice IV (526) e di Bonifacio II* (530) *estratti da un codice della biblioteca capitolare di Novara; Scuola Cattolica*, to. XXI, 122; Duchesne, *Mélanges de l'école de Rome*, to. III, p. 229 ss.; eiusdem, auctoris, *Liber Pontificalis*, to. I, p. 282: M. P. Ewald, in *Neues Archiv der Gesellschaft für ältere deutsche Geschichtskunde*, to. X, p. 42; Mommsen, *Neues Archiv*, to. XI, p. 367.

sionibus et ambitione hoc agat ut per nos Ecclesiae matris dissentiones et studia faciendo membra discerpat, noverit qui ista fecerit vel facienti consenserit, nec Ecclesiae se esse filium et a dominici corporis esse communione suspensum. Quam ordinationem meam ne quis sibi incognitam diceret, in omnium volo propter futurum Dei nostri iudicium pervenire notitiam, quia et hanc voluntatem meam et domnis et filiis nostris regnantibus indicavi; quam etiam recognovi. *Et manu Felicis papae;* Recognovi.

Hoc per omnes propositum est titulos Romanos iubente Papa beato Felice et Senatus talia proposuit.

« In sanctitatis vestrae notitiam duximus perferendum senatum amplissimum decrevisse ut quicumque vivo papa de alterius ordinatione tractaverit, vel quicquam acceperit tractantique consenserit, facultatis suae medietatem multetur fisci viribus applicandam. Is vero qui tam improbum ambitium habuisse fuerit convictus, bonis omnibus amissis, in exilio se noverit esse pellendum. Atque ideo his agnitis ab omni inhibito studio vos convenit amoveri.

Incipit libellus quem dederunt presbyteri LX post mortem Dioscori Bonifacio papae.

« Non est dubium, beatissime papa, quod a primo homine peccet humanitas. Hinc est quod excessum correctione praevenire desiderans, ne obstinatum mors secunda detineat, errorem meum hac cupio satisfactione corrigere. Ob quam rem anathematizans Dioscorum persuasorem, qui contra constitutum decessoris vestri, beatae recordationis papae Felicis, ad episcopatum Romanae adspiravit ecclesiae, promittens sub divini testificatione iudicii nunquam me similia temptaturum. Quod si aliquando similia temptavero in ea causa, in qua veniam ab apostolatus vestro merui, tunc ecclesiasticae subiaceam ultioni. Quam libelli mei seriem Redempto notario ecclesiae Romanae scribendam dictavi cuique propria manu subscripsi et beatitudini vestrae, Bonifaci papa venerabilis, et sub praesentia sacerdotum obtuli sub die VI kal. ianuarii, Flaviis Lampadio et Oreste vv. cc. cons. » (1).

Non desunt nihilominus auctores qui inficiari conentur tum

---

(1) Cfr. *Liber Pontificalis,* vol. I, p. 232, edit. Duchesne.

historiam, quum iuridicam documenti auctoritatem, hisce argumentis suffulti (1):

1° Ex verbis citati documenti haudquaquam absolute constat num Felix Bonifacium archidiaconum successorem reapse designaverit, vel potius clero populoque romano eiusdem electionem dumtaxat commendaverit. Nil vetat enim quominus verba ad criticam trutinam revocata altero hoc sensu intelligantur.

2° Felix IV in extremo vitae agone, cum scilicet senio morboque abreptus, spiritualibus valde obnubilatis facultatibus, usu rationis carebat, successorem eligendum censuit. Atqui neminem latet ad electionis validitatem requiri plenam mentis advertentiam plenumque voluntatis assensum; ideoque merito concludendum est, praedictam designationem a Felice peractam aut ipso facto nullam esse, aut saltem dubiam.

3° Senatus romanus non agnovisse videtur designationem Bonifacii per Felicem IV factam, cum nulla de eadem occurrat mentio in quodam Decreto ab ipsomet Senatu edito: « Senatus amplissimus presbyteris et diaconis et universo clero. In sanctitatis vestrae notitiam duximus perferendam, senatum amplissimum decrevisse ut quicumque, vivo Papa, de alterius ordinatione tractaverit, vel quicquam acceperit, tractantique consenserit, facultatis suae medietatem multetur, fisci viribus applicandam. Is vero qui tam improbum ambitum habuisse fuerit convictus, bonis omnibus amissis, in exilio se noverit esse pellendum. Atque ideo, his agnitis, ab omni inhibito studio vos convenit amoveri » (2).

4° Historice constat, vita functo Felice IV, clerum ac populum romanum, reiecto Bonifacio, Dioscurum Papam elegisse, qui reapse plurima multitudine plaudente, ut fatetur *Liber Pontificalis* (3), in Basilica Constantiniana consecratus fuit. Hinc manifesto patet aut eiusmodi designationem clero populoque romano minime innotuisse, aut veluti nullam habitam esse.

5° Felix Bonifacium sibi successorem designavit « praesentibus presbyteris et diaconis, et senatoribus atque patriciis... quos

(1) Cfr. PÉRIÈS, *L'intervention du Pape dans l'élection de son successeur*, Paris, 1902, p. 44 ss.

(2) Cfr. DUCHESNE, *Mélanges* etc., p. 255; HOLDER, op. cit. p. 415; PÉRIÈS, op. cit. p. 52.

(3) To. I, p. 280, edit. Duchesne.

interesse contingit »; quapropter electio hoc sensu valida dici potest, quatenus praevius accessit cleri populique romani consensus.

6° Imo Felix timore poenarum, non autem veritatis evidentia seu christiana suasione, reluctantium animos sibi vindicare studuit, ut ipse candide fatetur: « Et quamvis pro Dei timore et christiana devotione credam meum vos sequi et servare posse sine aliqua dubitatione iudicium, tamen, ne quis pravis persuasionibus et ambitione hoc agat ut per vos Ecclesiae matris dissensiones et studia faciendo, membra discerpat, noverit qui ista fecerit vel facienti consenserit, nec Ecclesiae se esse filium, et a Dominici corporis esse communione suspensum » (1). Quae agendi ratio perspicue ostendit Felicem IV ex una parte argumenta in sui favorem, praeter poenarum sanctiones, nulla agnovisse, ex alia vero parte praevidisse obedientiam praecepto suo plures detrectaturos fore aut saltem aegro animo illud laturos.

7° Ipsemet Bonifacius, mediis coercitivis adhibitis, studiose curavit ut ab omnibus tamquam legitimus Pontifex agnosceretur, peculiari iurisiurandi imposita formula. Id sane *Liber Pontificalis* aperte testatur: « Bonifatius zelo et dolo ductus, cum grande amaritudine sub vinculo anathematis cyrographi reconciliavit clero quem cyrographum arcivo ecclesiae retrudit quasi damnans Dioscorum, et congregavit clerum ».

8° Historia venerandae antiquitatis silentio omnino premit designationem Bonifacii II, quae a Felice IV facta dicitur. Reapse ante annum 1883 ne unus quidem de re historica scriptor praedictam electionem memorat. Quod silentium maximi esse momenti, nemo est qui neget.

Hae aliaeve rationes, quibus nonnulli auctores documenti a clariss. Amelli in Novariensi bibliotheca nuperrime reperti auctoritatem inficiari conantur, nullius plane valoris videntur.

Sane paucis verbis ita respondendum pro nostra ingenii exiguitate ducimus:

Ad 1um. Verba *praecepti Felicis Papae* ita clara ac perspicua sunt ut nullum dubium superesse possit quin de vera agatur electione, non autem de simplici commendatione.

---

(1) Cfr. *Lib. Pontif.*, l. c.

Ad 2um. Paucis ante obitum diebus Felix IV archidiaconum Bonifacium sibi designavit successorem, minime vero in extremo vitae agone, ut perperam affirmatur. Assertio porro quod Felix destitutus iam rationis usu id egerit, plane gratuita est. Nonne quotidie morituri testamenta conficiunt quae tum canonica quum civilis lex valida censet?

Ad 3um. Decretum a Senatu editum ad rem nequaquam facit; imo nostram sententiam manifesto confirmat. Sane prohibitio ne quis, vivente Papa, de alterius ordinatione tractet, vel quicquam accipiat, tractantique consentiat, Pontificem Romanum neve directe neve indirecte attingit, sed alias quascumque personas ecclesiasticas laicasve dumtaxat respicit.

Ad 4um. Falsum plane est, clerum ac populum romanum, reiecto Bonifacio, Dioscorum Papam elegisse. Etenim, vita functo Felice IV die 22 sept. 530, « dissentio in clero et senatu » quidem orta fuit (1), ut pluries tunc temporis id contigisse omnibus compertissimum est, quin tamen universus cleri populique romani coetus obedientiam Bonifacio detrectaverit; imo maior saniorque pars ipsi se faventem teterrimis iis in adiunctis praebuit. Ceterum Dioscorum neque primus neque postremus antipapa fuit, cum plures sive ante sive postea habiti fuerint pseudo-pontifices. Nil mirum proinde quod post obitum Felicis IV dissensiones ortae sint, et clericus quidam Ecclesiae Alexandrinae, patria expulsus (2), qui patriarchatum inhiaverat, supremam Pontificis auctoritatem usurpare praesumpserit.

Ad 5um. Clero ac populo romano nullum erat ius quoad Papam eligendum, nisi in quantum Pontificis accedebat tacitus aut expressus consensus, cuius dumtaxat est formam electionis determinare.

Ad 6um. Ex verbis Felicis IV id unum eruitur, nimirum Pontificem schismati vitando atque Ecclesiae incolumitati provide consuluisse.

Ad 7um. Ecclesia, cum societas iuridica sit, triplici pollet potestate, legifera scilicet, iudiciaria et coactiva. Si rerum necessitas postulet seu hominum pravitas, non modo Pontifici Romano ius

---

(1) Cfr. *Liber Pontif.*, to. I, p. 281, edit. Duchesne.

(2) Cfr. JAFFÉ, n. 841; THIEL, *Epist. Rom. Pont.*, to. I, p. 304.

est, sed officium quoque mediis coercitivis utendi. Formula vero, quam *Liber Pontificalis* refert, asseclas Dioscori respicit, qui, eo defuncto, corpori mystico Ecclesiae sub legitimi Romani Pontificis regimine cooptari petierant.

Ad 8um. Plura habentur historica facta antiquis scriptoribus plane ignota, quae aetatum decursu ex diligenti documentorum examine agnoscuntur quaeque in dubium revocari nullo pacto possunt.

3. **Factum Bonifacii II.** — Bonifacius II exemplum Felicis IV secutus sibi successorem designavit Vigilium in Basilica S. Petri clero populoque ibi adstante. Sane id aperte testatur *Liber Pontificalis* (1) hisce verbis: « Hic (Bonifacius) congregavit synodum in basilica sancti Petri apostoli et fecit constitutum ut sibi successorem ordinaret. Quod constitutum cum cyrographis sacerdotum et iusiurandum ante confessionem beati apostoli Petri in diaconum Vigilium constituit ». Non privatim igitur, sed publice, id est in concilio romano an. 531 Bonifacius successorem sibi eligendum censuit, et quidem a clero ac populo iuramento requisito de obedientia eidem praestanda (2) coram populo et clero atque senatu; at paulo post Bonifacius designationem factam expresse revocavit, ut idem *Liber Pontificalis* declarat: « Eodem tempore factum iterum synodum, hoc censuerunt sacerdotes omnes propter reverentiam Sedis sanctae et quia *contra canones fuerat hoc factum,* et quia *culpa eum respiciebat ut successorem sibi constitueret;* ipse Bonifatius papa, *reum se confessus est maiestatis,* quod in diaconum Vigilium sua subscriptione cyrographi; ante confessionem beati apostoli Petri, ipsum constitutum, praesentia omnium sacerdotum et cleri et senatus, incendio consumpsit » (3).

Nullum dubium quin gravissima sint haec verba, utpote quae manifesto significare videntur Bonifacium non prudentiae causa

(1) L. c.

(2) Cfr. Anast., *Patr. latin.*, CXXVIII, 577-612; Baron. *Ann.* (1597), 528, 5; 9, 1-3; 540, 4-555, 9; Cave, *S. e.* (1741), 521-2; Ceillier, *H. a. e.* (1748), XVI, 350-6 (2, XI, 193-7): Dumont, *Défense du Pape Vigile* in *Annales de Phil. chrét.* (1853) *D.* VII, 325-40, 407-21; VIII, 45-54; Dupin, *B. a. c.* (1690) IV, 163; Fabricius, *B. m. ae.* (1746) VI, 824-5 (2^a 296); Jaffé, *Reg. Pont. Rom.* (1851), 76-82, 936; Labat, *Dissertatio sur le Pape Vigile;* Pitra, *Spicil. Solesm.*, 1858, IV, XII, etc.

(3) L. c.

seu ad vitandos tumultus revocasse designationem factam, sed poenitentia ductum, *reum* scilicet *se confessum maiestatis.*

Scriptores gravitatem huius facti candide fatentur. Sane Duchesne (1) scribit : « C'était un acte fort grave que cette rétractation. En s'accusant d'avoir violé les canons, Boniface réconnaissait indirectement que le pape Félix en avait fait autant, et que son installation sur le siège pontifical avait été d'une légitimité contestable tant que Dioscore, l'élu de la majorité des prêtres, avait été vivant. Une conséquence toute naturelle de ce qui venait de se passer, c'était la réhabilitation de Dioscore. Heureusement on n'obligea pas Boniface à la tirer lui-même et à joindre un autre sacrifice à celui qu'il avait eu la générosité d'accomplir ».

Passerini (2) haec animadvertit : « Cum Bonifacius II elegisset sibi Vigilium diaconum in successorem, et cum chirographis sacerdotum, et iureiurando ante D. Petri confessionem Vigilium futurum Pontificem constituisset ; postea, cognita et considerata illegitimitate facti, nova Synodo congregata, per eamdem synodum cassata fuit praefata electio ob reverentiam S. Sedis et quia facta fuerat contra canones... Considerandum est circa hoc factum, quod si solum de iure positivo esset, ut papa, etiam consentientibus Cardinalibus, sibi non eligeret successorem, electio Vigilii iuramento firmata fuisset valida et non potuisset cassari. Nam illa electio non fuisset invalida ex defectu potestatis, quia papa nullis legibus canonicis ligatur, quin si velit non possit oppositum valide facere, cum leges canonicas possit etiam abrogare. Et praecipue cum illa electio facta fuerit consentiente Synodo, ideoque et Cardinalibus ad quos spectat eligere Papam. Sed neque illa electio dici potest nulla ex defectu voluntatis, quia facta fuit cum plena deliberatione, et in Synodo. Et allegare ignorantiam legis positivae in Papa et Synodo non habet fundamentum, cum princeps scire leges praesumatur. Et praeterea, electio illa fuit cassata, non quia involontaria, sed quia mala, et Bonifacius in hoc culpam agnovit, et confessus est. Et quod illa electio cassata fuerit quia fuit facta contra canones, per canones intelligi

(1) *Mélanges* etc. p. 260.
(2) *De electione Summi Pontificis,* quaest. IV, n. 15.

debent regulae canonum quae ex divino et naturali iure sumuntur, quia etiam nulla lex positiva statuta legitur ante Bonifacium II quae prohiberet Papam sibi eligere successorem. Si ergo electio illa solum fuisset contra legem positivam non ignoratam a Bonifacio, ipse ex facto derogasset tali legi, et electio fuisset valida, et cum fuisset iuramento firmata, nec debuisset revocari. Sed habita fuit merito ut nulla, et fuit cassata ob reverentiam S. Sedis, quae omnino petit ut in ea testamentaria successio locum non habeat ».

Holder ipse vim declarationis Bonifacii persentit: « Die Wichtigkeit dieser Erklärung kann nicht in Abrede gestellt werden. An Versuchen, die Sache abzuschwachen, hat es nicht gefehlt. Doch muss man bei unbefangener Betrachtung der Vorgänge zum Schluss kommen, dass Bonifaz bei seinem Widerruf vom Bewusstsein geleitet wurde, er habe nicht nur gegen das kirchliche Recht verstossen und eine Schuld auf sich geladen, sondern auch thatsächlich seine Machtvollkommenheit überschritten, anders lässt sich das Geständniss, er habe sich gegen die Majestät Gottes oder der Kirche versündigt, schwer erklären. Dass ein Papst, der sich auf sein gutes Recht stützen kann, im Angesicht der ganzen Kirche einen solchen Widerruf leistet, lässt sich nicht annehmen » (1).

Clariss. Hollweck negat absolute Bonifacium *se reum confessum esse maiestatis:* « Es darf demnach wohl als ausgemacht gelten: Bonifaz hat nicht so gesprochen, wie ihn der *Liber Pontificalis* sprechen lässt » (2).

Ut omne errandi periculum caveatur, quaedam in hac re animadvertenda ducimus.

1° Vox *Canones* in textu allegato Libri Pontificalis leges ecclesiasticas manifeste significat, non autem ius divinum et naturale. Divina naturalisque lex numquam penes auctores *canon* vocata fuit, cum nonnisi lex positiva Ecclesiae hac voce semper nuncupata fuerit (3), atque hodie nuncupari soleat.

2° Hoc sensu designatio Vigilii *contra canones facta* dicitur, quatenus decreto Symmaci in Concilio romano an. 499 edito adver-

---

(1) *Die designation der Nachfolger durch die Päpste,* p. 416.

(2) *Kann der Papst seinen Nachfolger bestimment?* (*Archiv für k K. 1895*), p. 422.

(3) Cfr. Cap. I, Dist. III.

sari forte videbatur, vel maxime quatenus designato praedicta consuetudini iamdiu longo saeculorum usu inductae reapse officiebat.

3° Historice non constat Bonifacium revera *reum se esse confessum maiestatis*, quia *Liber Pontificalis*, ex quo dumtaxat eiusmodi confessio eruitur, in pluribus mendosus est atque a veritate aberrans. At, admissa quoque facti authenticitate, nihil inde foret concludendum. Nam verba « reum se confessus est maiestatis » intelligi profecto possunt de violatione seu melius derogatione facta privilegio aut iuri, quo clerus et populus atque *Senatus* fruebantur Summum Pontificem eligendi.

4. Quaedam alia historica facta. — Non desunt qui putent alios quoque Pontifices sibimet designasse successores, nimirum Gregorius VII dicitur elegisse Victorem III, Victor III Urbanum II, Urbanus II Paschalem II, Paschalis II Gelasium II, Gelasius II Callixtum II, Honorius II Innocentium II, Innocentius II Lucium II, Adrianus II Alexandrum II. At verae propriaeque designationes nullo pacto hae dici possunt, sed tantum commendationes seu desideria, quibus Pontifices morituri significabant quinam ipsis viderentur prae ceteris apti Ecclesiae provide regendae (1).

Id liquido patet ex documentis historicis, quibus perperam nonnulli auctores innituntur in multiplici vindicanda designatione (2).

Quapropter Onophrius Panvinius merito scribit (3): « Nulla interposita imperatoris auctoritate, imo praeter eius sententiam a cardinalibus, clero, senatu populoque romano renuntiati sunt et consecrati: illud addito, quod, ob imminens schisma praedecessor successorem, ex patrum tamen adstantium auctoritate designavit. Nam Gregorius VII Victorem II; Victor Urbanum II; Urbanus Paschalem ante mortem suam dignos romano pontificatu pronunciarunt, adstantibusque cardinalibus eorum promotiones *persuaserunt*, quibus etiam obtemperatum est. Hoc vero, ut dixi, fa-

(1) Cfr. Migne, *Patr. Lat.*, to. CLXXIII, col. 881, 825; to. CLI, col. 283, 285, 287.

(2) Cfr. Many, *Du droit des papes de désigner leur successeur*, in *Revue de l'Institut. catholique de Paris*, mars 1901, p. 152 ss.

(3) Op. cit., f. 142.

ctum est stante maximo schismate et Ecclesiae perturbatione inter regnum et sacerdotium. Nam tum Pontifices viventes maxime curabant ut illis successor designaretur, quem intelligebant actionem ipsam contra imperatorem potentissimum quam arduam et difficilem suscepturum, a qua totius ecclesiasticae libertatis summa pendebat ».

Itaque paucis verbis enucleantes dicimus aliam historice indubiam non haberi stricto sensu designationem, praeter eam, qua Felix IV paulo ante obitum sibi successorem Bonifacium archidiaconum eligendum censuit.

5. **Status quaestionis.** — Quaerentes num Romano Pontifici proprium successorem designandi ius competat, hanc vocem *designare* triplici sensu sumere possumus: vel quatenus commendationem dumtaxat ex parte Pontificis significat, qua Cardinales ipse hortatur ut determinatum quendam virum, Papae apprime notum, ad summum fastigium evehant, quin tamen Eminentissimi Patres consilium seu commendationem revera sequi adigantur; vel quatenus Pontifex, coetu Cardinalium adstante, quinam romano pontificatu dignus ipsi videatur candide pandit, ita quidem ut Cardinales se illum reapse fore electuros serio spondeant, quin imo id iureiurando forte testentur; vel quatenus Pontifex absolute publiceque sibi successorem eligit, quavis exclusa consilii aut commendationis seu desiderii tantum forma. Hoc postremo sensu *designationis* vocem sumimus, cum secus vera propriaque designatio nullatenus habeatur, ut ipsamet verborum vis manifesto suadet. Sane in primo casu electio minime habetur; ne in altero quidem adest; nam designatus a Pontifice tunc censetur canonice electus, cum, eveniente Sedis Apostolicae vacatione, in eum maior Cardinalium suffragiorum pars reapse convenerit. Quin imo merito foret disceptandum, num Cardinales, Pontifice vita functo, promissionem, da qua in casu, servare revera tenerentur, necne.

6. **Doctrina theologorum et canonistarum.** — Passerini (1) scribit: « Consuetudo certa, optima legum interpres, est ut Ecclesia sibi eligat pontificem, adeo ut, esto non defuerint et occasiones urgentes et motiva efficacia in Summis Pontificibus ad eli-

(1) Op. cit., n. 25.

gendum successores, id non fecerunt... Non leve signum, sed urgens valde et validum quod iuri divino repugnet ut vivens Pontifex successorem eligat inde colligitur, quod id quod potuit fieri - et non defuerunt occasiones ut fieret, et fuisset valde commodum affectioni facientis et gratum si factum fuisset - et tamen, a S. Petro usque ad haec tempora factum non fuit, *dicendum sit factum non fuisse quia visum est fieri non* posse, et Deus intus dirigens mentes Pontificum ex hoc illorum affectus direxit quod inspiraverit non licere ut vicarius manum mittat in messem Domini et super Domini ovile pastorem constituat. Quod enim praestita pluries occasione ut fieret, non est factum, ideo censendum non factum, quod non possit fieri ».

Bonacina putat Romanum Pontificem « sine urgentissima et gravissima causa et sine consensu omnium Cardinalium » sibi successorem designare non posse (1).

Gundisalvus Villadiego (2) eandem profitetur sententiam: « Papa non potest post mortem suam sibi eligere successorem et per consequens illa vice tollere a Cardinalibus facultatem eligendi, quia statum universalis Ecclesiae immutare non potest; neque electionem papae, quae tangit universalem Ecclesiam, sine iusta et notoria causa immutare, et si hoc faceret, non esset sibi parendum; et ideo sine causa non posset privare collegium Cardinalium facultate eligendi Romanum Pontificem, potestatem in alios transferendo ».

Roccaberti (3) id scite animadvertit: « Certum est enim S. Pontificem non posse errare in iis quae pertinent ad universale regimen Ecclesiae; iam vero nominare sibi successorem pertinet ad universale regimen Ecclesiae; successor enim esset universalis rector Ecclesiae; ergo in hac nominatione non potest Pontifex errare; sed per solum errorem inducitur pernicies Ecclesiae; *ergo ex hac nominatione nulla sequitur pernicies...* ».

Antonius De Rosellis (4) haec asserit: « Credo quod ideo

---

(1) *De legitima S. Pontificis electione*, punct. IV, pag. 32.

(2) *Tractatus de origine, dignitate et potestate S. R. E. Cardinalium*, qu. V, n. 19.

(3) *Bibl. max. Pont*, *to. X.* p. 109.

(4) *Monarchia, sive de potestate Pontificis maximi, romanique imperatoris*, cap. 19.

Clemens renuntiavit quia electio facta de eo a solo Petro non valebat. Nam Papa est universalis vicarius Iesu Christi. Sed vicarius non potest illi qui eum praefecit vicarium alium universaliter dare. Et ideo credo quod etiam sibi non posset substituere vicarium, qui omnem haberet sicut papalem potestatem ratione praedicta, et ideo, bene Clemens renuntiavit et voluit quod per electionem fieret... ».

Turrecremata (1) absolute negat: « Christus... Ecclesiae suae non providit nisi de Petro; unde per consequens, quia non providit de persona nominatim successoris Petri, Ecclesiae electionem dimisit, prout haberi videtur *in c. 11, D. 79,* ubi Anacletus papa inquit: Electionem vero Summorum Pontificum vel sacerdotum sibi Dominus reservavit, licet electionem eorum bonis sacerdotibus et spiritualibus populis concessisset. Unde, *de iure naturali et quasi divino videtur esse,* quod Papa non faciat sibi successorem, nec post mortem, nec post resignationem quando non praeest... Sic ergo patet, quod tam iuri divino quam naturali consonum esse videtur, quod ex electione universalis Ecclesiae vel illorum ad quorum de consensu universalis Ecclesiae translatum est ius eligendi, fiat Papa ».

Camarda (2) item negat: « Papae non convenit actus, quem non potest exercere in tempore habili, sed respicit tempus in quo iam papa non est, sed fuit. Atqui electio papae, cum ex natura sua Ecclesiam viduatam supponat, et fieri debeat tunc quum papa iam est mortuus, nequit a papa fieri in tempore habili, igitur non est illi commissus ».

Caietanus ita subtiliter ratiocinatur (3) : « Eius est potentia cuius est actus, et electionis papae actus simpliciter et absolute non est papae, ideo potestas electiva papae non convenit formaliter papae. Probatur minor: electio papae est actus factivus, quantum ex se est, tunc papae; ergo repugnat ei, quia praesupponit pro tunc papam. Et tenet consequentia, quia, quando fit, non est; si enim esset, iam non fieret. Tunc ultra, ergo elector papae non est papa, et tenet sequela quia electio papae est actus

(1) *Summa de Ecclesia*, lib. II, cap. 51.
(2) *Tractatus de electione Pontificis*, p. 54.
(3) *Apologia de comparata auctoritate Papae et concilii*, cap. XXII.

electoris papae. Ex hoc igitur patet quod potestas electiva papae, cuius actus simpliciter et absolute est electio factiva ex natura sua tunc papae, non est in papae potestate formaliter ».

Item Barbosa (1): « Electio refertur ad tempus in quo Papa futurus non est, arg. text. in l. *si qui* ff. *de iurisd. omnium iud.*, unde quemadmodum tunc non posset, ita nec nunc potest, paria enim sunt aliquid gerere tempore inhabili, vel tempore habili, et effectum eius conferre in tempus inhabile. C. *Quod sponte.* c. *De donat. ante nupt....* ».

Fagnanus (2), expositis rationibus in favorem sententiae affirmantis, concludit: « Sed praemissis minime obstantibus sine trepidatione tenenda est haec conclusio, videlicet Papa nullatenus potest sibi successorem eligere, ac si eligat, irrita est electio ».

Clariss. Suarez (3), theologorum sententiis relatis, ita mentem suam aperit: « Propositae opiniones duae habentur probabiles. Ego tamen nec simpliciter concederem dictam potestatem pontifici, nec negarem simpliciter; potest ergo Papa ordinare modum electionis, iustum tamen et utilem Ecclesiae, quique non sit in destructionem eius, sed in aedificationem; quare si tentaret praedictum eligendi modum tamquam ordinarium praescribere, is minime valeret, neque esset observandus, quia plane vergeret in perniciem Ecclesiae; unde apertam contineret iniustitiam: attamen si in raro casu, urgente aperta Ecclesiae necessitate, id faceret, iuste faceret, legitimaque potestate uteretur, ut arbitror ».

Vasquez (4) affirmativae adstipulatur sententiae: « Sicut Pontifex tribuit aliis facultatem, ut post mortem suam successorem eligere possint, cur etiam ipse in vita sua non posset ipsum ita designare ut ius successionis haberet? Praeterea hanc potestatem illi Deum tribuere, nemo dubitare potest; cumque legamus Petrum elegisse Clementem, dubitare etiam non debemus, aliis Pontificibus hanc potestatem reipsa Deum tribuisse ».

Dominicus a S. Thoma (5) ita ratiocinatur: « Electio papae

---

(1) *Iuris eccl. univ.*, lib. I, cap. II, n. 42.
(2) In cap. 5, X, *De pactis*, I, 35, n. 29.
(3) *De fide*, disp. 10, sect. 4, n. 16.
(4) Comm. in III part. D. Thom., disp. 244, cap. III, n. 26.
(5) *De Ecclesia Christi et Papa*, p. 28.

est factiva papae, electio enim facit papam; sed, si papa vivens nominaret papam, illa nominatio esset in vim electionis; ergo faceret papam. Ergo essent duo papae, alter nominans, alter nominatus; sed hoc est impossibile et contra ius divinum, quod tantummodo constituit unum caput, et contra ius naturale, quod etiam in uno corpore tantummodo constituit unum caput. Ergo papa vivens non potest nominare, nec eligere sibi successorem ».

Pirhing (1) eadem permotus ratione negat: « Effectus talis electionis refertur ad tempus, quo non amplius erit papa, et consequenter invalida est talis electio, ob defectum potestatis ».

A. Chiroli (2) sine ulla dubitatione affirmativam profitetur sententiam: « Tota potestas ecclesiastica est in Petro ut in capite; sed inter ea quae continentur in potestate ecclesiastica, est potestas designandi electores S. Pontificis; ergo est in Papa, et potest seipsum virum electorem designare a quo eligatur Papa, et eadem ratione potest etiam suum designare successorem ».

Ferraris (3) ait: « Papa non potest sibi successorem eligere, et si eligeret, irrita esset electio... Papa prohibetur sibi successorem eligere non solum de iure ecclesiastico, sed etiam de iure divino et naturali ».

Victoria (4) scribit: « B. Petrus potuit eligere et designare sibi successorem, qui defuncto Petro, sine alia electione esset Summus Pontifex. Haec propositio non recipitur a theologis recentioribus, quod sint pontificiae dignitati aliquanto infestiores quam deceret, alioqui pios et christianos scriptores. Sed probatur, primo ex facto Petri, qui (si fides habenda est vera narrantibus) Clementem vivens ipse viventem pontificem nominavit, ut habetur 8, qu. I, c. *Si Petrus*, ex auctorit. Ioan. scilicet tertii qui fuit temporibus Iustiniani. Item probatur manifesto ex invicto argumento. Nam, ut probatum supra est, poterat ferre legem de electione successoris; sed potuisset ferre legem ut vivens Pontifex eligeret successorem, imo lex videtur futura convenientissima ad

---

(1) Op. cit., lib. I, tit. VI, sect. 9, § 2.
(2) Cfr. Roccaberti, op. cit., to. III, p 358.
(3) Op. cit, v. *Papa*, n. 1.
(4) *Relationes theologicae*, *De potest. eccl.*, II, n. 23.

tollenda schismata et ambitiones. Sicut apud Romanos durante magistratu Consulum designabantur futuri Consules, quare non ita potuit fieri de Summo Pontifice? Item potuit ferre legem, ut Episcopus vivens nominaret sibi successorem, quare non potuit de Summo Pontifice? *Sequitur consequenter, quod tantundem potuit facere quilibet successor Petri. Patet, quia habuit eamdem potestatem* ».

Martinus De Ledesma (1) haec habet: « B. Petrus potuit eligere et designare sibi successorem, qui defuncto Petro sine alia electione esset Summus Pontifex... Unde sequitur quod idem potuit facere quilibet successor Petri, cum quilibet successor habeat eamdem auctoritatem, quam Petrus habuit ».

Franciscus Amicus (2) scribit: » Summus Pontifex sibi post mortem successorem designare valet, isque designatus valide electus foret, modo talis electio apertam non contineat iniustitiam, quod tunc esset, quando Pontifex hoc faceret, quasi ex testamento dignitatis suae haeredem substitueret ».

Wiestner (3) de hac controversia ita disserit: « Multum agitata quaestio est, an Summus Pontifex sibi in B. Petri sede successorem constituere possit. In quo extreme oppositas doctorum opiniones in concordiam reducere conantur Suarez (disp. 20, *De fide*, f. 5, n. 16) et Amicus (*Theol.*, to. 4, disp. 6, f. 6, n. 204) qui, licet Summo Pontifici eiusmodi potestatem ordinariam, cum sententia doctorum frequentiori calculo approbata, negent, casu tamen extraordinario, quo Ecclesiae urgenti maximae necessitati ita occurri, sine notabilis incommodi periculo posse, praevideret, successoris substitutionem, praesertim accedente Cardinalium Collegio consensu, ei permittunt ». Quibus relatis, sententiam Suaresii et Amici ipsemet amplectitur.

Bellarminus (4) in diversam opinionem abit: « Non debet Pontifex creari per sortes, nec per carnalem successionem, nec per solius praedecessoris nominationem... ».

Card. Hier. Albani (5), argumentis allegatis sententiae negantis,

---

(1) In 2 quart., qu. 20, art. 4, concl. 10.
(2) *Theol.*, to. 4, disc. 6, n. 104.
(3) *Instit. can.*, lib. I, tit. VI, sect. II, n. 349.
(4) *De clericis*, lib. I, cap. IX.
(5) *Tractatus universi iuris*, *De Cardinalatu*, to. XIII, p. II, 105.

concludit: « Hae rationes non videntur urgere, quia eodem iure nec Petrus Clementem eligere potuisset... Igitur Summus Pontifex sibi designare valet successorem ».

Card. Petra (1) de hac quaestione fuse ac perbelle more suo loquitur. Triplici exposita sententia ac rationibus adductis quibus unaquaeque innititur, concludit: « Haec quidem momenta sunt tripartitae sententiae in hac arduissima quaestione. Nobis autem datum non est in parva hac mole magnam hanc quaestionem perstringere; sufficiat itaque animadvertere pro nunc, quod his qui de iure divino vel naturae Summum Pontificem eligere non posse successorem autumant, non parum obstet electio huiusmodi de S. Clemente facta a D. Petro; data enim huius facti veritate, quis dicet Apostolorum Principem contra iuris divini et naturae regulas egisse? Pie autem meditantur, et certe non ad veritatem eruendam, sed ad facti vim eludendam, qui dicunt, divino impulsu ad hanc deputationem B. Petrum motum fuisse, siquidem cur ita asserant, nemo, quem viderim, rationem assignat. Quin imo animadversione est dignum, quod huiusmodi deputatio ob renunciationem D. Clementis effectum non fuit sortita, quapropter si ad extraordinarium divinum impulsum huiusmodi factum trahi libeat, potius est dicendum, ideo D. Petrus sibi substituit et ordinavit D. Clementem, ut nos erudiremur, *quod Summus Pontifex ex absoluta potestate possit sibi eligere successorem . . .* ».

Gonzales (2): « Hanc substitutionem (Petri) recte iuris interpretes de sola commendatione D. Petri, vel monitione accipiunt, *cum certum sit Summum Pontificem non posse sibi eligere successorem...* ».

Pignatelli (3) dubitanter loquitur, at negativam potius amplecti videtur sententiam: « Post Petrum nullus Pontificum sibi elegit successorem... Quare, licet non sit omnino certum, probabilius tamen est, quod diximus ».

Sebastianelli (4) sententiam negativam profiteri videtur: « Communior est Canonistarum et Theologorum sententia Romanum

---

(1) Comm., to. 4, ad Constit. 5, Clementis VI, n. 9 ss.
(2) In cap. 6, X, *De elect.* I, 6, 11.
(3) *Consult.* LXVII, to. IX, n.
(4) Op. cit., vol. I, *de clericis*, cap. II, n. 89.

Pontificem non habere potestatem designandi successorem . . . ».

Lombardi (1) explicite negat. « Posse R. P. successorem sibi eligere, praesertim si Ecclesiae bonum ob rerum adiuncta id expodire videatur, fuit nonnullorum opinio, quam vix non antiquatam recte dixeris. Etenim si ad R. P. utpote plenitudinem potestatis habentem pertinet, et quidem exclusivo iure, modum constituere quo novus pastor viduatae Ecclesiae praefici debeat, non tamen in eius potestate est successorem ipsum designare ».

Bouix (2) quaestionem tangit, quin ipse solvat. « Ardua quam maxime est quaestio illa. Quamvis enim doctores concorditer in Romano Pontifice potestatem agnoscant decernendi, a quibus et qua forma ipsius successores sint eligendi, ubi tamen devenitur ad quaesitum, an ipse sibi successorem eligere valeat, in varias opiniones abeunt, quas hic adnotandas dumtaxat, non autem expendendas duximus ».

Idem auctor ex professo de hac quaestione alibi disserit (3).

Dominicus a SS. Trinitate seu a S. Dominico iterum docet (4): « Actus eligendi Summum Pontificem, per se loquendo est actus illum non supponens, cum sit actus illius factivus, quantum ex se est; igitur, per se loquendo, non debuit competere Summo Pontifici, nec illi a Christo Domino concedi, sed Ecclesiae quae manet mortuo et non existente Papa... Hoc ipso quod Christus Dominus Summorum Pontificum successionem haereditario iure instituere noluit, censetur potestatem electivam concessisse Ecclesiae, quae sede vacante manet, non autem Pontifici antecessori... ».

Wernz (5) sententiam Suaresii profitetur: « Imo *designatio* sensu *stricto* personae proprii successoris in cathedra S. Petri, non mera *commendatio* ab ipso Romano Pontifice facta iuxta probabiliorem sententiam saltem in casu verae et extraordinariae necessitatis vel utilitatis Ecclesiae et *valida* et *licita* est ».

---

(1) Op. cit., vol. I, p. 194.

(2) *De Curia Romana*, p. 121.

(3) *De l'élection du Souverain Pontife* etc., in *Revue des sciences ecclésiastiques*, 1864, p. 342 ss.

(4) *Bibl. Theol. tract. de Romano Pontifice*, cap. IX. 5.

(5) Op. cit., to. II, part. II, n. 567.

Périès (1) absolute negat: « Nous adoptons résolument la thèse de Caietan, Bellarmin... qui reconnaissent au pape le droit de diriger l'élection, en fixant l'époque, le lieu, les règles à observer... mais lui refusent absolument le droit de désigner lui-même de façon obligatoire celui qui lui succédera dans la chaire apostolique ».

Bargilliat (2) triplicem exponit auctorum in hac re sententiam, quin tamen expresse declaret quaenam ex iis ipsi probabilior videatur.

Cavagnis (3) fuse loquitur de hac quaestione. Vim iuridicam, quae merito depromitur ex facto historico Felicis IV, ipse plane subvertere nititur. Dein concludit: « Ratio autem iuridica haec est. 1° quia suprema potestas in Ecclesia non est haereditaria. Sed si posset Pontifex sibi designare successorem, evadere posset haereditaria. 2° Pontifex habet supremam auctoritatem pro regenda Ecclesia donec ipse est Pontifex; sed electio successoris non spectat ad regimen Ecclesiae, sed providet de *rectore* pro eo tempore quo ipse non amplius Pontifex erit, pro quo tempore sollicitudo Ecclesiae non amplius ad eum pertinet, sed ad eos qui vivent, seu devolvitur ad inferiorem gradum; mors enim omnia solvit ».

Card. Tarquini (4) docet: « Rationem eius successionis hisce limitibus (Christus) determinavit, ut successoris sibi constituendi facultatem (nisi forte extraordinaria quaedam et proprie dicta necessitas id imperet) eidem denegarit... ».

Casana (5) hisce verbis concludit: « Da tutto ciò chiaramente apparisce che il Sommo Pontefice non può eleggersi il successore ».

Ex veteribus theologis et canonistis, praeter recensitos, alii quoque allegari possunt, scilicet Felinus (6), Ioannes Andreas (7), Ioannes de Lignano (8), Aegidius Bellamera (9), Abbas Panormi-

(1) Op. cit., p. 170.
(2) Op. cit., vol. I, n. 373.
(3) Op. cit., vol. II, p. 141 ss.
(4) *Iuris Eccl. publ. Instit.*, p. 83.
(5) *Se il Papa possa eleggere il suo successore*, p. 25.
(6) In cap. I. *sub n. 23, col.* 5, *vers. Fallit quarto.*
(7) In cap. *Licet de vitanda*, n. 15.
(8) In Clem. *Ne Romani, de elect.*
(9) In cap. *Si transitus, in vers. Non possit.*

tanus seu Nicolaus de Tudeschis (1), Antonius Butrius (2), Ioannes a Capistrano (3), Card. Iacobat. (4), Augustinus Triumph. (5), Cardinalis Zarabella (6), Ioannes Bertachinus (7), Hieronymus Manfred. (8), Silvester Aldobrand. (9), Petrus de Palud. (10), Silvester Prierius (11), Baronius (12). Omnes negativam profitentur sententiam.

Ex recentioribus vero canonistis praeter allegatos, scite de hac quaestione disceptarunt Many (13), Holweck (14), Granderath (15), Sägmüller (16), Holder (17), Grauert (18), Grisar (19), Pezzani (20), qui affirmativae sententiae adstipulantur.

7. Variae Theologorum et Canonistarum sententiae.

Auctorum opiniones, vexatam quod attinet quaestionem an Summus Pontifex possit sibi eligere successorem, ad quatuor, ut manifesto colligitur ex citatis textibus, commode reduci possunt. Prima sententia absolute affirmat Romano Pontifici ius competere sibi designandi successorem; quin imo eiusmodi designationis modum aptissimum et convenientissimum esse con-

---

(1) *In rubr. infra de Testam.* n. 2, *vers. Hinc dixit glossa.*

(2) In cap. *Licet de vitanda*, n. 3.

(3) *De potest. Papae, n. 2 inter Tract. commun., to. 13, fol. 32.*

(4) *De Concil. lib. 10, art. 7, in solutione undecimi argumenti, fol. 34.*

(5) *De potest. Eccles. lib. I, cap. 13, et lib. 2, cap. 15.*

(6) In Clem. *Ne Romani*, in 5 quaest. n.5 de elect.

(7) *De episc.* in 4, seu 40 quaest., tertiae partis, lib. I.

(8) *De Card.* decis. 15, to. 13, tract. 3, part. 2, fol. 86.

(9) In cap. *Licet de vitanda*, in ver. *Communiter.*

(10) *De potest. Eccl., lib.* 5.

(11) *In ver. Excommunicatio nono, num. 3.*

(12) Ad annum Christi II, fol. 188.

(13) *Du droit des papes de désigner leur successeur* in *Revue de l'Institut catholique de Paris*, mars 1901,

(14) *Kann der Papst seinen Nachfolger bestimmen? (Archiv für k. K. 1895).*

(15) *Stimmen. aus Maria-Laach a. 1874 to. VII* p. 139 ss.

(16) *Die designation des Nachfolgers durch den Papst* in *Archiv. für k. Kirchenrecht, 1896.*

(17) *Die designation der Nachfolger durch die Päpste*, Freiburg (Schweiz) 1892; *Die designation, etc. in Archiv für kath. kirchenrecht*, 1894.

(18) *Papstwahlstudien, Hist. Jahrb. to. 20 p. 270 ss.*

(19) *Gesch. Roms*, to. I. p. 494 ss.

(20) *Codex Sanctae Catholicae Ecclesiae*, Romae 1893.

tendit, utpote qui mirifice consulit paci concordiaeque Ecclesiae cum schismata et contentiones ac alia id genus incommoda hac agendi ratione manifesto vitentur.

Secunda sententia in oppositum plane abit, absolute scilicet negat, ita quidem ut nullo in casu putet Romano Pontifici licere suum eligere successorem et, si forte illum eligat, nullam esse electionem expresse contendat.

Tertia ita distinguit: urgente necessitate vel utilitate Ecclesiae, sibimet eligere successorem Pontifici Maximo fas est; verum in casibus ordinariis eiusmodi electio neve licita neve valida foret (1).

Quarta medio tutoque itinere it, consultius sic distinguesguit: urgente necessitate vel utilitate Ecclesiae, designatio successoris est valida ac licita; in ceteris vero casibus est *valida* quidem, sed illicita.

8. **Argumenta quibus unaquaeque innititur sententia.** — Argumenta primae sententiae haec sunt:

1. Exemplum Christi, qui arbitrio suo sibi successorem designavit Petrum eique plenam iurisdictionis tradidit potestatem in universam Ecclesiam. Atqui Romani Pontifices vices Christi gerunt; ideo ipsi quoque successores sibi constituere valent, quia omnis Christi actio nostra instructio est, teste cap. *Significasti.*

2. Petrus ipse successorem sibi Sanctum Clementem elegit, ut manifesto eruitur ex can. I. caus. VIII. quaest. I. cap. *Si Petrus.* Iamvero integram potestatem, qua divus Petrus pollebat, in legitimos transiisse successores, nemo est qui neget; igitur, si ipsi licuit successorem sibi constituere, a paritate id agere fas erit Romanis Pontificibus.

3. Felix IV, qui diem supremum obiit anno 530, cum in extremis vitae suae versaretur « praesentibus presbyteris et diaconis et senatoribus atque patriciis » pallium suum archidiacono Bonifacio imposuit eumque sibi successorem designavit. De qua electione indubie constat, cum nuperrime, anno scilicet 1883, in bibliotheca Capituli Novariensis authenticum repertum sit documentum. Cuius documenti veritate merito admissa, necessario

---

(1) Cfr. SUAREZ, *de Fide*, disp. IX. sect. IV. n. 16; PETRA, to. 4 *Comm.* ad *Constit.*, 5 Clem. VI. n. 5.

concludendum est, Romano Pontifici competere revera ius successorem sibi constituendi, ne dicere adigamur Felicem IV ius divinum vel naturale violasse, quod absonum plane est.

4. Bonifacius II ipse in Concilio Romano I anno 531 Vigilium diaconum sibi successorem elegit, teste historia. « Hic (Bonifacius) congregavit Synodum in Basilica Beati Petri Apostoli, et fecit constitutum, ut sibi successorem ordinaret. Quo constituto cum chirographis sacerdotum et iureiurando ante confessionem B. Apostoli Petri in Diaconum Vigilium constituit » (1).

5. Alia habentur exempla. Gregorius VII, vir sanctitate et doctrina ac fortitudine praeclarus, Salerni ante tertiam diem sui obitus ab Episcopis et Cardinalibus rogatus, ut de Romanae Ecclesiae post mortem suam ordinatione praeciperet, iussit Desiderium Pontificem creari aut Origenem Lugdunensem archiepiscopum vel Othonem episcopum Ostiensem. Reapse post eius mortem Papa renuntiatus fuit Desiderius, qui Victoris III nomen assumpsit.

Victor idem gravi morbo correptus, Episcopis et Cardinalibus convocatis, mandavit ut iuxta voluntatem Gregorii VII Otho episcopus Ostiensis Papa eligeretur, quem suapte manu apprehendens, episcopis adstandibus hisce verbis commisit « Accipite eum et in Romana sede locate ».

Porro, exemplum decessorum secutus, Victor III Urbanum II delegit, Urbanus II Paschalem II, Paschalis II Gelasium II, Gelasius II Callixtum II, Honorius II Innocentium II, Innocentius II Lucium II, Adrianus IV Alexandrum II. Auctores merito docent Gregorii VII tempore de consensu Patrum astantium statutum fuisse, ut Pontifices sibi successorem designarent. Qui mos ideo inductus fuit, quia reges Gothorum impie sese in electione Pontificis Maximi immiscere audebant.

6. Zacharias Papa archiepiscopo Moguntino facultatem tribuit successorem sibi designandi, ut liquido patet ex cap. *Petisti* (2). « Petisti ut cum nostro consueto pro superveniente tibi senectute atque corporis imbecillitate, si poteris invenire, alium in eadem sede in qua praees pro tua persona debeas collocare:

---

(1) Cfr. to. 2 *Concil.*, part. I. fol. 64., col. 2.
(2) Cfr. can. XVII, caus. VII, quaest. I.

nos vero adiutore Deo consilium praebemus tuae sanctitati, ut pro salute animarum rationabilium fautore Christo sedem, quam obtines Moguntinae ecclesiae nequaquam relinquas. Si vero Dominus dederit iuxta petitionem tuam hominem perfectum..... *pro tui persona ordinabis illum episcopum* ». Si Pontifex ius tribuere valet episcopis ut sibi deligant successorem, cur ipsi deneganda erit eadem facultas, quam aliis tribuere potest?

7. Can. 9 dist. 79 ita expressis verbis decernit: « Electio vero Romani Pontificis etiam cum deliberatione praedecessoris fieri debet ». Glossa vero peropportune haec habet: « Aliud est de sui successoris electione cum fratribus deliberare, *quod posset fieri,* ut hic permittitur; et aliud est ex testamento quasi dignitatis suae haeredem constituere ». Seclusa igitur testamentaria forma designationis, nullum dubium quin Papa deliberare ac decernere valeat de successore suipsius.

8. Hadrianus I Carolo Magno ius tribuit in romana Synodo subrogandi successorem in locum Romani Pontificis. Item LeoVIII Othoni I eamdem concessit facultatem. Eiusmodi vero ius Pontifices Summi imperatoribus tribuere non potuissent, nisi reapse haberent, cum nemo dare queat quod non habet. Quin imo si hanc potestatem exercuerunt per laicos imperatores, a fortiori per seipsos exercere valent.

9. *Designatio* personae ad supremum Pontificatum assumendae non fit immediate a Deo, neque *modus* designationis iure divino est peculiariter determinatus. Neminem vero latet ius determinandi *modum* designationis personae ad Pontificem Maximam spectare. Ergo a paritate eidem potestas competit ipsam personam successoris immediate ac per se designandi.

10. R. Pontifex suprema pollet potestate in iis omnibus quae bonum Ecclesiae respiciunt. Id manifesto eruitur ex verbis Christi penes Matth. XVI, 19, ex pluribus Conciliorum definitionibus, potissimum vero ex Conc. Vat., Sess. IV. Iamvero designatio successoris perutilis ac necessaria plene videtur, tum quia Ecclesia numquam legitimo sic vacat pastore, tum quia schismata, tumultus et contentiones omnino eliminantur, quae occasione novi deligendi Pontificis haberi solent.

11. Potestas R. Pontificis tanta est, ut nonnisi iure divino et naturali coarctetur; quapropter ea omnia ipsi agere licet,

quae ius divinum aut naturale non vetet. Atqui neve ius divinum neve naturale prohibet quominus Papa sibi successorem deligat; igitur eiusmodi potestas Pontifici Maximo nullo pacto deneganda est.

Argumenta quibus secunda innititur sententia haec sunt:

1. R. Pontifex statum Ecclesiae mutare nequit, ut testatur B. Leo in cap. *Ad perpetuam, 25 quaest I.* et probat singulare dictum Innocentis in cap. *Quarto, ad fin. vers. si Papa talia faceret;* iamvero si Papa suum constitueret successorem, statum Ecclesiae profecto mutaret; nam a Christo ad haec usque tempora nemo ad Apostolatus apicem unquam evectus fuit nisi per electionem. Exemplum sane B. Petri et aliorum Pontificum, qui dicuntur sibi successores constituisse, nullius momenti est, quippe quod historice nullo modo sustinetur.

2. Electio successoris a Papa designati eo tempore perficitur quo ipse non est amplius Papa; ideoque non valet ex defectu potestatis, nam quemadmodum Papa non posset tunc temporis huismodi electionem facere, ita nec modo; quia paria sunt aliquid agere tempore inhabili vel tempore habili, si effectus conferatur in tempus inhabile.

3. Ita se habet Papa et episcopus ad Ecclesiam, sicut se habet vir ad uxorem suam. Sed vir non potest uxori suae alium virum relinquere, quia, eo mortuo, ab illius legibus est soluta. Ergo nec Papa, licet sit caput Ecclesiae sponsae suae, potest eidem Ecclesiae alium sponsum relinquere, cum, eo mortuo, spirituale coniugium sit solutum, et Ecclesia viduata maneat (1).

4. Eius est potentia, cuius est actus. Sed actus electionis Papae simpliciter et absolute non est Papae. Nam si papa vivens nominaret successorem, haberentur duo papae alter nominans et alter nominatus. Atqui hoc est impossibile et contra ius divinum (2).

5. Designatio successoris iuri canonico aperte adversatur, ut colligitur ex c. *Episcopo VIII.* quest. I, nec non ex cap. *Si transitus.* 89 dist.

---

(1) Cfr. FAGNANUS l. c., n. 37.

(2) Cfr. CAIET. *Apol. de comparata auct. Papae et Concilii*, cap. XXII; Dom. a S. Thoma, *De Eccl. et Papa,* p. 28.

6. Quin imo contra ipsum divinum ius ac naturale successoris electio procul dubio est. Quod multiplici modo ostenditur. Sane:

a) Quamvis Deus dederit populo potestatem eligendi principes inferiores, tamen Summi Pontificis institutionem sibi exclusive reservavit (1); iamvero quae de Summo Pontifice in lege veteri statuta fuerunt, post legem evangelicam ad Papam referenda sunt, ut liquet ex c. *Electionem, 79 dist.*, ubi Anacletus Papa ait *electionem Summorum Sacerdotum sibi Dominus reservavit.*

b) Turpe est divini plenum animadversione iudicii, ait Concilium Lateranen. (2), si locum in Ecclesia Dei futurae successionis expectatio habeat. Quaelibet proinde successio haereditaria omnino excludi debet, ita Deo praecipiente. Iamvero si Pontifex posset sibi successorem constituere, nullum dubium quin haberetur successio haereditaria.

c) Christus Dominus pontificiam potestatem contulit Petro per illa verba: « Pasce oves meas » (3). Haec autem verba minime includunt ius designandi successorem. Siquidem aliud est pascere, aliud successorem sibi eligere qui pascat. Qua in re animadvertendum est quod scite ad notat Angelicus (4), nimirum totam suam potestatem alteri committere Vicarium haudquaquam posse.

d) Si eiusmodi admitteretur successoris designatio, verendum profecto esset, ne communiter substituerentur nepotes et consanguinei, quamvis forte indigni vel saltem minus digni; indeque scandala, animorum anxietates aliaque plura incommoda in Ecclesiae Christi detrimentum.

7. Pontifex suprema pollet auctoritate pro regenda Ecclesia quamdiu ipse Pontifex est; atqui electio successoris non spectat ad regimen Ecclesiae, sed providet de rectore pro eo tempore, quo ipse Pontifex non amplius erit, scilicet pro tempore quo solicitudo Ecclesiae non ad ipsum, sed ad eos qui vivent, pertinet: mors enim omnia solvit.

---

(1) Cfr. S. Th. 2-2, q. 105. a, 1 ad 1.
(2) Cap. 2 *infra de concess. praeb.*
(3) Ioan XXI, 5.
(4) *Quodl. 12. art. 31.*

8. S. Hilarus Papa in Concilio romano an. 461 expresse decrevit nulli Pontifici sibi successorem eligere fas esse. Ita Cavagnis (1).

9. Pius IV in Consistorio an. 1561 hanc definitivam tulit declarationem: « Sanctitas sua declaravit atque decrevit quod Romanus Pontifex non possit sibi eligere successorem, nec adsumere coadiutorem cum futura successione, etiam de consensu omnium et singulorum Cardinalium, sed electio spectet ad Cardinales libere, cum decreto irritante » (2).

10. Si Pontifici Summo revera ius competit suum deligendi successorem, cur labentibus saeculis Romani Pontifices hac potestate usi minime fuerunt ne iis quidem temporum adiunctis in quibus peropportuna ac necessaria omnino fuisset successoris designatio ?

Historice sane constat occasione novi eligendi Pontificis non raro tumultus, factiones, dissidia aliaque incommoda habita fuisse, ita ut contigerit ad annum ac ultra quandoque differri electionem maximo cum Ecclesiae detrimento. In his aliisque adiunctis Pontifici morituro non modo ius, sed officium plane erat successorem designandi, ne Sedes Apostolica pastore suo viduata diu maneret. Quod si de eligendis successoribus Pontifices Summi non cogitarunt, id manifesto ostendit hanc potestatem nullo facto ipsis competere. Peculiari enim Spiritus Sancti adsistentia in Ecclesiae regimine fruuntur, ita ut, eo quodammodo divinitus afflante, quae in christifidelium bonum sunt agenda, agant, quaeque vitanda, vitent.

Qui tertiam profitentur sententiam, « nec scilicet negando simpliciter potestatem Papae eligendi successorem, nec absolute concedendo, sed firmantes quod tunc Pontifex legitima potestate a Praedecessoribus eligatur, cum Ecclesiae necessitas vel evidens id postulet utilitas », iisdem argumentis utuntur, quibus prior opinio probatur. Ast vero, subdunt, si huiusmodi electio in apertam iniustitiam vergeret, ut puta si Papa quasi ex testamento dignitatis

(1) Op. cit., vol. II., p. 142, n. 64; SEBASTIANELLI, op. cit., vol. I., p. 182.

(2) Cfr. *Cod. Angel.* to. VIII. 12; A. PAPI, *Breviarium historico-chronologico-criticum*, Antwerpiae 1748, f. VI. 450; PÉRIÈS., op. cit., 96; RAYNALD. *Annales Eccles.* ad ann. 1561. q. to. XV. p. 121; WEISS, *Papiers d'état du cardinal de Granvelle*, to. VI., p. 431.

suae haerodem institueret, vel si tamquam per viam ordinariam hunc modum eligendi successorem praescriberet, tunc prorsus dicendum est, extra Papae potestatem id esse, quia vergeret in perniciem et destructionem Ecclesiae. Porro Summi Pontificis potestas a Deo instituta est ad aedificandum, minime vero ad destruendum; ideoquè si successoris designatio fieret seclusa necessitate vel utilitate Ecclesiae, vergeret in destructionem animarum, et consequenter ipso facto nulla ac irrita foret.

Quarta tandem sententia iisdem fere rationibus innititur, quibus patrocinatores prioris ac tertiae utuntur. Verum successoris designationem semper validam esse putat, sive eam necessitas aut Ecclesiae utilitas postulet, sive non; nihilominus, deficiente necessitate aut utilitate, ultro concedit illicitam fore.

Quovis in casu validam esse electionem, haec argumenta probant:

1. Nullitas alicuius actus in tantum potest ac debet admitti, in quantum de eadem certo constet ex iuris dispositione. Iamvero ius ecclesiasticum minime decernit successoris designationem invalidam esse, deficiente necessitate aut utilitate Ecclesiae; quin imo, si haberetur haec clausula irritans, mitiori sensu esset procul dubio eadem intelligenda, quatenus legitimos in cathedra Petri successores nullo pacto attingeret, cum, sine ulla diminutione, tota ac universa Primatus auctoritas in successores sit transferenda.

Neque ius divinum aut naturale eiusmodi electionem invalidam decernit; nullum dubium proinde quin standum sit pro validitate.

2. R. Pontifex est interpres authenticus tum legis divinae quum legis naturalis; iamvero si successorem sibi constitueret, et haec electio invalida esset ex iure divino vel naturali, non modo neutrum authentice interpretaretur, sed potius impio ausu illud ipsemet violaret maximo cum animarum scandalo atque pontificiae auctoritatis detrimento. Quod absonum omnino videtur. Ideoque si contingat R. Pontificem successorem suum designare, eiusmodi designatio semper ac necessario valida est, ne dicere adigaris ipsum divini naturalisque iuris interpretem authenticum nequaquam esse.

3. Patrocinatores tertiae sententiae aiunt validam esse successoris electionem, si necessitas aut Ecclesia utilitas eamdem po-

stulet. Iamvero iudex supremus, infallibilis atque authenticus de iis quae Ecclesiae reapse necessitatem vel utilitatem respiciunt, unus Pontifex Romanus est, cuius iudicium universi christifideles amplecti tenentur. Quapropter si Papa sibimet successorem forte designet, a priori standum est pro huius validitate electionis; quin imo fidelibus ne in dubium quidem eiusdem validitatem citra scelus revocare licet, ne proprium iudicium suapte natura erroneum supremo ac infallibili Sedis Apostolicae iudicio perperam praeferre videantur.

4. Tertia admissa sententia, plurima eaque gravissima sequuntur incommoda. Sane: *a*) Singulis in casibus videndum foret de necessitate vel utilitate Ecclesiae; iudicium porro cuinam competeret? Episcopis vel Cardinalibus aut principibus vel ipsis fidelibus? *b*) Hinc factiones, tumultus, dissidia, nec non schismata facillime orirentur. *c*) Christifideles semper ancipites haererent num revera necessitas aut utilitas Ecclesiae adfuerit pro successoris designatione decernenda, et consequenter num Pontifex ita delectus sit legitimus Papa necne.

Si claritatis gratia scire velis quandonam utilitas aut necessitas haberi videatur, respondemus causas praecipuas quae validam ac licitam reddunt successoris electionem has similesve esse: *a*) si principes civiles, eveniente Sedis Apostolicae vacatione, impie sese immiscere velint in novi Pontificis electione; *b*) si iidem principes, aut populus vel presbyteri aliive electionem impedire praevideantur; *c*) si Pontifex praevideat quavis ex causa successoris electionem in longius distrahi, aut perturbari; *d*) si numerus Cardinalium valde sit exiguus, nec tempus aut ratio supersit alios creandi; *e*) si nullus e Cardinalibus viventibus Pontifici Summo aptus idoneusque videatur Ecclesiae opportune regendae.

Deficiente vero necessitate aut utilitate, seu una vel alia ex hisce similibusve causis, successoris designatio est quidem valida, sed *illicita*, iure hodierno saltem inspecto. Consulto dicimus *iure hodierno saltem inspecto,* id est attenta praxi longo saeculorum usu probata ac iamdiu praescripta designandi R. Pontificem per electionem, sede vacua, faciendam; attentis pluribus Constitutionibus quas sapientissime Pontifices edidere pro electione successoris moderanda; attento Sacro Cardinalium Collegio, cui peran-

itqua traditio atque constans usus lege canonica firmatus ius privative tribuit Pontificem Maximum deligendi.

Quod sit illicita successoris designatio praeter necessitatem aut utilitatem Ecclesiae, saltem iure hodierno inspecto, facile ostenditur:

1. R. Pontifex, etsi coactive sacris canonibus minime ligetur, *directive* tamen iisdem procul dubio devincitur, ita ut quavis deficiente iusta causa, eos citra culpam violare haudquaquam valeat. Id enim ipsa naturalis ratio de bono exemplo ceteris praestando manifesto suadet. Atqui si Papa sibimet successorem deligat, eo ipso contra plurimas Constitutiones Apostolica agit, et quidem, si nulla intercedat iusta causa, illicite id facit, quia directive legibus ecclesiasticis ipsemet ligatur.

2. Quod de lege scripta diximus, idem quoque dicendum de praxi seu usu aut consetudine in Ecclesia vigente, quam immutare vel abrogare fas minime est, nisi necessitas aut utilitas postulet.

3. Sacrum Cardinalium Collegium ius quaesitum habet R. Pontificem eligendi, ius, inquam, privativum ac exclusivum, quod inde a Nicolao II (an. 1059) et potissimum ab Alexandro III (an. 1179) ad haec usque tempora nostra inviolabiliter constanterque exercuit: ius, inquam, plurium saeculorum usu praescriptum atque RR. Pontificum Constitutionibus suprema auctoritate firmatum. Iamvero nemo potest citra culpam, ne a Papa quidem, iure quaesito privari, nisi causa iusta ac rationabilis pro rei gravitate occurrat. Igitur R. Pontifex, deficiente necessitate vel utilitate Ecclesiae, nequit Cardinales iure Papae eligendi privare, seu successorem ipsemet sibi constituere, quin illicite agat. In casu tamen non agitur de iure strictu sensu, at de privilegio. Quod naviter animadvertendum est. Secus enim, si ageretur de iure stricto, designatio successoris esset profectonulla ac irrita, causa iusta deficiente.

9. **Quaenam sententia amplectenda sit.** — Postrema sententia ceteris probabilior, imo certa videtur. In alio opere (1) candide fatemur negativam nos sententiam professos fuisse; at dein, maturiori consilio argumentis quibus unaquaeque innititur

---

(1) *Instit. Iuris publ. eccl.*, vol. I, p. 383.

opinio alacriorique studio perpensis, merito ab ea recedendum esse duximus.

Argumenta quod attinet secundae sententiae, ita paucis verbis responderi potest:

Ad 1um. R. Pontifex nequit statum Ecclesiae mutare, quatenus hoc nomine intelligatur constitutio organica eiusdem seu forma essentialis ab ipsomet Christo Domino instituta. Atqui successoris designatio eiusmodi statum Ecclesiae neve directe neve indirecte attingit; ideoque nil vetat quominus, iusta suadente causa, Papa immutare valeat.

Ad 2um. Designatio successoris, qua talis, vim iuridicam ipso facto acquirit, id est non post obitum Pontificis Summi, sed eo instanti, quo reapse a Pontifice adhuc vivente eligitur. Effectus tantum huius designationis nonnisi post mortem Pontificis habentur, quatenus, eo vita functo, illico designatus pontificiam auctoritatem exercendam assequitur; quemadmodum contingit generatim de quavis electione cum iure successionis.

Ad 3um. Exemplum viri ac mulieris minime facit ad rem. Alia enim iuridice loquendo est relatio quae inter Summum Pontificem habetur ac Ecclesiam Christi, et alia quae inter virum ac mulierem vi coniugii adest, ut liquido patet ex diversa plane natura tum iurium quum officiorum. Sane mulier, ut exemplo a Fagnano aliisque canonistis proposito insistamus, post obitum mariti soluta seu libera omnino manet, quin necessario alii viro copulari teneatur; contra Ecclesia, uno viduata Pastore, alium statim habere debet.

Ad 4um. *a*) Si argumentum valeret, quaevis electio cum successionis iure reprobanda a priori esset. *b*) Cum Papa sibi eligit successorem, hic non fit eo ipso Pontifex actu, sed virtute dumtaxat: ideoque non habentur duo Papae, cum alter actu sit, alter in virtute tantum. Iamvero duo Pontifices uno eodemque tempore haberi quidem non possunt; nil autem prohibet quominus duo simul habeantur, quorum alter sit Pontifex in actu, alter in virtute solummodo, nam hic postremus nec est nec dici potest Pontifex, cum nulla, alio vivente, fruatur potestate.

Ad 5um. *a*) Textus allegati respiciunt potius episcopos quam Romanos Pontifices; ideoque ad rem minime faciunt. *b*) Praeterea neminem latet, Papam supra ius canonicum esse, non infra; ex

quo fit ut ipse pro lubitu valeat leges immutare, corrigere, abrogare aut iisdem derogare.

Ad 6um. *a*) Quae in veteri Testamento vigebant, nonnisi mutatis mutandis ad legem evangelicam referri possunt. Verba sane Anacleti hoc sensu sunt intelligenda, quatenus scilicet ipsemet Deus directe ac immediate auctoritatem Summis Sacerdotibus confert, nullo medio interveniente.

b) Etsi R. Pontifex successorem designet, nequaquam sequitur supremam Ecclesiae potestatem haereditariam esse. Etenim per designationis actum, iura Primatus ad successoris personam nullo pacto transferuntur. Iamvero ad conceptum successionis haereditariae absolute requiritur quod testator sua iura in haeredes reapse transferat. Praeterea animadvertendum est, in tantum potestatem Ecclesiae, et merito quidem, non haereditariam nuncupari, in quantum successio ab intestato, vel testamentaria respicit semper res quae de facto sunt in dominio defuncti ac de quibus ipse pleno iure disponere valet. Atqui suprema potestas non est in dominio Romani Pontificis, neque de eadem ipsi disponere licet testatoris instar.

c) Verba Christi « *Pasce agnos... pasce oves* » plenam potestatem respiciunt in iis omnibus quae vel directe vel indirecte regimen Ecclesiae ac animarum salutem attingunt. Iamvero electio successoris regimen Ecclesiae profecto attingit. Ergo.

d) Si Pontifices sibi successores eligerent nepotes et consanguineos - dato et non concesso – electio illicita esset dicenda, minime vero invalida.

Ad 7um. R. Pontifex suprema pollet auctoritate pro Ecclesia regenda donec ipse Pontifex est. Id tamen nullo pacto impedit quominus actus, qui ponuntur a Papa vivente, effectum sortiantur post eiusdem mortem aut, eo defuncto, in suo robore perseverent. Ita v. gr. si Pontifex antistitem cum iure successionis nominet, eveniente vacatione ecclesiae cathedralis, episcopus fit legitimus pastor dioeceseos plenamque ipso facto iurisdictionem acquirit, etsi fortasse Papa diem supremum obierit; item si Pontifex legem, ut quotidie contingit, condat, nullum dubium quin, ipso quoque vita functo, vim obligandi pergat habere. Haec casui nostro applicentur.

Ad 8um. Hilarus Papa, qui die 12 nov. 461 electus fuit ac

diem supremum obiit idib. sept. 467, nullum Concilium Romae coegit anno 461, ut immerito patrocinatores oppositae sententiae asserunt (1).

Concilium Romanum sub Hilaro celebratum fuit anno 465, testibus Mansi (2), Jaffé (3), Rohrbacher (4), Labbé (5).

Quo in Concilio (an. 465) Hilarus prohibet quominus episcopi per successionem suos episcopatus ad alios transmittant, utpote si de *mortali* et *caduca* re agatur; at ne verbum quidem occurrit de Supremo Pontificatu. Res proinde sunt toto coelo diversae, et valde miramur quod praeclarissimi auctores, prout Cavagnis, Sebastianelli aliique huic diversitati nullatenus attenderint. En sane ipsamet verba Hilari: « Denique nonnulli episcopatum, qui nonnisi meritis praecedentibus datur, non divinum munus, sed haereditarium putant esse compendium, et credunt, sicut res caducas et mortales, ita sacerdotium velut legali aut testamentario iure, posse dimitti. Nam plerique sacerdotes in mortis confinio constituti, in locum suum feruntur alios designatis nominibus subrogare; at scilicet non legitima expectetur electio sed defuncti gratificatio pro populi habeatur assensu » (6).

Ad 9um. *a*) Declaratio quae edita dicitur a Pio IV in Consistorio an. 1561, non est formalis definitio. *b*) Potiusquam iuris principia, haec declaratio practicam respicit agendi rationem ex parte Summorum Pontificum, seu est mere praeceptum disciplinare, quod successores in cathedra Petri ligare haudquaquam valet. *c*) In specie vero animadvertimus, eiusmodi declarationem publici iuris minime factam fuisse; ideoque nullius esse valoris. *d*) Quin imo plures auctores, de re historica atque canonica optime meriti, spuriam esse praedictam declarationem indubie affirmant; quod et nos, re diligentissime considerata, incunctanter censemus. *e*) Admissa quoque eiusdem authenticitate, factum Felicis IV Boni-

---

(1) Cfr. CAVAGNIS, l. c.; SEBASTIANELLI, l. c.

(2) Op. cit., VII, 959.

(3) *Regesta Romanorum Pontificum*, vol. I, p. 76, Lipsiae, 1881.

(4) Op. cit., vol. IV, p. 475, ed. cit.

(5) *Conciliorum generalium historica Synopsis*, p. 51, Lutetiae Parisiorum 1661; *Sacrosancta Concilia*, to. IV, col. 1060, Lutetiae Parisiorum, 1671.

(6) Cfr. MANSI, l. c., LABBÉ, op. cit., vol. IV, col. 1061 et 1062.

facium Archidiaconum sibi successorem eligentis necessario ac absolute postulat, ut sensu exposito ipsa intelligatur, nimirum tamquam disciplinare praeceptum, opportunitatis dumtaxat gratia editum.

Ad 10um. *a*) Historice plane constat Felicem IV suum designasse successorem. Recolere faveas quae superius dicta fuere. *b*) Quaedam habentur iura quibus Romani Pontifices saeculis elapsis aut numquam aut fere numquam usi sunt: v. gr. sanatio matrimonii in radice, dissolutio vinculi matrimonialis quoad infideles quorum alter catholicam fidem professus sit, dispensatio a lege coelibatus quoad presbyteros et religiosos solemniter professos, etc. Quibus aliisve ex pluribus exemplis manifesto patet, ex non usu aut perquam raro eruendum minime esse ipsius iuris defectum. Sententia igitur probabilior imo plane certa censet R. Pontifices de rigore iuris posse sibimet successorem designare.

ARTICULUS XII.

Num R. Pontifex valeat coadiutorem sibi eligere.

Bibliographia: Barbosa, l. c.; Ciaconius-Cabrera-Victorellus, *Vitae et res gestae Pontificum Romanorum et S. R. E. Cardinalium*, Romae, 1630; Baron., l. c.; Caietanus, op. cit. cap. XXII; Suarez, l. c.; Petra, *Comm. in Constit. 5, Clementis VI*, to. IV; Gonzales, l. c.; Werns, l. c., 567, s.; A. Pagi, *Breviarium historico-chronologico-criticum*, Antwerpiae, 1748. f. VI, 450; Raynald, *Annales eccles., ad an. 1561*, 9, edit. 1756, to. XV, p. 121; H. Laemmer, *Meletematum Romanorum Mantissa*, Ratisbonae, 1875, p. 213; Roccaberti, op. cit. to. XX, p. 428; Panvinius, *Epitomae Pontificum Romanorum*, Venetiis, 1552; Platina, *De vitis RR. Pontificum*, Venetiis, 1562.

L. Lector, *L'élection papale*, p. 329; Many, in *Revue de l'Institut catholique de Paris*, 1901, p. 159; *Mémoires de Granvelle*, VII, p. 187 ss.; Périès, op. cit. p. 95 ss.

M. K. Holder, l. c.; M. Hollweck, *Kann der Papst einen Nachfolger bestimmen? Archiv für k. Kirchenrecht*, 1894, LXXIV, 391; Sägmuller, *Designations des Nachfolgers durch den Papst. Archiv.*, 1896, p. 417.

Summarium: 1. Status quaestionis. — 2. Quaedam facta historica. — 3. Declaratio Pii IV. — 4. Doctrina amplectenda.

1. **Status quaestionis.** — Duplici sensu, ut aperto constat, proposita quaestio intelligi potest: num scilicet Antistes Romanus sibi eligere valeat coadiutorem cum iure successionis, vel num saltem sine dicto iure eumdem deputare possit.

Prima quaestio, mutatis mutandis, in eam resolvitur quam fuse pertractandam curavimus in praecedenti articulo.

Item altera propositionis pars, duplici modo enunciari valet. Quaeri potest an Pontifici maximo ita sibi eligere liceat coadiutorem, ut supremam ei tribuat in Ecclesiam iurisdictionem, sicque duo veluti Papae in Christi Ecclesia habeantur, cum Primatus potestas aequaliter competere censeatur Pontifici et coadiutori; vel saltem illum in partem suae sollicitudinis advocare, quatenus supremi in terris pastoris – cui omnium ecclesiarum regimen totiusque dominici gregis cura est concredita – immensos labores sublevet, in quo uno, Deo auctore, plenitudo residet potestatis.

2. **Quaedam facta historica.** — Linus et Cletus passim *coadiutores* divi Petri in veteris historiae monumentis vocantur.

Sane Ciaconius (1) docet Petrum Linum ordinasse « *coadiutorem* Episcopum una cum Cleto, qui simul loco ipsius Petri absentis, ecclesiasticas functiones et munia episcopalia obirent, et Linus quidem intra Urbem, Cletus autem extra in suburbiis vicariam interim gererent potestatem ».

Idipsum testatur Panvinius (2), Platina (3), aliique plures.

Bonifacius II sibi coadiutorem cum iure successionis designavit Vigilium diaconum in Basilica S. Petri, clero populoque ibi adstante; quam eletionem postea revocavit (4).

Consistorium an. 1565 quod attinet, haec habentur in quodam documento (5): « Deinde dixit Pius IV, quando iam ipsius aetas ad occasum vergeret, haud a sua alienum videri cogitare etiam, quae post mortem (futura essent). Itaque scire se, inter pontificii iuris interpretes quaestionem esse... *an creari liceret coadiutorem cum futura successione;* et quamvis communis doctorum opinio sit Pontificem id facere non posse, nonnullos tamen, et inter hos Decium censere id fieri posse, saltem de potestate

---

(1) *Vitae et res gestae Pontificum Romanorum et S. R. E. Cardinalium.* Romae, 1630, p. 37.

(2) *Epitome Pontificum Romanorum.* Venetiis, 1552, p. 2.

(3) *De vitis Romanorum Pontificum.* Venetiis, 1562, p. 12, annot.

(4) Recole quae fuse hac de re tradidimus, p. 198 ss. h. v.

(5) *Cod. vat. Cat.* 7061, f. 241 s.

absoluta... Quorum opinionem licet ipse ut falsam omnino negligendam duceret, tamen utile sibi videri quaestionem hanc solvere et declarare, et quatenus opus sit de novo statuere Pontificem Romanum, etiam de consensu omnium de collegio, non posse sibi eligere successorem nec *coadiutorem cum futura successione* propterea quod, si quando tam perditae mentis Pontifex inveniretur, ut huiusmodi facinus aggredi auderet, facile quo iure quave iniuria collegii consensum obtineret, quod huiusmodi Pontifice vivo liberum dici non posset Pontifice mortuo tum demum electionem vere liberam dici posse. Nam eo vivente collegium facile aut praemio, aut spe, aut metu, aut adulatione, in pontificis sententiam adduci, atque ita, per summam iniuriam pontificatum haereditarium evadere posse, atque hinc schisma aliquod oriri.

« Neque enim verisimile esse Pontifices tanto sceleri assensuros... Cardinales... maximas ei gratias egerunt, quod collegii libertatem tantopere procuraret. Caeterum, quod ad decretum attinet... minime id necessarium existimabant... Summus Pontifex... addidit fore decretum non inutile; itaque declaratum Pontificem non posse eligere successorem vel *coadiutorem cum futura* successione; et quatenus opus sit, denuo decreturum.

« Ne decretum abrogetur haud facile caveri posse, propterea quod ab eiusmodi Pontifice Cardinales ne cogi possent legibus. Tamen, addi Pontificibus verecundiam, et cardinalibus, ad resistendum, audaciam. Itaque cardinales ad bullam conficiendam deputaturum ».

Bullam vero neve publici iuris factam fuisse constat neve a Cardinalibus confectam, cùm nullum supersit reipsa vestigium nullaque mentio de eadem occurrat penes rerum historicarum veteres scriptores.

Nulla dein, historia teste, electio coadiutoris habita fuit, quidquid in contrarium effutiat recens quidam auctor gallus.

3. **Declaratio Pii IV.** — Nonnulli auctores docent Pium IV tum in consistorio mense nov. 1561 habito, quum in alio mensis maii 1565 solemniter declarasse R. Pontifici ius haud competere coadiutorem sibi designandi.

H. Laemmer sic refert: « Die 19 novembris 1561, sanctissimus... decrevit et declaravit quod Romanus Pontifex non pos-

sit sibi... assumere coadiutorem cum futura successione, etiam de consensu omnium et singulorum Cardinalium » (1).

Raynaldus item habet: « Declaravit et decrevit (Pius IV) quod Romanus Pontifex non possit sibi... assumere coadiutorem cum futura successione » (2).

4. **Doctrina amplectenda.** — R. Pontifex nequit sibi coadiutorem eligere, cui supremam ac universam conferat in Ecclesiam iurisdictionem, ita ut primatialis ipsamet potestas utrique, Papae scilicet et coadiutori, aequaliter inesse videatur. Sane Primatus iura ex positiva Christi voluntate uni Pontifici maximo, seu legitimo divi Petri successori competunt; eaque plane *personalia* sunt, docente S. Thoma (3), utpote quae sic personae Vicarii Christi adhaerent ut ab eodem nec imminui, nec ampliari, neque cedi ullo pacto queant.

E contra Antistiti Romano fas est coadiutorem in partem dominicae sollicitudinis advocare eique potestatem, etsi amplissimam, tribuere, nedum in unam aliamve dioecesim aut in quoddam causarum genus, verum etiam in universam Ecclesiam et quoad omnia negotiorum genera, modo tamen dependenter a Papa et veluti mere delegatus coadiutor agat.

Iura siquidem Primatus, lege divina iubente, sarta tecta sint oportet.

Porro id quotidie locum habet. Cardinales enim S. R. E. sunt consiliarii Papae eiusque supremum Senatum constituunt; scripto, voce et consilio perutilem praestant operam in negotiis ecclesiasticis agendis, quae singulis diebus ad Apostolicam Sedem deferuntur. Egregie Leo XIII haec tradit: « Christianae reipublicae tam late tamque operosa administratio omnino postulabat, ut Pontifici Romano viri sapientes et graves perpetuo assiderent, quibuscum et consilia communicare et quotidiano negotiorum molem partiri opportune posset. Hinc ea sunt S. R. E. Cardinalium Consilia sapientissime constituta, quae *Romanae Congregationes* nuncupantur; quorum est quibusdam in causis ius dicere, de iure respondere, aliaque complura decernere, transigere, quae transigi decernique eorum auctoritate lex et consuetudo iubet ».

(1) *Meletematum Romanorum Mantissa.* Ratisbonae 1875, p. 213.
(2) *Annales eccles. ad annum 1561*, edit. an. 1756, to. XV, p. 121.
(3) *Summ. theol.* 2-2, q. 65, a. 5.

Hoc profecto sensu accipienda est electio Lini et Cleti coadiutorum per divum Petrum factam, ut ex verbis supra relatis aperto liquet (1).

Designationem quod attinet coadiutoris cum iure successionis. recolere faveas, benigne lector, quae fuse alibi exposuimus (2).

Sententia admissa quae contendit Pontifici Romano successorem sibimet designandi competere, ius prono alveo sequitur eam quoque auctorum doctrinam esse amplectendam quae censet Pontifici fas esse coadiutorem cum futura, ut aiunt, successione designare.

Eadem profecto occurrit ratio.

Nihil addendum superest quoad Pii IV declarationem, tum quia haud satis historice de eadem constat, tum quia mentem nostram hac de re iam pandidimus. argumentis utrinque allatis mature perpensis (3).

CAPUT II.

Quaestio historica

ARTICULUS I.

De variis epochis electionem Summi Pontificis respicientibus.

Bibliographia: Azorius, op. cit., II, IV, c. 2; Barbosa, l. c.; Baronius, ad an. 847, n. 9 ss., Barthel, *Opuscula iuridica*, III, p. 15; Bellarminus, l. c.; Bonacina, op. cit. p. 18 ss.; Bouix, *De Curia Romana*, p. 125; Cavagnis, l. c.: Ciaconius - Cabrera - Victorellus. op. cit., I, p. 145 ss ; Fagnanus, in c. *Accepimus, de pactis*, lib. I Decret.; Gonzales, in c. cit.; Marangoni, *De electione Summ. Pontif.* (*Anal. eccl. V*, a. 1897, p. 495 ss.): Panvinius, op. cit. p. 45 ss.; Petra, *in Const. 5 Clementis VI*, to. IV, n. 36, ss.: Passerini. op. cit., p. 17 ss.; Platina, op. cit., p. 70;

---

(1) Cfr. Platina, l. c.
(2) Cfr. pag. 187 ss. h. v.
(3) Cfr. pag. 223 s. h. v.

SUAREZ, *De fide, disp. X, sect. IV,* n. 5 ss.; THOMASSINUS, op. cit., p. II, I, 2 c. 9; WERNZ, l. c., n. 567.

L. LECTOR, *Le conclave,* p. 18 ss.; eiusdem auctoris, *L'élection papale* p. 8 ss.; DERS, *L'élection papale,* p. 14 ss.; DUCHESNE, *Lib. Pontif.,* I, 354. 363; *Le Liber diurnus et les élections pontificales au* VIIe *siecle (Bibl. de l'Eccle d. chartes,* LII, 1891, - ss.).

HINSCHIUS, K R., I, 217; M. HEIMBUCHER, *Die Papstwahlen unt. d. Karolingern,* 1889; H. DOPFFEL, *Kaisertum u. Papstwahl unt. d. Karolingern,* 1889; K. LAMPRECHT, *Die röm. Frage v. König Pipin b. auf Kaiser Ludwig d. Fr.,* 1889; O. LORENZ, *Papstwahl. u. Kaisertum,* 1874; FUNK. *Kgschte,* 130, 166; G. SCHNÜRER, *Die polit. Stellung d. Papsttums z. Zeit Theod. d. Gr.* (*Hist. Jb. IX,* 1888, 255 ff.); W. SICKEL, *Die Verträge d. Päpste mit d. Karolingern u. d. neue Kaisertum* (D. Z. f. Gwschft XI, 1894, 301 ff.); L. GAUGUSCH, *Das Rechtsinstitut d. Papstwahl,* 1905; SÄGMÜLLER, *Die Ernennung d. Nachfolgers durch d. Päpste Ende d. 5. u. Anfang d. 6. Jhdts* (*Th. Qsch. LXXXV, 1903,* 91 ff.); H. J. WURM, *Die Papstwahl Ihre Gesch. u. Gebräuche,* 1902.

Summarium: 1. Epocha I — 2. Epocha II — 3. Epocha III — 4. Epocha IV — 5. Epocha V — 6. Epocha VI — 7. Epocha VII — 8. Epocha VIII.

1. Epocha I. — Ab exordiis Ecclesiae ad quartum usque saeculum haec epocha decurrit, quo tempore electio Pontificis cleri populique assensu fiebat, aliorum instar episcoporum, quovis principum excluso interventu.

Vetera monumenta id aperto testantur. Porro cleri ac populi interventus in Antistite Summo eligendo facile explicatur. Nam prioribus Ecclesiae saeculis Cardinales vere proprieque nulli aderant qui, vacatione Apostolicae Sedis occurrente, novum deligerent Papam. Quia vero Christus formam electionis hanc quaquam determinavit, nec peculiaris a divo Petro eiusque successoribus modus invectus fuit, ideo suapte rerum natura clerus ac populus intervenire debuit, ut bonum ferret testimonium tum de candidati vita tum de eiusdem doctrina seu scientia divini humanique iuris pro supremo in Ecclesia munere obeundo.

Exinde patet diversa profecto ratione clerum et populum in Pontificis electione saltem initio intervenisse. Siquidem clerus suffragia ferebat; populus autem nonnisi testimonium praestabat de eligendi sanctitate ac doctrina. Num vero paulatim ius revera acquisierit suffragium seu assensum, cleri instar, praestandi, his adhuc sub iudice pendet; de qua nobis infra erit disserendum.

Ne dicas vero opus fuisse interventu quorumdam clericorum dumtaxat, non autem totius Urbis cleri; nam officia clericalia haud erant tunc satis distincta quoad iurisdictionem ac dignitatem, ita ut nulla certa determinataque regula assignari poterat pro hoc illove clerico excludendo a comitiis pontificiis.

Neve adiicias populi concursum necessarium aut utilem minime fuisse cum praesto esset clericorum interventus. Pontificem enim oportebat optima fama penes populum praefulgere, ut benevolentiam sibimet et auctoritatem vindicare valeret. Iamvero prioribus Ecclesiae saeculis, historia teste, bonum de candidato testimonium, aliis mediis deficientibus, non aliunde desumi poterat quam ex populi voce.

2. **Epocha II.** — A quarto ad septimum usque saeculum dicta epocha pertingit.

Cum tumultus atque discordiae orirentur Pontificis Summi eligendi occasione, imperatores romani ac postea reges germanici opportunitatem nacti sunt sese in electionis negotium immiscendi.

Memoria dignae equidem sunt postulationes Odoacris post obitum Simplicii Papae an. 483 publicatae: de quibus alibi loquemur.

Hanc ob rem Symmachus in romana Synodo an. 499 schismatis vitandi gratia, novas de R. Pontificis electione leges condidit; et in Synodo item romana an. 502 reprobatum fuit decretum postulationes Odoacris referens.

Hoc tempore neve approbatio neve confirmatio stricte sumpta ex parte imperatorum aut regum germanicorum habita fuit in R. Pontificis electione, sed quidam interventus *consultationis* instar, quatenus princeps certior fieri debebat de comitiis pontificiis ac de novo Papa designato, quin eiusdem tamen consensus reipsa necessarius esset. Id manifesto liquet ex mandato Simplicii Papae referente postulationes Odoacris, quo vetatur ne electio celebretur *absque regis consultatione* (1).

3. **Epocha III.** — Gothis per Narsem pulsis ac ita imperii orientalis dominatione a Iustiniano in Italia restaurata, imperatores sibi ius vindicarunt tum electionem R. Pontificis approbandi tum tributum quoddam exigendi pro hac confirmatione.

---

(1) Cfr. c. 1. D. 96.

Hinc novus inolevit mos in comiitis pontificiis. Nam electio Papae a clero et populo, ut antea, quidem fiebat; verum electus ordinari et consecrari haud poterat, nisi post litteras patentes ab imperatore acceptas, quibus, certa pecuniae summa persoluta, licentia pro ordinatione et consecratione libere facienda tribuebatur; dein remissum fuisse tributum constat (1).

Dictus eligendi mos quam plurimis obnoxius fuit vicissitudinibus; lex ipsamet de imperiali confirmatione prius abrogata a Constantino IV (an. 684), deinde iterum a Iustiniano II (an. 688?) in vigorem fuit revocata.

Cum autem imperatores, Costantinopoli commorantes, suos Ravennae vicarios, quos exarchas dixerunt, constituissent utpote in partem sollicitudinis imperialis advocatos, inter cetera dignitatis privilegia Pontificis quoque Romani approbandi auctoritatem eis contulere, ut legitur de Severino, qui ab Isacio, ravennatensi exarcha, imperatoris nomine Papa confirmatus fuit (2).

Haec epocha, dictam agendi rationem respiciens, usque ad Leonem Isauricum (an. 717) perduravit.

4. **Epocha IV.** — Cum Leo Isauricus in haeresim incidisset, Romani Pontifices diplomaticas relationes cum byzantino imperio illico abrumpendas merito censuerunt. Ex quo factum est ut, nova eveniente Papae electione, confirmatio imperatoris nequaquam postularetur. Plurimas ob causas imperatores graeci res italas negligere coeperunt. Populus autem romanus, a byzantino imperio quodammodo divulsus, nedum in ecclesiasticis negotiis, verum etiam in temporalibus, suo nutu suaque sponte Pontifici obsecutus est.

---

(1) Dubitandum non est quin canonice valida omnino fuerit electio R. Pontificis, absque consensu seu confirmatione imperatoris facta, etsi quidam auctores oscitanter hac de re loqui videantur.

Sane Suarez (*De fide, disp. X, sect. IV, n. 9*) mentem suam sic pandit: « Postea vero etiam consensus imperatorum coepit expectari, *ita ut non censeretur omnino firma electio, donec imperator assentiret* ».

Item Platina (op. cit., p. 70): « Vana tunc habebatur cleri ac populi electio, nisi id imperatores aut eorum exarchi confirmassent ».

Hinschius (l. c., p. 224) acriter contendit invalidam plane fuisse sine approbatione imperatoris Antistitis Romani electionem.

Id nonnisi ludendi gratia - pace dixerimus auctorum - adfirmari potest.

(2) Cfr. Platina, op. cit., p. 70.

Exinde historica origo civilis principatus; nam, provide ita disponente Deo, Romani Pontifices territorium quoddam independens sunt assecuti ac temporalem ideo auctoritatem nacti.

Rebus sic stantibus, electio Antistitum RR. independenter omnino a quovis regali interventu perficiebatur. Quin imo Stephanus III soli clero, laicis quibuscumque penitus exclusis, formalem electionem reservandam duxit (1). Sane in Concilio romano an. 769, novis editis legibus de Romani Pontificis electione, decrevit eamdem in posterum clericis dumtaxat competere.

Ita res se habuerunt ad Carolum usque Magnum (an. 800).

5. **Epocha V.** Saeculo nono imperio romano in persona Caroli Magni eiusque successoribus instaurato, peculiares habitae sunt relationes Pontifices Summos inter et Francorum reges. Exinde mos invaluit notificandi imperatori electionem novi Pontificis statim post consecrationem, ut eruitur ex decreto Ludovici, quo statuitur licere Romanis eum « quem divina inspiratione et beati Petri intercessione... uno consilio atque una concordia sine aliqua promissione ad pontificatus ordinem elegerint, sine aliqua ambiguitate atque contradictionem ore canonico consecrare. *Et dum consecratus fuerit,* legati ad nos vel ad nostros successores reges francorum dirigantur » (2).

Aliquando ante consecrationem electio notificari consuevit imperatori. Huius vero notificationis vis non alia profecto fuit, quam ut regia auctoritate tumultus sedarentur ac factionum audacia tempestive coerceretur, sicque electus summum pontificatum adipisci valeret. Id manifesto eruitur ex c. 10 Concilii romani an. 898 habiti.

Eiusmodi agendi ratio usque ad Othonem I duravit.

6. **Epocha VI.** — Otho I, imperator renuntiatus anno 962, contra canones et morem maiorum inauditam sibi vindicavit potestatem quoad R. Pontificis electionem; eiusque exemplum successores secuti sunt usque ad Henricum IV, qui diem supremum obiit an. 1106. Hoc tempore adeo excrevit imperatorum audacia ut ipsimet Antistites maximos directe vel indirecte nominarent. Quonam Ecclesiae detrimento id actum fuerit, nemo est profecto

(1) Cfr. c. 4, 5, 6. D. 79.
(2) Cfr. c. 29. D. 63.

qui ignoret, cum libertas ecclesiastica in Papa deligendo plus minusve violata plane fuerit.

7. **Epoca VII.** — Nicolaus II in Concilio romano an. 1059 novum decretum edidit de R. Pontificis electione, quo partem principalem electionis reservavit Cardinalibus episcopis, ita tamen ut aliorum quoque Cardinalium accederet consensus nec non suffragium inferioris cleri populique romani simulque salvum tectum maneret quoddam imperatoris privilegium (1).

Acriter olim disputatum fuit inter auctores num authenticum esset decretum Nicolai II vel potius spurium et commentitium. Hinc inde plurima allata sunt argumenta et quam plurimae ortae disceptationes. Porro hodie, re mature ab eruditis discussa, authenticum esse decretum compertissimum est.

Usque ad initium saeculi XII dictam electionis formam durasse constat.

8. **Epoca VIII.** — Plures equidem auctores, v. gr. Bouix (2), Card. Petra (3) aliique, haud satis attendentes, autumant electionis formam a Nicolao II statutam perdurasse re ipsa usque ad Alexandrum III et nonnisi ab eodem immutatam fuisse. At falso profecto. Nam inde ab initio saeculi XII haec consuetudo invaluit, ut scilicet in Papa eligendo quivis excluderetur imperatoris et clerici inferioris ac laicorum interventus, atque Cardinalibus dumtaxat sine ullo discrimine ordinum electio reservaretur.

Alexander III vero in Concilio Lateranensi III (an. 1179) morem paulatim receptum tacite saltem ratum habuit et confirmavit, decernens ad valorem electionis Antistitis Romani duas tertias partes praesentium Cardinalium requiri et sufficere, imperatore et inferiori clero ac populo excluso.

Quam electionis formam ad nostra usque tempora durasse cuique satis compertum est.

Constituto ac perbelle sacro ordinato Collegio Cardinalium, quippe qui senatum Pontificis R. constituunt, iure meritoque ipsis exclusive ac privative ius eligendi reservatum fuit. Quod fausto

---

(1) Cfr. c. 1. D. 23.

(2) *De Curia romana*, pag. 125.

(3) In Const. 5 CLEMENTIS VI, n. 38, to. IV.

profecto numine factum fuisse, nemo est qui haud videat; nam ex una parte, populo ac principe excluso, Summorum Pontificum electio libera ac independens facta est; ex alia vero parte, electione Cardinalibus dumtaxat reservata, regula certa et constans statuta fuit in Romano Pontifice deligendo maxima cum Ecclesiae populique christiani utilitate, nam populares factiones et imperiales violentiae per tot saecula grassantes a pontificiis electionibus deinceps fuerunt repulsae.

ARTICULUS II.

Num ius eligendi RR. Pontifices principibus olim concessum fuerit.

Bibliographia: Albanus, *De Cardinalatu,* quaest. 15; Antoninus, *Chron.,* part. II, tit. 16, cap. I; Azorius, op. cit. part. II, lib. 4, cap. 2, quaest. 2; Bonacina, l. c.; Barbosa, *Ius eccl.,* lib. I, cap. I, n. 54; Baronius, *Annales eccl.,* ad an. 774; Bellarminus, *De Summo Pontifice,* lib. II, cap. 29; Bozenius, *De statu Italiae,* lib. III, cap. ult.; Fagnanus, l. c.; Gonzales, l. c.; Lavorius. *Variar. lucubrat.,* to. I, cap. 4, tit. 4. n. 23 ss.; Navarrus, *in rubr. de iud.,* n. 69; Natalis Alexander, *Hist.* etc. dissert. 8, art. 5; Pasquierius, *Disquisit.,* lib. III, cap. 35; Pighius, *Hier. eccl.,* lib. V, cap. 13; Panvinius, l. c.; Platina, op. cit., p. 45 s.; Passerini, op. cit., p. 14; Pignatelli, op. cit., to. IX, *consult.* LXVII; Jaffé, *Regesta Roman. Pontif.,* I, p. 526; Labbe, op. cit., IX, p. 643; Lambertus, ad an. 962; Luitprandus. op. cit. lib. VI, cap. 6; Morinus. *Hist. pro Rom. Pontif. temporali potestate,* p. 40 ss.; Gretherus, *Apolog. pro Cardinali Baronio,* cap. 1; Card. Petra, *Comm. in Const. 5 Clementis VI,* n. 25 ss.; Ruffus, *Pontif. Max.,* I, n. 39; Suarez, *De fidei defens.,* lib. III, cap. 29, n. 7; Pagius, op. cit., ad an. 897; Mansi, op. cit., XVI, p. 142 ss.; Godislaus Villadiego, *De origine et potestate Cardinalium,* quaest. 5, n. 16 ss.; Thomassinus, op. cit., part. II, I, cap. 20; Cranzius, *Saxon.,* lib. IV, cap. 9 ss.; Marca, *De concordia,* lib. VIII, cap. 12 ss.; Goldastus, *Constitutionum imperialium,* to. I, p. 29 ss.; Pertz, *Monumenta Germaniae historica,* to. III, append. p. 167; Petrus Damianus, *Discept. synodalis,* III, 27 apud Migne 145, p. 71; eiusdem auctoris, lib. I, epist. XX; Walden, *De dignitate regis Hispaniae,* cap. 20, n. 26, Wernz, l. c.; Hemmerich, *De iure Aug. Imp. circa const. Eccl. caput,* Iene 1740.

L. Lector, *Le conclave,* p. 37; eiusdem auctoris, *L'élection papale,* p. 8 ss.; Ders, l. c.

E. Fischer, *Der Patriziat Heinrich's III und Heinrich's IV,* Tubingen 1908 (H. L.); Hinschius, l. c.; K. A. Fetzer, *Voruntersuchungen zu einer Geschichte des Pontif. Alexander II,* Strassburg, 1887; W. Sickel, *Die Verträge d. Päpste mit d. Karolingern u. d. neue Kaisertum* (D. Z. f. Gws-

chft XI. 1894. 301 ff.); A. HAUCK, *Kirgengeschich'e Deutschlands*, III, 1906; O. LORENZ, *Papstwahl u. Kaisertum*, 1874; GIESEBRECHT, *Kaisergesch*, to. II, p. 390 ss.; L. GAUGUSCH, *Das Rechtsinstitut d. Papstwahl*, 1905; W. MARTENS, *Die Besetzung des päpstl. Stuhles*, 1887; L. D. HEINEMANN, *Patriciat der deutschen Könige*, Halle, 1888; WILL, *Anfänge der Restauration der Kirche*, 1888; DÖNNIGES, *Ranké's Iahrb. des deutschen Reichs*, Bd. I. Abthl. 3, S. 102; M. HEIMBUCHER, *Die Papstwahlen unt. d. Karolingern*, 1889; HEFELE, *Conciliengeschichte*, 1855-1876; SÄGMÜLLER, l. c.

Summarium: 1. Decretum Odoacris — 2. Concessio ab Adriano I Carolo M. facta — 3. Constitutio Stephani IV — 4. Decretum Eugenii II — 5. Concessio Leonis IV — 6. Decretum Ioannis IX — 7. Concessio Ioannis X — 8. Diploma Othonis imperatoris — 9. Privilegium a Leone VIII Othoni I tributum — 10. Diploma Henrici imperatoris — 11. Concessio a Clemente II in favorem Henrici III facta.

1. **Decretum Odoacris.** — Basilius patricius, qui vices gerebat Odoacris regis, quandam constitutionem seu prohibitionem obtinuerat, ne scilicet absque principis *consultatione* fieret Romani Pontificis electio. Hae Odoacris postulationes nonnisi post mortem Simplicii papae (an. 483) publicatae fuerunt et ex ipsius Simplicii mandato derivatae (1). Idcirco ab historicis, etsi minus proprie, *mandatum Simplicii papae* passim nuncupari solent.

In Synodo romana a Symmacho celebrata anno 502 (2) sic referuntur Odoacris postulationes:

« Inter alia scripturam quamdam illustris memoriae Basilium quasi pro ecclesiasticae amore substantiae conscripsisse refero, in qua nullus romanae Ecclesiae interfuit, vel subscripsit antistes, per quem potuisset firmitatem legitimam sortiri. Ne ergo inde disputem, unde potest vestrum iudicare concilium, requiratur et referatur in medium, ut ex lectione cognoscatis cuiusmodi possit habere substantiam. Sancta Synodus respondit: deferatur in medium ut cuiusmodi sit, possit agnosci. Hoc cum diceret Hormisda diaconus recitavit; cum in mausoleo, quod est apud beatum Paulum Apostolum resideret sublimis et eminentissimus praefectus atque patricius, agens etiam vices praecellentissimi Odoacris, Basilius dixit: quod quam studii vestri et religionis intersit ut in episcopatus electione concordia principa-

(1) Cfr. WERNZ, l. c. n. 571.
(2) Cfr. c. 1 D. 96.

liter servetur Ecclesiae, ne tamen per electionis occasionem status civitatis revocetur in dubium, *admonitione beatissimi viri Papae nostri Symmachi Simplicii*, quam ante oculos semper habere deberemus, *hoc nobis sub obtestatione meministis fuisse mandatum, ut propter illum strepitum et venerabilis Ecclesiae detrimentum, si eum de hac luce transire contigerit, non sine nostra consultatione cuiuslibet celebretur electio* ».

In memorato Concilio decretum Basilii seu Odoacris, una omnium sententia reiectum ac reprobatum plane fuit.

Quodnam exinde ius, dixerint lectores, eruitur eligendi Antistites maximos? In primis res non est, ut ipsamet verborum vis satis ostendit de *nominatione*, sed tantum de *consultatione*, quae ab ea toto coelo differt; praeterea non agitur de Constitutione pontificia, verum de scriptura quadam « *in qua nullus romanae Ecclesiae interfuit vel subscripsit antistes, per quem potuisset firmitatem legitimam sortiri* ».

Omni proinde iuris titulo destituitur; quam ob rem non mandatum Simplicii papae dicta Basilii scriptura esset nuncupanda, sed potius *Decretum Odoacris*, eiusdem postulationes equidem referens.

Haec breviter indicasse sufficiat.

2. **Concessio ab Adriano I in favorem Caroli M. facta.** — De hac concessione sic refert Gratianus (1): « Adrianus Papa Romam venire Carolum regem ad defendendas res Ecclesiae postulavit. Carolus vero Romam veniens, Papiam obsedit ibique relicto exercitu, in sancta resurrectione ab Adriano papa Romae onorifice susceptus est. Post sanctam resurrectionem reversus Papiam cepit Desiderium regem; deinde Romam reversus constituit ibi synodum cum Adriano papa in patriarchatu lateranensi, in ecclesia sancti Salvatoris; quae synodus celebrata est a centum quinquaginta tribus episcopis, religiosis et abbatibus. *Adrianus autem papa cum universa synodo tradiderunt Carolo ius et potestatem eligendi Pontificem et ordinandi Apostolicam Sedem*, dignitatem quoque patritiatus ei concesserunt. Insuper archiepiscopos et episcopos per singulas provincias ab eo investituras accipere definivit, ut nisi a rege laudetur et investiatur episcopus,

(1) Cfr. c. 22, D. 73.

a nemine consecretur. Et quicumque contra hoc Decretum ageret anathematis vinculo eum innodavit et nisi resipisceret, bona eius publicari praecepit ».

Integrum textum referendum consulto duximus, quia ex eiusdem tenore satis superque eruitur dictam concessionem spuriam esse.

Triplex est hac de re auctorum sententia.

Quidam auctores, Pighius (1), Walden (2), Bozenius (3), Lavorius (4), Pignatelli (5), et Bonacina (6) authenticum habent memoratum privilegium; quin imo eiusmodi concessionis bullam Parisii, tamquam gemmam in regni thesauro asservatam, iactat *Glossa in Prag. Sanct. tit. de annot. verb. regalia.*

Alii, v. gr. Cardinalis Alban. (7), Ruff. (8), Navarrus (9), putant Carolum M. privilegium ab Hadriano sibi oblatum non acceptasse sed sponte sua repudiasse, utpote tanto honore indignum; quam ob causam, aiunt, neve Carolus neve successores eiusdem hoc iure eligendi Pontificem usi sunt.

Alii, ut Azorius (10), Gondislaus Villadiego (11), Barbosa (12), D. Antonin. (13), censent non Carolum, sed Ludovicum Pium apostolicae concessioni renunciasse. Innituntur autem c. 30, D. 63, ubi Ludovicus imperator romanus haec decrevisse fertur: « Quando divina vocatione huius sacratissimae Sedis Pontifex de hoc saeculo migraverit, nullus ex regno nostro aut francus aut longobardus aut de qualibet parte homo sub nostra potestate constitutus licentiam habeat contra Romanos aut publice aut privatim conveniendi, aut electionem faciendi, nullusque in

(1) *Hier. eccl.*, lib. V, cap. 13.
(2) *De dignitate regis Hispaniae*, cap. 20, n. 26.
(3) *De statu Italiae*, lib. 3, cap. ult.
(4) *Variar. lucubr.* to. I, tit. 4, cap. 4, n. 23 s.
(5) Op. cit. to. IX, *consult.* LXVII, n. 58.
(6) *De legitima Summi Pontificis electione*, p. 6.
(7) *De Cardinalatu*, q. 15.
(8) *Pontif. Max.* n. 39.
(9) *In rubr. de iud.*, n. 69.
(10) Op. cit. part. II, lib. 4, cap. 2, quaest. 2 s.
(11) *De origine et potestate Cardinalium*, quaest. 5, n. 18.
(12) *Ius eccl.*, lib. I, cap. I, n. 54.
(13) *Chron.* part. II, tit. 16, cap. I, § 2.

civitatibus aut in territoriis ad Ecclesiae beati Petri apostoli potestatem pertinentibus aliquod malum praeterea facere praesumat; sed liceat Romanis.... eum quem.... uno consilio atque una concordia.... ad pontificatus ordinem elegerint, sine aliqua ambiguitate atque contradictione more canonico consecrare ».

Qui authenticitatem privilegii conclamant, iterum duplex in agmen dividuntur. Alii siquidem censent privilegium personale fuisse, ita ut ad Caroli M. successores nequaquam iure transierit; alii reale illud putant (1).

Demum quamplurimi auctores, Baronius (2), Bellarminus (3), Suarez (4), Thomassinus (5), Natalis Alex. (6), Pasquierius (7), Morinus (8), Grethserus (9) Card., Petra (10), contendunt eiusmodi privilegium umbratilem fabulam esse et commentum fictitium Sigiberti, monachi gemblacensis schismatici, quod Gratianus, nimis profecto credulus, suae canonum collectioni consarcinavit.

Hodierni vero auctores, ne uno quidem excepto, indubie incunctanterque docent dictum privilegium spurium plane esse, utpote a Sigiberto impiissimo viro confictum (11).

Cum acris in Germania ferveret controversia de investituris, inopinato quodam eventu Bulla publici iuris est facta, qua asserebatur Adrianum I concessisse Carolo M. ius tum Papam deligendi tum Episcopis investituras dandi.

Sigibertus monachus qui omnium virium contentione partes Henrici imperatoris fovebat, in gratiam eiusdem imperatoris sibimet vindicantis ecclesiarum investituras, finxit inauditum pri-

---

(1) Cfr. Bonacina, l. c.
(2) *Annales eccl.*, ad an. 774, n. 11; edit. Barri-Ducis, 1887.
(3) *De Summo Pontifice,* lib. II. cap. 29.
(4) *De fidei defens.* lib. III, cap. 29, n. 7.
(5) Op. cit. part. II, I, cap. 20, n. 5.
(6) *Hist. saec.* 13, dissert. 8, art. 1.
(7) *Disquisit.* lib. III, cap. 35.
(8) *Hist. pro Rom. Pont. temporali potestate,* pag. 42 s.
(9) *Apolog. pro Cardinali Baronio,* cap. 1, et. 2.
(10) *Comm. in Const. 5 Clementis VI,* n. 27.
(11) Cfr. Cavagnis, Op. cit. vol. II, n. 157; L. Lector, Op. cit. p. 15 Wernz, l. c. n. 572, nota 39.

vilegium illudque retulit in fine suae chirographiae anno millesimo centesimo undecimo hisce verbis: Postea rediens Carolus, Papiam cepit, iterumque Romam rediit Synodum constituit cum Adriano papa aliisque centum quinquaginta tribus religiosis, episcopis et abbatibus in qua Hadrianus papa cum universali synodo dedit ei ius eligendi Pontificem, et ordinandi Apostolicam Sedem, dignitatem quoque principatus. Insuper archiepiscopos et episcopos per singulas provincias ab eo investituram accipere definivit, et ut nisi a rege laudetur et investiatur episcopus a nemine consecretur; omnesque huic rebelles anathematizavit, et nisi resipiscerent; bona eorum publicari ».

Gratianum, cum iisdem verbis concessionem retulerit, ex ipsius testimonio notitiam privilegii, et non aliunde, deprompsisse manifesto liquet.

At estne fides tribuenda Sigiberto? Quisque veritatis sincerus inspector respondere favebit.

a) Sigibertus, monachus schismaticus, Henrico imperatori item schismatico totis viribus favet, ut ex eius scriptis quisque facile videre potest.

b) Ipse historica documenta, e quibus privilegii notitiam hauserit, nequaquam refert, ita ut sibi asserenti indubie esse credendum putet.

c) Anno millosimo centesimo duodecimo, hoc est trecentos et triginta octo post annos, audacter de privilegio loquitur, quin ullus alius auctor sciverit atque rescripserit.

Sane ex scriptoribus omnibus rerum francorum, qui ipsum tempore praecesserunt, nullus, teste Baronio (1), reperitur qui de Carolo M. id asseruerit; nam qui vitam scripserunt eiusdem Caroli, quique per annos singulos res ab eo gestas quam diligentissime digesserunt, de his nihil penitus referunt.

d) Nedum auctores silent, verum aperto contradicunt. Affirmant enim post captum Ticinum non Romam iterum Carolum venisse, sed quam celeriter in Galliam rediisse, ut contra rebellantes Saxones expeditionem pararet. Urgente igitur Saxonum bello, nullus fuit locus induciarum et longissimae morae celebrandi adeo numerosi Concilii, quod *universale* idem nominat

(1) Ad. an. 774, n. 11.

Sigibertus, cum tempus ipsum manifeste repugnet. Morae profecto haud satis intercesserunt convocandi et exspectandi centum quinquaginta episcopos hinc inde etiam e dissitis regionibus vocatos.

e) Eginthardus, qui Caroli M. lateri inhaerebat et ipsius vitam conscripsit, expresse affirmat Carolum nonnisi quater Romam venisse. Atqui si verum esset quod Sigibertus contendit, non quater, sed quinquies Romam se Carolum contulisse, dicendum foret. Sane primus eius adventus fuit contra Longobardos anno 773; secundus anno 780 voti solvendi causa; tertius anno 786 adversus ducem Beneventanum; quartus anno 800 restituendi causa Leonis papae in locum suum, cum imperator die Natalis Domini Carolus creatus est.

Quintus adventus a Sigiberto confictus, nusquam assertus vel excogitatus fuit ab aliquo alio auctore.

f) Privilegium, sive electionem R. Pontificis respiciens sive episcoporum investituras, ita est inauditum apud historicos et maxime penes rerum canonicarum scriptores ut absurdum plane proclamari oporteat.

Quibus omnibus naviter perpensis, prono alveo haec sequitur conclusio: concessio, quae dicitur ab Adriano I in favorem Caroli M. facta, de qua mentio fit in decreto Gratiani (1), commentitia et fabulosa omnino est, utpote mendose inventa a Sigiberto monacho schismatico gemblacensi.

3. **Decretum Stephani IV** — Cum occasione novi deligendi R. Pontificis tumultus ac violentiae haberentur, nisi has illosve imperialis auctoritas praepediret, Stephanus IV dicitur decrevisse (an. 816), ut deinceps novus Papa nonnisi praesentibus legatis imperatoris consecraretur, ut refert Gratianus (2).

« Quia sancta romana Ecclesia, cui auctore Deo praesidemus, a pluribus patitur violentias, Pontifice obeunte: quae ob hoc inferuntur, quia absque imperiali notitia Pontificis fit consecratio: nec canonico ritu et consuetudine, ab imperatore directi intersunt nuntii, qui scandala fieri vetent: volumus, ut cum instituendus est Pontifex, convenientibus episcopis et universo clero, eligatur praesente senatu et populo qui ordinandus est.

---

(1) Cfr. c. 22. D. 63.
(2) Cfr. c. 28. D. 63.

Et sic ab omnibus electus, praesentibus legatis imperialibus consecretur ».

Varia est auctorum sententia de eiusmodi Decreto. Quidam (1), ut Baronius (2) et Natalis Alexander (3), censent commentitium esse. Alii, ut Pagius (4) et Hefele (5), genuinum habent, sed Stephano VI tribuendum contendunt.

Etiam Muratorius in nota ad supplementum Concilii Romani a. 863 celebrati, ex canone XI eiusdem supplementi, in quo canon Stephani papae de electione R. Pontificis commemoratur, sanctionem esse germanam Stephani VI perspicue demonstrat (6).

Non desunt auctores hodierni, ut L. Lector (7), qui docent Stephano IV tribui haud posse decretum, ita ut, aiunt, eiusdem admissa authenticitate, tribuendum sit vel Stephano V (a. 885) vel Stephano VI (a. 897). Quidam demum putant authenticum quidem esse Stephani rescriptum, at nonnisi prudentiae causa editum fuisse, quatenus scilicet imperator libertatem cleri populique romani in Papa eligendo per suos legatos tueretur adversus factionum tumultus, quin reipsa imperatori quidquam iuris fuerit attributum.

Alii authenticum censent decretum, simulque tamen autumant non acceptatum fuisse a Ludovico, quippe qui anno proxime sequenti (a. 817) contrariam constitutionem edendam censuit (8).

Sane Ludovicus expressis verbis liberam se velle declarat electionem et coronationem Pontificis maximi; nec ad aliud teneri decernit novum Papam, nisi ad imperatorem legatos post consecrationem mittere qui eum certiorem faciant de novi Pontificis nominatione.

4. **Decretum Eugenii II.** — In synodo Romae coacta (a. 825-826?) fertur Eugenius II huius nominis secundus inter alia de-

---

(1) Cfr. PETRA, l. c., n. 28 s.

(2) Ad an. 816, n. 100 ss.

(3) *Hist. eccl.*, VI: p. 138.

(4) Ad an. 897, n. 3 ss.

(5) Op. cit. V, p. 201; *Die Papste und die Kaiser* etc., in *N. Sion*, 1855, S. 953.

(6) *Rer. ital. script.*, II, 2, p. 127; cfr. MANSI, to. XIV, p. 142 ss.

(7) Op. cit., p. 17, in nota.

(8) Cfr. c. 30. D. 63.

crevisse ut deinceps novus Pontifex praesentibus imperatoris legatis consecraretur, qui tumultus provide sedarent publicaeque tranquillitati apte consulerent.

Huiusmodi mandatum ad nos nequaquam pervenit ; verum de eodem expressa fit mentio in diplomate tum Othonis tum Henrici, ut videbimus infra. Qua de causa dubitari nequit de ipsius authenticitate, ut merito censent Hefele (1), Sägmüller (2), Lector (3) aliique.

5. **Decretum Leonis IV.** — Palea hisce verbis decretum refert: « Leo quartus Lothario et Ludovico Augustis. Inter nos et vos pacti serie statutum est, ut confirmatum, quod electio et consecratio futuri Romani Pontificis nonnisi iuste et canonice fieri debeat » (4).

In tantum censent nonnulli auctores *iuste* et *canonice* dicitur peragenda electio, in quantum coram imperialibus legatis fieri debeat (5). Verum ex allegatis verbis aut nihil profecto eruitur, aut saltem res plane incerta manet. Eo vel magis quod fere omnes rerum historicarum scriptores de Leonis IV decreto ne verbum quidem habent.

6. **Decretum Ioannis IX.** — De hoc decreto silent Mansi, Labbe, Liber Pontificalis aliaque veteris aevi monumenta, mentionem contra facit Pagius (6).

Hodierni scriptores duplex in agmen abeunt. Rohrbacher (7), decretum tamquam authenticum refert. Item Lector (8): « Iean IX de Tivoli, moine pieux mais de courtes vues... pour couronner et consolider cette œuvre politique, il rétablit en sa faveur le droit de confirmation des élections papales: *A la mort de chaque pontife*, declare-t-il dans un synode réuni à Rome, en 898, pour réhabiliter la mémoire de Formose, *l'Eglise romaine est en proie aux plus odieuses violences. La multitude ameutée pille le palais du Latran et étend la dévastation jusq'aux maisons par-*

---

(1) Op. cit. IV, p. 525, edit. cit.
(2) L. c.
(3) *L'élection papale*, p. 333 in nota.
(4) In c. 30, D. 63.
(5) Cfr. Baron. ad an. 847, n. 9 ss.
(6) Ad an. 898, n. 6.
(7) Op. cit. to. VI, p. 761, edit. cit.
(8) *Le conclave*, p. 37.

ticulières. Pour empêcher le retour de pareils désordres, nous statuons qu'à l'avenir, l'élection du pape se fera par les évêques (cardinaux) *et par le clergé* (romain) *en présence du senat et du peuple, mais sa consécration ne pourra être faite qu'en présence des députés de l'empereur qui veilleront à en maintenir la liberté* ».

Etiam Damberg (1) putat in synodo ravennatensi a. 898 habita decretum fuisse, ut Pontificis consecratio coram legatis imperialibus in posterum fieret, tumultuum vitandorum causa.

Alii, ut Rohrbacher (2), censent id statutum esse in concilio romano eiusdem anni. Alii demum, ut Pagius (3), putant dictum decretum Stephanum VI edidisse, Ioannem IX illud confirmasse.

Hanc sententiam clariss. Hefele, egregie disserens, refellit (4), ita ut sub iudice adhuc lis versetur.

Ceterum, admissa etiam decreti authenticitate, nil profecto sequeretur, cum nullum ius neve directum neve indirectum in formalem R. Pontificis electionem imperatori adiudicatum fuerit.

7. **Concessio Ioannis X.** — Quidam auctores docent Ioannem papam huius nominis decimum anno 915 die solemni Paschatis Berengarium Imperatorem coronasse eumque, chrismate inunctum, Augustum, universa plaudente Urbe, salutasse (5).

Ferunt vero hac occasione Ioannem confirmasse in favorem Berengarii privilegium de consecratione R. Pontificis coram legatis imperialibus peragenda.

At quamplurimi rerum historicarum scriptores negant Berengarium fuisse a Ioanne X imperiali titulo ac dignitate adornatum; cuius facti etiam veritate admissa, aiunt nequaquam constare de privilegii confirmatione (6).

8. **Diploma Othonis imperatoris.** — Ioannes XII (a. 962) Othonem Romae, plaudente populo, in Imperatorem seu Augustum renuntiavit ac solemni ritu inunxit. Ad pacem sacerdotium inter et imperium mutuo servandam diploma hac occasione con-

(1) *Synchron. gesch.* Bd. IV, S. 173.
(2) L. c.
(3) Ad a. 898, n. 5 s.
(4) Op. cit, to. V, p. 139, edit. cit.
(5) Cfr. PLATINA, op. cit. 74; PANVIN. op. cit. p. 62.
(6) Cfr. GESCHICK, *Kirchenrecht*, I. p. 253 s.

fectum fuit, quo, inter alia, statutum est Pontificem Romanum consecrandum haud esse, nisi post iuramenti fidem coram populo et clero ac imperialibus legatis ab eodem interposita.

En diplomatis praecipua pars quae huc facit:

« In nomine Domini Dei omnipotentis Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ego Otto Dei gratia imperator Augustus una cum Ottone glorioso rege filio nostro, divina ordinante providentia, spondemus atque promittimus per hoc pactum confirmationis nostrae tibi beato Petro principi Apostolorum et clavigero regni coelorum, et per te vicario tuo domno Ioanni summo Pontifici et universali XII papae... Nos in quantum possumus defensores esse testamur, ad hoc, ut ea in illius ditione, ad utendum et fruendum, atque disponendum firmiter valeant obtineri, salva in omnibus potestate nostra, et filii nostri posterorumque nostrorum, secundum quod in pacto et constitutione ac promissionis firmitate Eugenii Pontificis, successorumque illius continetur, id est, ut omnis clerus et universa populi romani nobilitas propter diversa necessitates, Pontificum irrationabiles erga populum sibi subiectum asperitates retundendas, sacramento se obligent, quatenus futura Pontificum electio (quantum uniuscuiusque intellectus fuerit) canonice et iuste fiat; *ut ille qui ad hoc sanctum atque apostolicum regimen eligitur*, nemine consentiente, *consecratus fiat Pontifex, priusquam talem in praesentia missorum nostrorum*, vel filii nostri, seu universae generalitatis *faciat promissionem* pro omnium satisfactione atque futura conservatione, *qualem domnus et venerandus spiritualis pater noster Leo sponte fecisse dignoscitur...* » (1).

De authenticitate huius diplomatis non est cur disseramus; nam universi auctores, ne uno quidem excepto, eam admittunt.

Quidam canonistae putant ius quoddam in electionem R. Pontificis imperatori adiudicatum fuisse. At perperam profecto. Ex verbis enim memorati diplomatis id unum manifesto liquet, scilicet Papam consecrandum esse coram legatis imperialibus et quidem post datam promissionem.

---

(1) Cfr. Labbe, IX, p. 643; Lambert. ad an. 962; Luitpr. lib. VI, c. 6; Regin. ad an. 962.

9. **Constitutio Leonis VIII.** — Dicitur Leo VIII (?), exemplum secutus Adriani I, in quadam synodo romana Othoni I regi theutonico eiusque successoribus tribuisse in perpetuum facultatem *eligendi successorem atque Sedis Apostolicae Pontificem ordinandi.*

Gratianus (1) sic refert: « In synodo congregata Romae in ecclesia sancti Salvatoris ad exemplum beati Adriani Apostolicae Sedis antistitis, qui domino Carolo victoriosissimo regi francorum de Longobardorum patritiatus dignitatem ac ordinationem Apostolicae Sedis et investituram episcoporum concessit. Ego quoque Leo servus servorum Dei episcopus cum toto clero ac romano populo constituimus, confirmamus, et corroboramus ac per nostram apostolicam auctoritatem concedimus atque largimur domino Othoni primo regi theutonicorum eiusque successoribus huius regni Italiae in perpetuum facultatem eligendi successorem, atque summae Sedis Apostolicae Pontificem ordinandi, ac per hoc archiepiscopos seu episcopos ut ipsi ab eo investituram accipiant et consecrationem, unde debent;... et ut nemo deinceps cuiuscumque dignitatis vel religionis eligendi... Pontificem summae Sedis Apostolicae... habeat facultatem absque consensu ipsius imperatoris ».

Duo sunt de hac Constitutione inquirenda, num scilicet valore canonico, admissa authenticitate, polleat, et num reapse authentica sit.

Primam quod attinet quaestionem, nulla interiecta mora respondemus nullius esse momenti eiusmodi constitutionem, utpote a pseudo papa editam. Compertum sane est, Leonem, adhuc vivente Ioanne XII, supremum pontificatum die 6 dec. 963 in quodam conciliabulo, mandante Othone I, obtinuisse.

Non est proinde cur de canonico valore disseramus.

Alteram quod attinet quaestionem, incunctanter dicimus constitutionem spuriam esse. Quod plurimis probatur rationibus.

Authenticitatem constitutionis prae aliis tuentur Goldastus (2), Marca (3), Cranzius (4). Ex veteris aevi auctoribus quidam, ut

---

(1) Cfr. c. 23. D. 63.

(2) *Constitutionum imperialium* tc. I. p. 29 e ss.

(3) *De concordia*. lib. VIII. cap. 12 et 29.

(4) *Sacon.*, lib. IV, cap. 9 ss.

Baronius (1), commentitiam dicunt memoratam constitutionem; quidam uti genuinam accipiunt, ut Pignatelli (2), Brietius (3); alii ancipites haerent, ut Card. Petra (4).

Reiiciunt bullam Leonis VIII etiam praeclarissimi rei historicae auctores germanici, ut Dönniges (5), Giesebrecht (6), Pertz (7).

Falsitas privilegii eruitur in primis ex falsitate similis concessionis ab Adriano I Carolo M. factae, ad quam constitutio Leoni VIII attributa sese refert et cui plane innititur, quasi vere eam Adrianus dederit. Fundamentum igitur sponte sua corruit. Cum enim decretum Adriani I circa finem saeculi decimi primi a Sigilberto monacho confictum fuerit, et in praetenso Leonis VIII rescripto citetur, patet eiusmodi rescriptum ante finem saeculi decimi primi nusquam auditum fuisse.

Goldastus (8) aliud exemplar bullae Leonis VIII refert ex Theodorico Niemo, qui circa annum millesimum quadringentesimum decimum vixit, in quo omnia continentur quae romanae Ecclesiae a variis principibus data dicuntur, et a Leone VIII confirmata.

At diploma illud ab aliquo schismatico, valde imperito, excogitatum fuisse constat.

Ait in eo Leo VIII se Othoni donare quae sibi obvenerunt a *Iustiniano imperatore et Ariperto rege.* Porro ex historia scimus Iustinianum et Aripertum nil Ecclesiae romanae, donationis gratia, dedisse. Addit se tradere *Corsicae regnum,* quod profecto Othonis tempore ne existebat quidem. Tribuit etiam *Venetiarum insulam,* quae numquam a Romanis Pontificibus possessa fuit. Item tribuit *ducatum Ferrariae,* qui nonnisi serius institutus fuit; *ducatum Istriae ac Dalmatiae,* qui ad Ecclesiam romanam nullo unquam tempore pertinuit; *Capitenatam Apuliam,* quod nomen ducentos post Othonem annos inventum; *Calabriam,* quae sub

---

(1) Ad an. 964, n. 6 s.
(2) Op. cit. *consult.* LXVII, n. 15.
(3) Ad an. 964.
(4) L. c. n. 31.
(5) *Ranke's Jahrb. des deutschen Reichs,* Bd. I. Abthl. 3, S. 102.
(6) *Gesch. d. Kaiserz.* Bd. I, S. 783.
(7) *Monumenta Germaniae historica,* to. II. Append. p. 167.
(8) L. c. p. 39.

ditione non Sedis Apostolicae, sed graecorum tunc erat. Commemorat regnum *Trinacriae,* quod nonnisi sub finem saeculi decimi tertii institutum fuit (1).

Haec aliaque id genus quam plurima aperto ostendunt dictum diploma nil aliud esse quam merum schismaticorum commentum (2).

10. **Diploma Henrici imperatoris.** — Benedictus VIII (a. 1014) Henricum regem, imperiali titulo ac dignitate adornatum, Augustum salutat coronatque. Diploma, uti mos est, conficitur, ex

---

(1) Cfr. RAYNALD., l. c.; BARON. l. c., n. 7.

(2) Exemplar commentitiae constitutionis pseudopontificis Leonis VIII extat in Codice Vaticano 1984, pag. 192, col. 2.

Codex hunc titulum exhibet: **Privilegium Leonis Papae VIII.**

« Convenit Apostolico moderamini petentibus benevola compassione succurrere, et poscentium animis alacri devotione praebere assensum. Ex hoc enim lucri potissimum praemium apud conditorem omnium reperitur. Deinde quoque et cunctum clerum et omnem populum asserimus esse concordem, et ad meliorem statum (fore productum). Atque ideo quia iuste et rationabiliter vestra humilitas a nostro Apostolatu humiliter postulat, quatenus gratulanter peragentes sanctam Synodum vestro consilio congregatam in patriarchio Lateranensi, in Ecclesia S. Salvatoris constitutam a pluribus viris catholicis episcopis et abbatibus, insuper iudicibus, et legis doctoribus promulgantes qualiter quiete et pacifice stare et vivere valeamus, praesentibus omnibus et singulis regionibus almae Urbis Romae et ex omnibus ordinibus cleri et populi asserentibus et confirmantibus per omnia, ut haeresi et altercatione ac omni errore expulso quoniam his temporibus error ex hoc accrescere cernitur, discernatur tam de Romano (crescebat. Decernimus tam de Romano) imperio quam de Apostolica Sede ac dignitate patriciatus, et de investituris episcopatum. Ideirco ad exemplum beati Adriani, Sedis Apostolicae huiusmodi episcopi, cuius vitam et actionem satis discretam audivimus et rationabilem admodum in suis spiritualibus sanctionibus recognovimus. Idem enim sanctus vir Synodum congregavit, et in praesentia omnium, eorumque auctoritate domino Carolo invictissimo regi Francorum et Longobardorum ac patricio Romano suisque successoribus, regnum Italiae, patriciatus dignitatem ac ordinationem Sedis Apostolicae concessit insuper et episcopatuum: investituras velut ipsi cum discretione et reverentia libitum fuerit praeter quos tam Pontifici summae Sedis, quam archiepiscopis ipse Carolus reliquit.

« Igitur nos Leo servus servorum Dei, episcopus, ad idem exemplum Adriani, cum cuncto similiter clero et universo populo romano omnibusque ordinibus huius almae Urbis, sicut in suis scripturis, apparet, constituimus, confirmamus, et corroboramus, et per nostram Apostolicam auctoritatem concedimus atque largimur domno Ottoni primo Augusto, Teutonicorum regi

quo liquet imperatorem iura Apostolicae Sedis iamdiu quaesita una cum donationibus a Pipino et a Carolo M. factis atque ab aliis regibus pluries recognitis rata habere suaque auctoritate confirmare. Electionem R. Pontificis quod attinet, decernitur iisdem verbis quae in memorato Othonis diplomate leguntur, ut ad tramitem Constitutionis Eugenii II ab universo clero ac populo novus Papa deinceps eligatur coram legatis imperialibus, praevie iuramenti religione data, consecrandus (1).

Quae de Othonis diplomate diximus, huc revocentur sive quoad vim iuridicam documenti sive quoad vim historicam, cum eadem profecto occurrat ratio.

11. **Concessio a Clemente II in favorem Henrici III facta.** — Clemens II dicitur Henrico III privilegium dedisse, ut nonnisi coram legatis imperialibus electio R. Pontificis deinceps perficeretur. Hanc concessionem quidam auctores, veluti Baronius Card. Petra, Suarez, Pignatelli, Azorius, aliique plurimi auctores qui de RR. Pontificum vita ac rebus gestis scripserunt, commentitiam tenent; quidam contra ut authenticam.

---

prudentissimo spirituali in Christo filio nostro, eiusque successoribus huius regni Italiae in perpetuum tam sibi facultatem elegendi successorem, quam summae Sedis Apostolicae Pontificem ordinandi: ac per hoc archiepiscopos seu episcopos, ut ipsi tantum ab eo investituram accipiant, et consecrationem ubicumque pertinuerit, exceptis his, quos imperator Pontifici et archiepiscopis concessit. Ita demum asserimus, quod nemo deinceps cuiuscumque gradus vel conditionis aut dignitatis seu religionis eligendi regem vel patricium sive Pontificem summae Sedis Apostolicae aut quemcumque episcopum vel ordinandi habeat facultatem, sed soli regi Romani imperii hanc reverendam tribuimus facultatem, quam absque omnia pecunia disponet, ac reget, utpote rex et patricius Romanus. Quod si a cuncto clero et universo populo quis eligatur episcopus, nisi a dicto rege laudetur et investiatur, non consecretur.

Si quis contra hanc regulam et auctoritatem Apostolicam et traditionem aliquid molitus, aut temerator in aliquo repertus fuerit, sive contra hoc nostrum concilium agens, sciat se in iram sancti Petri principis Apostolorum, et filii nostri domni Ottonis eiusque successorum, et omnium praedecessorum nostrorum censuram, et anathematis vinculum incursurum, ac per hoc excommunicationi universalis Ecclesiae, omnisque populi christiani, eum subiacere decernimus. Insuper nisi a malo resipuerit, irrevocabili exilio puniatur, vel ultimis suppliciis feriatur. Qui vero pio intuitu custos et observator in omnibus extiterit benedictionis gratiam vitamque aeternam cum omnibus sanctis sine fine mereatur habere in saecula saeculorum. Amen ».

(1) Cfr. Labbe, IX, p. 815; Mansi, XIX, p. 551.

Wernz (1) diserte docet eam in dubium vocari non posse. Lucius Lector (2) pariter hanc concessionem genuinam profitetur. Scribit enim : « Celui-ci (Clemens II) a la faiblesse de consentir à ce que dorénavant, non seulement la *consécration*, mais l'*élection* elle-même des pontifes romains ne se fasse *qu'en présence de l'empereur*. Le rêve des Byzantins était dépassé. L'élection ne se fera plus à Rome, mais au lieu de la résidence impériale. En effet, le monde chrétien voit se répéter plusieurs fois le spéctacle des délégués du clergé romain s'en allant à Polden en Saxe, à Ratisbonne, à Mayence, à Worms, demander au Kaiser qu'il veuille bien leur désigner le Pontife romain. Le système électoral, tel qu'il s'était développé depuis six siècles, produisait ainsi ses derniers fruits : *ut rex alamannorum Papam constituat*, selon le mot d'un religieux écrivain du temps . . . » (3).

Sententiae, quae authenticam putat concessionem a Clemente II factam nos quoque, argumentis sedulo perpensis, merito adstipulamur, dummodo tamen recte eiusmodi concessio intelligatur. Mens siquidem Clementis II non ea fuit ut ius eligendi seu designandi R. Pontificem imperatori tribueret, sed tantum ut per imperialium legatorum praesentiam vitarentur tumultus ac dissidia quae occasione novi Papae creandi exoriri solebant. Id naviter attendant auctores; nam haud pauci ex iisdem perperam de dicta concessione loquuntur. Quodsi imperatoris audacia adeo excreverit ut ius eligendi Antistitem maximum re ipsa sibi vindicaverit ac inde abusus oborti fuerint, hoc naturam seu vim memoratae concessionis nequaquam immutat.

Jaffe (4) sic refert: « Heinrico imperatori et eius successoribus patriciatum asserit, ne aut Romani Pontifices, aut qui regalia habeant episcopi ante acceptam investituram consecrentur ».

Annales Romani ab eodem Jaffe allegati (5) haec habent:

« Itaque princebs (6) cernens Romanorum voluntatem, circulum quod (quo?) ab antiquitus Romani coronabant patricios, in capite

(1) Op. cit. to. II. part. II, n. 573, in nota.
(2) Op. cit., p. 23.
(3) Cfr. etiam Panvin., op. cit. 55.
(4) *Regesta Romanorum Pontificum*. Lipsiae, 1885, I, p. 526.
(5) l. c.
(6) Sic in textu.

posuit suo; et *ordinationem pontificum* ei concesserunt et eorum episcoporum regaliam abentium (1); ut a nemine consecretur, nisi prius a rege investiatur. Almus pontifex una cum Romanis et religiosis patribus (sicut sanctus Adrianus papa et alii pontifices confirmaverunt per privilegiy detestationem) sic per privilegii detestationem in potestate regis Henrici, qui in praesentia habetur, et futurorum regum patriciatum et cetera, ut supradictum est, sancivit, confirmavit et posuit ».

Petrus Damianus (2) ita privilegium commemorat: « Henricus imperator factus est patricius Romanorum, a quibus etiam accepit in electione semper ordinandi pontificis (Rom.) principatum » (3).

Mansi in classico opere (4) neve Concilium romanum, in quo fertur fuisse Henrico privilegium concessum, commemorat neve alicubi de privilegio eiusmodi loquitur.

Hefele (5) docet *patritium* inde ab imperio byzantino ius habuisse approbandi electionem R. Pontificis; inde vero a saeculo x etiam ius nominandi seu designandi Antistitem maximum. Hoc sensu contendit concessum fuisse Henrico III titulum *patritiatus* Id tamen haud satis recte affirmari opinamur.

De memorato privilegio egregie disserunt E. Fischer (6), Giesebrecht, (7) Will (8), K. A. Fetzer (9), L. D. Heinemann (10), W. Martens (11), A. Hauck (12).

---

(1) Ita in textu.

(2) *Disceptatio synodalis*, op. III, 27 apud Migne 145, p. 71.

(3) Cfr. WEINECK, *Der Patriciat Heinrich's* III, dissert. Jenens, 1873, p. 34.

(4) *Sacrorum Conciliorum Collect.* Venetiis, 1775, to. XIX.

(5) *Conciliengeschichte.* Freiburg im Brisgau, to. IV. p. 713.

(6) *Der Patriziat Heinrich's III und Heinrich's IV.* Tubingen 1908, H. L.

(7) *Kaisergesch.* to. II, p. 394.

(8) *Anfänge der Restauration der Kirche*, part. I, p. 6.

(9) *Voruntersuchungen zu einer Geschichte des Pontif. Alexander II.* Strassburg, 1887, p. 38 ss.

(10) *Patriciat der deutschen Könige.* Halle, 1888.

(11) *Die Besetzung des päpstl. Stuhles.* Freiburg, 1887, p. 46.

(12) *Kirgengeschichte Deutschlands,* 1906, to. III, p. 591.

ARTICULUS III.

De R. Pontificis electione prioribus Ecclesiae saeculis.

Bibliographia: Azorius, op. cit. II, IV. c. 2; Barbosa, l. c.; Baronius ad an. 240: Bonacina, op. cit. p. 15 ss.; Cavagnis, l. c.: Ciaconius, op. cit. I, p. 23 ss.; Fagnanus, in *c. Accepimus, de pactis, lib. I. Decret.*; Marangoni, l. c.; Panvinius, op. cit., p. 21 ss.; Petra, in *Constit. 5 Clementis VI*, to. IV, n. 35 ss.; Passerini, op. cit., p. 15 ss.; Platina, op. cit., p. 45; Suarez, *De fide*, disp. X, sect. IV, n. 5 ss.; Wernz, l. c.; Hahn, *De electione Summi Pontificis*, Mainz, 1721.

Bianchi, *Della podestà e della polizia della Chiesa*, to. III, lib. I, cap. V, § VII; Armellini, *Lezioni di archeologia cristiana*, p. 125, ss.; Bosio, *Roma sotterranea*, p. 85; Grisar, *Storia di Roma e dei Papi nel medio evo*, Roma, 1899; Hergenröther, *La storia dei Papi*, Milano, 1895; Moroni, op. cit., IV, p. 145 ss.; Duchesne, *Storia della Chiesa antica*, Roma, 1911.

Chénot E. *Histoire des rapports de l'Église et de l'État du* Ire *au* XXe *siècle*, Paris, 1913; Chamard, *Les Papes du* VIe *siècle*, etc.: *Reponse à M. l'abbé Duchesne*, in *Revue des questions historiques*, 1884 p. 540 ss.; L. Lector, op. cit, p. 7 ss.; Ders, op. cit., p. 12 ss.; Duchesne, *Le premiers temps de l'état pontifical*, Paris, 1904; eiusdem auctoris: *Le Liber Pontificalis*, Paris, 1886-1892; Martigny, *Dictionnaire des antiquités chrétiennes*, Paris, 1877; Northcote et Brownlow, *Rome souterraine*, trad. par P. Allard, Paris: 1872-1874: Allard, *Histoire des persécutions*, Paris, 1885-1890: eiusdem auctoris, *Le christianisme et l'empire romain de Néron à Théodose*, Paris, 1897: Boissier, *La fin du paganisme*, Paris, 1891; Doulcet, *Essai sur les rapports de l'Église chétienne avec l'État romain*, Paris, 1882; Tillemont, *Mémoires pour servir à l'histoire ecclésiastique des six premiers siècles*, Paris, 1693-1712: Marucchi, *Eléments d'archéologie chrétienne*, I, 86; Smedt, *L'organisation des églises chrétiennes jusq'au milieu du* IIIe *siècle*, in *Revue des Q. H.*, 1888, 1891.

Kraus, *Realencyklopädie der christlichen Alterthumer*, Fribourg, 1880-86: Harnack, *Gesctichte der altchristlichen Litteratur bis Eusebius*, Leipzig 1893-1897: Mommsen, *Römische Geschichte*, Berlin, 1874-75; Sägmüller, l. c.

Smitts, *A dictionary of christian antiquities*, London, 1876-1880.

Consulantur praeterea quaevis historica opera.

Summarium: 1. An et quomodo clerus partem habuerit in electione — 2. Num et quo sensu populus comitiis pontificiis interfuerit — 3. Num Senatus etiam partem distinctim habuerit in electione.

1. **An et quomodo clerus partem habuerit in electione.** — Prioribus Ecclesiae saeculis Romani Pontificis electio eo modo perficiebatur quo fieri solebat penes singulas particulares Ecclesias episcoporum electio.

Porro modus seu mos ille erat quem ipsamet rerum natura ac tempora adiuncta suadebant. Christus enim nullam electionis formam determinavit; nec Apostoli eam statuendam censuerunt, nec eorumdem immediati successores.

Defuncto Episcopo, ne in perpetuum Ecclesia viduata maneret, clerus ipso naturali divinoque iure cogente, in eiusdem locum alium subrogare tenebatur ne damnum quam maximum christifideles ex viduitate paterentur.

Idipsum de pontificis Romani electione, congrua congruis referendo, dicas.

Nulla existente peculiari forma neve a Christo neve ab Apostolis constituta, clerus romanus, cum diem supremum obire contigisset Papam, alium eligere necessario debebat, qui universali prospiceret regendae Ecclesiae.

Hunc morem iam inde invaluisse ab electione S. Lini qui immediate divo Petro successit, indubie putamus. Nam reiecta canonica successoris designatione per Apostolum Petrum facta, utpote historico destituta fundamento (1), alio modo explicari nequit Romani Pontificis creatio nisi per cleri interventum, ne dicere adigamur aut nullum legitime electum fuisse Antistitem, aut designatum esse a populo dumtaxat, vel demum a Deo immediate creatum.

Primus qui electus dicitur *cleri suffragiis* est S. Cletus (a. 78 vel 79), testibus Ciaconio (2) et Panvinio (3). *Liber Pontificalis*, quem accuratissime ipsi perspeximus, ne verbum quidem habet.

Nihilominus, etsi historica desint documenta et auctores sileant, dubitandum non est quin eadem forma qua designatus dicitur Cletus, etiam Linus creatus fuerit.

Electio proinde, accedente suffragio populi, spectabat ad clerum seu ad *presbyterium*, cui profecto regimen Ecclesiae romanae vacationis Apostolicae Sedis tempore competebat.

Nomine autem cleri presbyteri et diaconi veniebant, qui unum dumtaxat *presbyterium* efformabant. Verum pro dignitate ordinis et gradus partem gerebant in R. Pontificis electione.

---

(1) Cfr. pag. 187 ss. h. v.
(2) Op. cit. p. 37.
(3) Op. cit. p. 3.

Hinc pars *principalis* erat presbyteris; diaconis pars *secundaria* seu minus principalis.

Porro vox *presbyter* tum simplices presbyteros seu sacerdotes significabat tum chorepiscopos seu episcopos, ut manifesto liquet ex testimonio S. Cypriani (1) et S. Crysosthomi (2), nec non ex Actibus Apostolorum (3).

Praecipua pars in Antistite summo eligendo certe episcopis erat, prae sacerdotibus.

Quod distinctius et clarius processit cum S. Evaristus papa ecclesiarum titulos urbis Romae presbyteris divisit, et cum S. Higynus eosdem titulos in varios gradus, episcopales, presbyterales et diaconales distribuit (4).

Episcoporum ideo erat comitia pro Papa eligendo indicere, eis praeesse, suffragia tum cleri inferioris tum populi requirere. ac demum votum decisivum ferre.

Haec autem, pace dixerimus quorumdam auctorum, non temere adfirmamus. Manifesto enim comprobantur testimonio S. Cypriani.

Cum die 20 ian. a. 240 ex hac vita migrasset Fabianus papa ac more maiorum Pontifex Romanus creatus fuisset Cornelius, presbyter Novatianus, superbia captus, electionem Cornelii impugnavit eo profecto fine ut sibi pontificiam dignitatem vindicaret. Quod malo fato re ipsa contigit. Papa a nonnullis fautoribus renuntiatus et consecratus fuit. Tunc S. Cyprianus, carthaginensis episcopus, re commotus, fortit animo restitit pseudopapae Novatiano, egregie probans electionem Cornelii rite recteque factam fuisse, ac ideo eumdem esse verum et legitimum Pontificem. Sane in ep. 55 sic ait: « factus est Cornelius episcopus de Dei, et Christi eius iudicio, de clericorum pene omnium testimonio, de plebis, quae tunc affuit suffragio, de sacerdotum antiquorum consensu » (5).

S. Cyprianus merito distinguit inter testimonium seu suffragium quoad vitam candidati et consensum stricte sumptum,

---

(1) Ep. XXX.

(2) In cap. I, epist. ad Philipp.

(3) Cap. XIV. 23; cap. 15, 2 ss.

(4) Cfr. *Lib. Pontif.* ed. Duchesne, I, p. 126; Ciacon. op. cit. p. 6.

(5) Cfr. c. 5, cap. XII, q. I.

ex quo canonica electio profluit. Suffragium hoc est testimonium de moribus ac doctrina personae designandae tribuitur clericis et populo; consensus autem seu electio formalis *sacerdotibus antiquioribus*, utpote qui partem praecipuam in electione gerunt. Exinde liquido patet clericos duas in classes dividi, quorum alii consensum stricte acceptum in Pontifice nominando ferunt, alii nonnisi consensun improprie dictum, vel melius votum dumtaxat exhibent de pietate ac religione candidati.

2. **Num et quo sensu populus comitiis pro eligendo Pontifice interfuerit.** — De interventu populi in electione R. Pontificis ex historicis documentis plane constat.

Et optima profecto ratione eiusmodi interventus nititur. Etenim presbyteri, episcopi, quotquot nimirum publica munia obeunt, bona aestimatione oportet fruantur coram societate, ne secus sacrum ministerium absque fructu exerceri contingat, experientia teste.

Hanc ob causam divus Paulus (1) docet opus esse ut promovendus ad episcopatum bonum testimonium habeat nedum a christianis, verum etiam ab ethnicis: « *Oportet illum et testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat* ».

Tanta siquidem est sanctitas ac excellentia sacerdotii ut plane necesse sit in sortem Domini vocatos omnium virtutum nitore splendescere; simulque tanta est vis et efficacia vitae presbyterorum ut viri sancti praeclarissimas populi mereantur laudes et sanctitatis exemplis eum rite imbuant; e contra viri ecclesiastici mali indignationem plebis provocent eamque prava sua agendi ratione impie pervertant.

Quapropter Ecclesia iam ab initio cavit ut ii dumtaxat sacris initiarentur qui *bono testimonio* penes populum gauderent. « Considerate ergo, fratres, viros ex vobis *boni testimonii* septem, plenos Spiritu sancto et sapientia, quos constituamus super hoc opus » (2). Res est in allegato textu de septem diaconorum electione, ubi ii eligendi dicuntur qui *bonum testimonium* praeseferant.

---

(1) I. Tim. III, 7

(2) Act. Ap., VI, 3.

Quae praxis, ex ipsomet naturali ac divino profluens iure etiam hodie in sacris ordinationibus ab Ecclesia servari solet, ac perpetuo profecto duratura erit.

Plura sunt hac de re monumenta veteris Traditionis. S. Clemens Romanus (1) sic loquitur de episcoporum electione: « Apostoli quoque nostri per Iesum Christum Dominum nostrum cognoverunt contentionem de nomine episcopatus oborituram; ob eam ergo causam perfecta praescientia praediti constituerunt praedictos ac deinceps ordinationem dederunt, ut, cum illi decessissent, ministerium eorum alii viri *probati* exciperent. Itaque qui constituti sunt ab illis vel deinceps ab aliis viris eximiis *consentiente universa ecclesia* quique *inculpate gregi Christi deservierunt cum humilitate, quiete nec illiberaliter, et longo tempore ab omnibus testimonium praeclarum rep tarunt,* hos iudicamus munere suo non iuste deiici ».

S. Cyprianus (2) haec habet: « Propter quod diligenter de traditione divina, et apostolica observatione servandum est, et tenendum quod apud nos quoque, et fere per universas provincias tenetur ut ad ordinationes rite celebrandas, *ad eam plebem,* cui Praepositus ordinatur, Episcopi eiusdem provinciae proximi quique conveniant. Et Episcopus deligatur *plebe praesente, quae singulorum vitam plenissime novit, necnon uniuscuiusque actum de eius conversatione perspexit* ».

Origenes (3): « Licet Dominus de constituendo Pontifice praecepisset, et Dominus elegisset tamen convocatur Synagoga. Requiritur tamen in ordinando sacerdote et praesentia populi, *ut sciant omnes et certi sint quia qui praestantior est ex omni populo, qui doctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad sacerdotium.* Et hoc adstante populo, ne qua postmodum retractatio cuipiam, ne quis scrupulus resideret ».

Ut haec verba rite intelligantur, animadvertendum est prioribus Ecclesiae saeculis electionem et ordinationem ministrorum eodem tempore locum habere consuevisse.

Concilium Nicaenum in epistola ad Alexandrinos sic inter

---

(1) Ep. ad Cor., n. XLIV; cfr. Kirch, op. cit. p. 9.
(2) Ep. LXVII, vel iuxta edit. Pamel LXVIII.
(3) Homil. VI in Levit.

cetera statuit: « Si quem vero contigerit requiescere in Ecclesia, tunc provehi in honorem defuncti eos, qui nuper assumpti sunt, *solummodo si videantur digni,* et *populus eos elegerit* ».

Item Concilium Carthaginen. III (1): « Nullus ordinetur clericus, *nisi probatus fuerit* vel examine Episcoporum vel *populari testimonio* ».

Pariter Concilium Navaten. (2): « Sine clericorum testimonio, videlicet consilio, et *populi* testimonio, nullum Episcopus ordinare praesumat ».

Vide, si tibi, benigne auctor, libuerit, plurima alia testimonia superius allegata (3).

Patres autem et Concilia in tantum requirunt testimonium seu suffragium populi, in quantum aliunde non constet de candidati religione et doctrina. Proinde non absolute, sed conditionate dumtaxat necessarius dicitur plebis interventus, quatenus nempe alia haud suppetant media pro candidati vita cognoscenda; ita ut si alio ex fonte de eadem certo constet, actui electioni populus interesse prohibeatur. Id manifesto liquet ex verbis S. Cypriani (4): « In ordinandis clericis, fratres carissimi, solemus vos antea consulere, et mores ac merita singulorum communi consilio ponderare. *Sed expectanda non sunt testimonia humana, cum praecedunt divina suffragia* ».

Errant quam maxime auctores qui censent eodem modo partem habuisse clerum et populum in eligendis Ecclesiae ministris.

Populo in canonica seu formali electione nulla erat pars, stricte loquendo, cum ipsius id unum esset, nempe iudicium ferre de moribus candidati, hoc est de pietate, de religionis zelo, de prudentia, de doctrina ac de aliis quibuslibet animi corporisque dotibus. Quod aperto eruitur ex can. *Nullus, Adrianus, Porro, Si per ordinationem, Non est, Omnis electio, Non licet, Quanto, Nosse* (5).

---

(1) Cfr. c. 2, D. 24.
(2) Cfr. c. 5, D. 24.
(3) Cfr. p. 165 ss. h. v.
(4) Ep. XXXIII.
(5) Cfr. c. 1-12, D. 63.

Qua de causa voces – *suffragium*, *votum*, *consensus*, *electio* – quae apud nonnullos auctores occurrunt, loquentes de populi interventu, memorato sensu intelligi profecto debent, hoc est iuxta substratam materiam (1) Sane suffragium et votum nedum ad formalem electionem referuntur, verum etiam ad vitam moresque candidati; item consensus respicere potest sive actum canonicum electionis, sive uniuscuiusque sententiam seu iudicium quoad qualitates personae eligendae, num scilicet digna censeatur necne; pariter electio sumi potest tum pro vera propriaque nominatione, ex qua ius reapse obveniat nominato, tum pro simplici praesentatione seu designatione (2).

Haud diffitemur nonnullis in locis populum ex more iamdiu inducto paulatim partem maiorem obtinuisse quoad episcoporum nominationem, quatenus nempe confirmatio ad metropolitanum spectabat, electio vero ad clerum ac populum de communi utriusque suffragio. Id nonnisi ob abusum contigit prius apud Ecclesiam Orientalem, et dein penes Ecclesiam Occidentalem, ut egregie tradit Bianchi (3). Ecclesia vero ad maiora vitanda mala toleravit eiusmodi praxim, quae tamen plurimas vicissitudines ac derogationes passa est.

Huius rei testes sunt Possidius (4), S. Augustinus (5), Paulinus (6), Concilium Laodic. (7), Theodoretus (8), Petrus De Marca (9), S. Basilius (10).

Quae generatim tradidimus de plebis interventu quoad sacerdotum ac praecipue episcoporum electionem, eadem, congrua congruis referendo, R. Pontificis nominationi applicari oportet.

---

(1) Cfr. Bianchi, *Della potestà e della politia della Chiesa*. Roma, 1745, to. III, lib. I, cap. 6, § 4.

(2) Cfr. Opus nostrum, *De visitatione SS. Liminum et dioeceseon*, II. p. 60 ss.

(3) L. c. § VI, n. 4 ss.

(4) *Vita August.*, cap. 53.

(5) Ep. XXXV.

(6) Ep. VI.

(7) Can. 13.

(8) *Hist. eccl.*, lib. IV., cap. 21.

(9) Op. cit., lib. VIII, cap. 7, n. 9.

(10) Ep. LXII et CXCIV.

Papa inde a S. Lino, seu statim post obitum divi Petri, creari coepit suffragiis cleri ac populi romani.

Ciaconius (1) de S. Cleto, qui tertius est in Summorum Antistitum serie, expressis verbis ait eum electum fuisse « *cleri et populi suffragiis* ».

Item Panvinius (2) de S. Anacleto seu Cleto refert Pontificem creatum fuisse « *omnium clericorum et laicorum suffragiis* ».

Canonica electio ad clerum exclusive spectabat, ad populum vero nonnisi *propositio* seu *postulatio candidati*, et maxime *testimonium* de vita eiusdem, ac demum *consensus* in electionem rite factam.

Huc clariss. Bonacinae (3) verba faciunt: « Populus electioni assistebat non ad vere ac proprie eligendum, sed ad petendum, ad proponendum, ad testimonium ferendum de vita et moribus eligendi ac denique ad praestandum consensum, et licet alicubi habeatur elegisse, nihilominus non vere, proprie et positive elegit, cum electio sit actio ecclesiastica, competens ecclesiasticis personis, sed negative quatenus non impediebat electionem suo testimonio, nec quidquam obiiciebat, aut quatenus personam proponebat, in eam consentiebat, et acquiescebat electioni ».

Hinc facile conciliari possunt Patres, quorum alii laicos ab electione repellunt, alii contra aiunt Papam creandum esse una cleri populique sententia: illi Patres loquuntur de electione proprie dicta, hi de postulatione, testificatione et consensu (4).

Suarez (5) plane concordat: « Expectabatur autem in hac electione (R. Pontif.) populi consensus, non ut suffragia ferret in electione, sed testimonium vitae et morum eius qui eligebatur ».

Coelestinus I (a. 422), Sixtus III (a. 432), Leo I (a. 440) et Hilarus (a. 461), nulla ex parte populi clerive interveniente dissensione, pontificatum obeundum susceperunt, quin proinde imperialis auctoritatis opus fuerit interventu.

---

(1) Op. cit., p. 37.

(2) Op. cit., p. 3.

(3) Op. cit., p. 6.

(4) Cfr. Bellarm., lib. I, *De clericis*; Azor., op. cit., part. II, lib. 4, cap. 5, quaesit. 4; Sopran., op. cit., lib. I, cap. 5, § 2.

(5) *Disp. X, De Summo Pontifice*, sect. IV, n. 9.

Hilarus in Concilio Romae coacto anno 465 prohibuit quominus episcopi morituri suos deligerent successores (1).

Quidam auctores, ut Cavagnis (2) et Sebastianelli (3) docent decretalem Hilari electionem tum episcoporum tum R. Pontificis indiscriminatim respicere; at minus recte id affirmari ex textu eiusdem decretalis aperto colligitur.

L. Lector (4) oscitanter loquitur: « La question de savoir dans quelle mesure ces dispositions devaient s'appliquer à la nomination du Pontife romain provoqua plus d'une fois, dans la suite - on le verra - des difficultés et des scissions ».

Difficultates ac dissidia non ex interpretatione decreti ab Hilaro editi profluebant, sed tantum ex praxi iamdiu recepta atque ex peculiaribus rerum ac temporum adiunctis.

Porro verum ac proprium ius populo romano obvenisse ex more recepto partem habendi in electione Antistitis maximi, non est cur dubitetur, cum plurima documenta pontificia - puta decretum Bonifacii I, constitutio Symmachi, bulla Nicolai II - ratum illud confirmatumque habuerint.

Cum vero eiusmodi ius nonnisi ex Ecclesiae benignitate ac tolerantia ob peculiaria temporum adiuncta ortum duxerit, iisdem adiunctis immutatis, Ecclesia citra iniuriam dicto iuri merito derogandum censuit.

3. **Num senatus etiam partem distinctim habuerit in electione R. Pontificis.** — Saeviente persecutione, hoc est tribus prioribus saeculis cum status iuridicus Ecclesiae nequaquam publice agnosceretur, nullus certo habitus fuit Senatus interventus in Papa deligendo. At ubi primum, opitulante Deo, libertatem nacta est Ecclesia (a. 312-313) ex constitutione numquam satis laudanda Costantini, publice fieri coeperunt fidelium conventus ipsaque comitia pro novi Pontificis designatione. Interveniente vero populo, necesse fuit ut magistratus etiam Urbis intervenirent, tum ad dissidia, si qua forte essent oritura, sedanda, tum ad populum repraesentandum.

---

(1) Cfr. Mansi, op. cit., VII, 959; Labbé, *Sacrosancta Concilia*, IV, col. 1061 et 1062.

(2) Op. cit., II, p. 142, n. 64.

(3) Op. cit., I, p. 182.

(4) *Le Conclave*, p. 15.

In quavis enim bene ordinata communitate adsunt officiales et magistratus, quorum est curam reipublicae gerere, ac ideo populi partes agere in iis quae ipsius intersunt.

Quapropter inde a saeculo saltem IV magistratus Urbis procul dubio pontificiis interfuerunt comitiis. Hinc pars potior spectabat ad *magnates*, pars inferior ad plebem. Quod profecto in omnibus negotiis contingere solet.

Etsi vetera monumenta de interventu Senatus sileant, nihilominus admittendum esse inde a Costantino aperto constat.

Mentio occurrit de huiusmodi interventu in electione Symmachi (1), Silverii (2), Pelagii II (3), Gregorii I (4), etc.

De *primatibus nobilibus* mentio fit in canone *Si quis* (5).

ARTICULUS IV.

Historica synopsis de R. Pontificis electione sub imperatoribus Romanis et sub Gothorum dominatione.

Bibliographia: Albanus, *De Cardinalatu*, quaest. 15; Azorius, l. c.; Barbosa, *Ius. eccles.*, lib. I, cap. I, n. 50 ss.; Baronius, ad an. 480, 530 et passim; Bellarminus, l. c.; Camarda, op. cit., p. 45 ss.; Cavagnis, l. c.; Fagnanus, l. c.; Hahn, *De electione Summi Pontificis*, p. 18 ss.; Panvinius, *Epitome vitarum RR. Pontificum a S. Petro usque ad Paulum IV*, p. 45 ss.; *De varia creatione Papae, sive Romanorum Pontificum libri V*, p. 15 ss.; Platina, Op. cit., pag. 60 ss.; Passerini, op. cit.. p. 12 ss.; Pignatelli, l. c.; Suarez, *De fide*, disp. X, *de Summo Pontifice*, sect. IV; Schmalzgruebber, in c. *Accepimus, de pactis lib. I Decret.*; Mamachi, *Originum et antiquitatum christianarum libri XX*, Romae, 1752; Walth, *De iure eligendi Romanos Pontifices*, Romae, 1745; Wernz, l. c.

Grisar, *Storia di Roma e dei Papi nel medio evo*, Roma, 1899; Hergenröther, *La storia dei Papi*, Milano, 1895; Moroni, op. cit. IV, p. 125 ss.;

Bouix, *De l'élection du Souverain Pontife*, in *Revue des sciences historiques*, Arras, 1864; Barbier de Montault, *Le conclave et le Pape*, p. 23 ss.; Chamard, *Le Papes du* VI° *siècle*, etc.; *Réponse à M. l'abbé Duchesne*, in *Revue des questions historiques*, 1885, p. 540; Chevallier, *Répértoire des sources historiques du moyen âge*, Paris, 1877-1883; Duchesne, *Le premièrs*

---

(1) Cfr. Platina, op. cit., p. 53.
(2) Platina, op. cit., p. 58.
(3) Platina, op. cit., p. 62.
(4) Platina, l. c.
(5) Cfr. c. 6, D. 79.

temps de l'État pontifical, Paris, 1904; *Le liber Pontificalis*, I; *La succession du pape Felix IV*, in *Mélanges de l'Ecole de Rome*, année 1883, p. 239 s.; *Réponse à dom. Chamard*, in *Revue des questions historiques*, 1885, p. 579; *Le liber diurnus et les élections pontificales au* VIIe *siècle* (*Bibl. de l'école d. Chartes*, LII, 1891); L. LECTOR, *Le conclave*, p. 25 ss.; *L'élection papale*, p. 12 ss.; REVILLE, *Les origines de l'episcopat. Etude sur la formation du gouvernement ecclésiastique du sein de l'Église chrétienne dans l'empire romain*, Paris, 1894; ALLARD, *Le christianisme et l'empire romain de Neron à Théodose*, Paris, 1897; DOULCET, *Essai sur les rapports de l'Église chrétienne avec l'État romain*, Paris, 1882; CHEUST E., *Histoire des rapports de l'Église et de l'État du* Ire *au* XXe *siècle*, Paris, 1713.

HINSCHIUS, *K R.*, I, 217; KNÖPFLER, *Kgschte*, 757; FUNK, *Kgschte* 130, 166; G. SCHNÜRER, *Die polit. Stellung d. Papsttums z. Zeit Theod. d. Gr.* (*Hist. Jb.*, IX, 1888, 255 ff.); PFEILSCHIFTER, *Theod. d. Gr. u. d. kath. K.*, 1896, 19 ff.; GRAAERT, *Papstwahlstudien* (*a. a. O.*, 265 ff.); SÄGMÜLLER, *Die Ernennung d.. Nachfolgers durch d. Päpste Ende d. 5. u. Anfang d. 6 Jhdts* (*Th. Qsch.*, LXXXV, 1903, 91 ff.); SICKEL, *Prolegomena z. Lib. diurn.* (*Sitzungsber. d. Kais. Akad. d. Wiss., phil. hist. Kl.* CXVII, Wien, 1889, 52 ff.; WERMINGHOFF, *Gesch. d. Kverfassung*, I, 33 ff.; NARDEN WALTER, *Das papsttum und Byzanz*, Berlin, 1903; RANKE L., *Die römischen Papste*, Leipzig, 1878; GRISAR, *Geschichte Roms und der Päpste im Mittelalter*, Freiburg i. B. 1898.

Summarium: 1. De R. Pontificis electione sub imperatoribus romanis. — 2. Sub Gothorum dominatione. — 3. Sub imperio byzantino.

1. De R. Pontificis electione sub imperatoribus romanis.— Pontifices maximi suffragiis cleri ac populi romani designari perrexerunt iuxta morem iamdiu receptum, quovis excluso imperatorum interventu. Res fausto sane eventu se habuere. At historia commemorat Novatianum, primum antipapam, tempore S. Cornelii (a. 251) a quadam factione delectum.

Occasione electionis Damasi prima vice imperatoris in Romani Pontificis electione interventus habitus fuit. Res ita processerunt. Anno 366 vita functo Liberio, clerus populusque romanus iuxta consuetam formam S. Damasum elegit. At improbi quidam homines in Basilica Sicini, Ursicinum vel Ursinum aut Ursicium, ut quibusdam auctoribus placet, nominarunt. Re cognita, clerus et populus fortiter electioni Ursicini restitere. Hinc inde, armis captis, pugnatum fuit. Imperator Valentinianus I, certior de contentione factus ab Italiae Episcopis, Ursicinum eiecit atque Damasum veluti legitimum Pontificem habuit. Ut ex dictis manifesto

liquet, interventus Valentiniani prudentialis potius fuit quam iuridicus, quatenus imperator iure meritoque auctoritate sua intervenit ad Ursicii audaciam compescendam iuraque legitima Damasi tuenda.

Mortuo S. Zosimo, pauci quidam de clero populoque anno 418 Eulalium, Basilicae Lateranensis archidiaconum, elegerunt. Verum maior saniorque cleri et populi pars, accedente suffragio novem episcoporum Bonifacium nominarunt in Basilica S. Mariae Maioris. Praefectus Urbis, cui nomen Symmachus, Eulalii deceptus astutia, ipsi favebat; qua de causa imperator Honorius, perperam a Praefecto de rebus certior factus, iussit Bonifacium eiici atque Eulalium tamquam legitimum Pontificem haberi. Qua praeceptione cognita, optimates nuntios ad imperatorem cum epistolis statim miserunt. Honorius Italiae Episcopos in conventum coegit, quorum ex decreto utrique interim prohibuit ad Urbem accessum, sub poena cuiuslibet iuris amittendi, si quis contraveniret, donec maior Episcoporum numerus post Pascha ad iudicium definitivum conveniret. Uterque contendens scripto decretum approbavit. At Eulalius Basilicam Lateranensem armis occupavit; quam ob rem captus eiectusque fuit. Bonifacius vero, tamquam unus legitimus Pontifex, liber remansit.

Ne autem Eulalius schisma renovaret post mortem Bonifacii, hic ad Honorium litteras dedit. Imperator rescripsit die 1 Iulii 419 duobus ex temeritate contendentibus novam esse faciendam electionem (1). « Sed quaeritur, si duo concertantium temeritate electi fuerint, quis eorum alteri praeferendus sit? De his ita scribit Honorius Augustus ad Bonifacium Papam: Si duo forte contra fas temeritate concertantium fuerint ordinati, nullum ex his futurum sacerdotem permittimus: sed illum in Sede Apostolica permansurum censemus, quem ex numero clericorum nova ordinatione divinum iudicium et *universitatis consensus* elegerit ». In nota vero marginali claritatis causa haec leguntur: « Bonifacius Papa rogavit Imperatorem Honorium, ut conderet legem, qua doceretur quid esset faciendum, si duo apostolici temeritate certantium eligantur. Constituit ergo Honorius, quod neuter illorum duorum sit Papa, sed nova electione communi consensu tertius eligatur ».

(1) C. 8, D. 79.

Ex his patet non sufficere ad valididatem electionis, ut quis maiorem suffragiorum partem in sui favorem obtineat, sed requiri unanimem omnium electorum consensum (1).

Electionem Siricii I (a. 384), Anastasii I (a. 390), Innocentii I (a. 401), ac Zosimi I (a. 417) maxima animorum concordia factam fuisse monumenta testantur. Pontifices autem, imperii tranquillitate ac principum usi benignitate, christianam religionem omnium virium contentione tuendam fovendamque curarunt.

Verum Gothorum rex immanissimus Rhadagasus, Italiam ingressus, omnia ferro ac flamma vastare coepit. Romani, exercitu comparato, in fesulanis montibus, duce Stilicone, eum strenue devincunt. Alaricus, suprema rerum potitus, e Gallia Stiliconem et Romam armis aggreditur. Urbem equidem Romam longam post obsidionem capit, anno christianae salutis duodecimo et quadringentesimo. Hac tamen moderatione Alaricus fertur usus fuisse et clementia, ut suis mandaverit a caede et sanguine, quoad fieri posset, abstinendum; utque confugientibus ad basilicas parceretur (2).

2. **De R. Pontificis electione sub Gothorum imperio.** — Simplicio Pontifice summo vita functo, clerus populùsque simul convenit ad novum Papam iuxta consuetam formam eligendum. Verum praetorii praefectus Basilius, vices gerens Odoacris, publice declaravit se a defuncto Pontifice in mandatis accepisse ne, inaudito rege eiusque ministro, nova fieret electio. Historice non satis constat de mandato Simplicii; forsan prudentiae adscribendum videtur, ad tumultus scilicet vitandos. Populus vero verbis Basilii minime acquievit; qua de causa, rege inaudito, Felicem III (3), Pontificem anno 483 renuntiavit. Decretum Basilii seu Odoacris solemniter reprobatum fuit in synodo romana a. 502. Maxima animorum concordia locum habuit electio Gelasii (a. 492) et Anastasii (a. 496). Fertur Gelasius nuncium primus dedisse Anastasio imperatori de obtento romano pontificatu (4). Non de-

---

(1) Cfr. Hier. Chron.; Rufin. lib. I, cap. 12, lib. II, 10; Socrat. lib. II, cap. 2. lib. IV, cap. 29; Theodoret. lib. II, cap. 15 ss.; Sozomen. lib. IV, cap. 11.

(2) Cfr. Platina, op. cit., p. 46.

(3) Hoc est II, ob allegatam alibi rationem.

(4) Cfr. Rohrbacher, op. cit., IV, p. 824, edit. cit.

sunt tamen auctores qui id negent, aut saltem in dubium revocent, cum haud satis ex historicis monumentis constet.

Qua de re videant peritiores.

Anno 498 Pontifex summus, voto cleri et populi de more accedente, S. Symmachus creatus fuit. Verum senator Festus, cupiditatis causa, tumultu excitato, Laurentium Cardinalem eligi curavit. Partes hinc inde contendentes Thedorico Ostrogothorum regi rem mutuo consilio remiserunt pro decisione. Theodoricus autem in favorem Symmachi iudicium protulit.

Anno 502 Concilium Romanum IV habitum fuit, quo nulla irritaque fuit declarata concessio, quam sibimet a Simplicio factam fuisse Basilius nomine regis asserebat, ut innuimus supra; insuper in eodem Concilio degradationis poena statuta fuit in eos qui, vivente Pontifice, de eius agerent successore, vel qui suum aliis venderent suffragium. Laurentius ipse manu sua subscripsit; at postea regem malitiose decepit atque Symmacho, invidiae causa, plurima obiecit delicta. Theodoricus episcopum visitatorem Urbis misit. Verum Symmachus restitit, merito asserens se non a saeculari principe auctoritatem obtinuisse, sed a Christo, ipsique proinde dumtaxat obnoxium esse. Nihilominus causam suipsius episcoporum iudicio libenter remisit. Tunc rex iussit episcopos in conventum coire. At superioris Italiae praesules Ravennam convenientes, protestati sunt se absque Romani Pontificis mandato in concilium cogi minime posse. Episcopi quoque Galliae eamdem professi sunt declarationem; S. Avito autem Viennensi episcopo munus commissum fuit ad Senatum Romanum scribendi; qui reapse pulcherrimam maximeque opportunam concinnavit epistolam (1).

Synodo vero habita centum et viginti episcoporum, Symmachus obiecta ab adversariis diluit, accusationes refellit, suam egregie probat innocentiam, ita ut, Laurentio iterum Roma pulso, tamquam verus legitimusque Pontifex omnium mira sententia proclametur.

Hormisda I patria Frosinonius communi cleri plebisque consensu (a. 514) Pontifex renuntiatus, certiorem de sua electione

---

(1) Platina, op. cit., p. 53; Bibliothec. *Dialog.* lib. IV, cap. 40.

Theodoricum facit eoque adhortante provincialem synodum in Urbe habet (1).

Ei succedit Ioannes I (a. 523), qui haud sine difficultate romanum assequitur pontificatum ob Theodorici interventum. Huius audacia eo usque pervenit ut Pontificem in carcerem propere coniiciat, ac parum absit quin suapte manu illum interimat (2).

Vita functo Ioanne I, Theodoricus, ostrogothorum rex, Felicem IV anno 526 Papam elingedum curavit. Verum populus et clerus per quinquaginta dies forti animo contra regalem usurpationem protestatus est; dein, controversiae propulsandae gratia, Felicem tamquam verum legitimumque Pontificem acceptavit.

Rex autem pollicitus est deinceps Papae electionem liberam fore, at cum *assensu principis et tributo* (3).

Exemplum Theodorici teterrimos peperit effectus in Ecclesiae libertatis detrimentum. Etenim, ut ex dicendis apparebit, successores Gothorum reges, nec non constantinopolitani imperatores, ac serius galli atque theutonici principes ius sibi vindicabunt confirmandi electionem Antistitis Romani et aliquando ipsum etiam nominandi.

Felix IV moriturus archidiaconum S. Caeciliae sibi successorem designavit, qui nomen accepit Bonifacii II (a. 530).

De historica huius facti veritate hodie dubitari nequit, ut fuse superius probavimus (4).

At quidam de clero ac populo Dioscorum Papam renuntiarunt, favente Athalarico. Hinc oborta gravis contentio, quae nonnisi post obitum Dioscori finem habuit.

Athalaricus tributum trium millium aureorum statuit pro regia Pontificis approbatione seu pro confirmatione electionis. « Et quia omnia decet sub ratione moderari, nec possunt dici iusta quae nimia sunt, cum de apostolici consecratione Pontificis intentio fortasse pervenerit et ad palatium nostrum producta fuerit altercatio populorum suggerentes nobis, intra tria millia solidorum cum collectione chartarum censemus accipere » (5).

---

(1) Cfr. PLATINA, op. cit., p. 54.
(2) ROHRBACHER, op. cit., V, p. 79, edit. cit.
(3) Cfr. PANVIN. op. cit., p. 28.
(4) Cfr. p. 193-198. h. v.
(5) Apud Cassiod. *Varior.*, lib. 9, ep. 15.

Quibus ex verbis sedulo perpensis merito nonnulli auctores eruunt dictum tributum non ab unoquoque Pontifice recens electo solvendum fuisse, sed tantum cum *altercatio* contigisset quoad personam electam et res principis iudicio diluenda proposita esset (1).

Bonifacius II exemplum decessoris Felicis secutus sibi successorem elegit in basilica S. Petri Vigilium, praesentibus presbyteris et diaconis atque patritiis urbis. Verum paulo post eiusmodi electionem retractavit (2).

Eo vita functo, Ioannes II (a. 533) Papa renuntiatur, post satis diuturnam Sedis Apostolicae vacationem ac dira animorum dissidia, quae ex necessitate praecipue regalis confirmationis ortum habuerunt, historia teste (3).

Agapitus I (a. 535) Papa eligitur, de consensu Theodati Gothorum in Italia regis, absque ulla controversia. Quo defuncto (a. 536), Theodatus, clero populoque romano plane inscio, ipsemet Pontificem Silverium creat, poenam capitis decernens contra eos qui eiusmodi electioni contradicere auderent. Clerus et populus, ad maiora vitanda mala, suffragio suo accessit, idest ratam habuit Silverii electionem (4).

Interea, instigante Vigilio diacono, Theodora Augusta Silverio papae mandat ut, pulso Menna ab urbe constantinopolitana, Antimum revocet ob eutychianam haeresim damnatum ac inde pulsum. Cum autem id facere Pontifex recusaret, mulier apud Belisarium instat ut Vigilius in locum Silverii subrogetur. Testes nefarie subornati affirmant Silverium Romam Gothis prodere voluisse; quam ob rem in Pontiam insulam relegatur. Interea vero Vigilius, iubente Theodora Augusta, Romanus Pontifex a Belisario proclamatur.

Mortuo Silverio (a. 538), clerus et populos suffragio suo accessit, sicque Vigilius tamquam legitimus Pontifex agnitus fuit.

3. **De electione R. Pontificis sub imperio byzantino.** — Devictis Ostrogothis, Iustinianus anno 552 solemni decreto statuit episcoporum Italiae ac Romani Pontificis electionem ab im-

(1) Cfr. Bianchi, op. cit., lib. IV, cap. III, § 2.
(2) Cfr. p. 198 ss. h.v.
(3) Rohrbacher, V, p. 91,edit. cit.
(4) Platina, op. cit., p. 58; Rohrbacher, V, p. 155, edit. cit.

peratore esse confirmandam. Proinde Papae creatio ita locum habebat: clerus, accedente suffragio populi, Pontificem designabat, qui a Senatu et a militibus salutabatur; interim confirmatio imperatoris exquirebatur, qua accepta, delectus Papa consecrationem accipiebat.

Ecclesia, gravissimis permota rationibus, id tolerandum censuit, ne a sua communione Ecclesias orientales sat ab haereticis exagitatas alienaret; praeterea cum in Occidente adessent reges adhuc ariani aut pagani, auxilio imperatoris constantinopolitani indigebat tot tantisque obrepta aerumnis.

Res ita sese habuerunt usque ad Benedictum II spatio circiter centum ac triginta annorum. Quo tempore Romani Pontifices, duobus exceptis Pelagio II et Bonifacio V, omnes praevia imperatoris confirmatione, consecrati fuere. Hi Pontifices sunt: Pelagius I (a. 556), Ioannes III (a. 561), Benedictus I (a. 575), Gregorius I (a. 590), Sabinianus (a. 606), Bonifacius III (a. 607), Bonifacius IV (a. 608), Deusdedit (a. 615), Bonifacius V (a. 618), Honorius I (a. 625), Severinus (a. 640), Ioannes IV (a. 640), Theodorus (a. 642), Martinus I (a. 649), Eugenius I (a. 643), Vitalianus (a. 657), Adeodatus II (a. 672), Donus seu Domnus (1) (a. 676) Agatho (a. 678), Leo II (a. 682), Benedictus II (a. 684).

Pelagius II (a. 579) *iniussu principis* Pontifex renuntiatus fuit, teste Platina, ea profecto ratione quia, urbe ab hostibus obsessa, de re certior fieri haud potuit imperator. Facta tamen electione Pelagius, ubi primum ei licuit, legatos Constantinopolim. ad imperatorem misit.

« Longobardi usque ad fretum Siculum pervenere, urbes Italiae in potestatem suam redigentes. Quo minus vero urbe Roma diu obsessa potirentur, fecere imbres, et quidem frequentes: quibus hostes a moenibus propelluntur. Tanta enim tum aquarum inundatio fuit, ut Noe diluvium renovatum crederetur. *Haec autem una causa fuit, quare Pelagius iniussu principis tum pontifex creatus sit, cum extra obsessam ab hoste urbem mitti quispiam non posset. Nil enim tum a clero in eligendo pontifice actum erat, nisi electionem imperator approbasset. Missus itaque Constanti-*

(1) Sic legitur in antiquo musivo quod est Romae in ecclesia sanctae Martinae.

nopolim ad placandum imperatorem Gregorius diaconus vir optimus atque doctissimus » (1).

Verum id non satis accurate tradit Platina. Nam sub Iustiniano imperatore, Gothis per Narsem pulsis ac urbe Roma orientalis imperii parte facta, ex auctoritate Vigilii papae novus quidam inolevit mos in comitiis pontificiis. Sane, dum prius idem erat dies comitiorum et consecrationis Papae, aliter res postea se habuit. Etenim, mortuo Antistite Romano, nova electio more maiorum statim a clero populoque fiebat; verum electus non ante consecrari poterat, quam eius electionem imperator constantinopolitanus confirmasset ac litteris suis patentibus eidem tribuisset, ut ordinari et consecrari posset. Pro qua licentia obtinenda certam electus pecuniae quantitatem solvere debebat.

Haec consuetudo usque ad Benedictum II perduravit, cuius sanctitate permotus Constantinus imperator Heraclii pronepos, edicto suo iussit, ut deinceps quem clerus et populus romanus Pontificem summum elegisset, is nulla amplius imperatoris confirmatione expectata, statim ab episcopis ordinaretur.

Etiam Bonifacius V electus et consecratus fuit die 24 decembris a. 618 absque imperatoris confirmatione, ne ob peculiaria temporum adiuncta vacatio diuturna Apostolicae Sedis in Ecclesiae detrimentum vergeret (2).

Constantinus IV, Constantis filius, *Pogonatus* ab historicis passim dictus, anno 678 ad preces Agathonis papae tributo solvendo pro regia confirmatione renuntiavit. Item anno 684, post electionem Benedicti II, abrogatam declaravit ipsam de imperatoris confirmatione legem, decernens « ut quem deinceps clerus, populus exercitusque romanus Pontificem delegisset, is plenam obtineret potestatem, nulla aut Constantinopolitani principis aut Italiae exarchi expectata auctoritate ».

Panvinius sic refert (3): « Huius Pontificis vere sanctissimi fama permotus imperator Constantinus Augustus privilegium Ecclesiae Romanae dedit, ut electus in Romanum Pontificem statim

---

(1) Platina, op. cit., p. 62.
(2) Cenni, *in Anast.* 4, edit. romana, p. 20; Rohrbacher, V, p. 416.
(3) Op. cit., p. 32.

Pontifex ordinaretur, non expectata amplius imperiali confirmatione (ut mos erat) in consecratione Romani Pontificis ».

Item Platina (1): « Ad hunc autem (Benedict. II) Constantinus imperator hominis sanctitate permotus, sanctionem misit, ut deinceps quem clerus, populus exercitusque romanus in Pontificem elegisset, eumdem statim verum Christi vicarium esse omnes crederent, nulla constantinopolitani principis aut Italiae exarchi expectata auctoritate, ut antea fieri consueverat. Id enim ratum erat creando Pontifice, quod princeps confirmasset, vel qui eius vices in Italia gerebat ».

Quo profecto eventu id actum fuerit, nemo est qui ignoret, cum plena omnino libertate R. Pontifex sit eligendus, quin regum vel imperatorum placitis obnoxia fiat.

Ioannes V (a. 685), uno omnium consensu Pontifex renuntiatus, multa post tempora consecratur nulla petita confirmatione ex parte imperatoris aut exarchae.

Vita functo Ioanne V anno 686, populo et clero bifariam diviso, schisma obortum est. Alii enim in R. Pontificem Petrum archipresbyterum S. R. E. elegerunt, alii Theodorum Cardinalem presbyterum. Cum dissidia longius protraherentur et alter alteri cedere nollet, de consilio antiquorum presbyterorum actum est ut uterque electus suam abnueret nominationem, tertiusque in amborum locum subrogaretur. Quod re ipsa factum est. Nam ex consensu totius cleri et populi, Papa creatus est (a. 686) Conon, natione trax, patria tomitanus (2).

Quidam auctores, ut Rohrbacher (3) et Audisio (4), docent post electionem Cononis missos fuisse legatos ad exarcham Theodorum, eiusdem significandae causa. Verum haud satis de hoc constat, cum vetera documenta sileant.

Defuncto Cononе, novi deligendi Pontificis occasione tumultus ac seditio ingens excitata est inter clerum et populum. Alii Paschalem designabant, alii Theodorum. Hinc inde acriter disceptatum fuit. Tertius de sententia maioris saniorisque clericorum partis

(1) Op. cit., p. 76.
(2) Panvinius, op. cit., p. 33.
(3) Op. cit., V, p. 724.
(4) Op. cit., II, p. 315.

electus fuit, Sergius I nempe natione syrus, patria palermitanus (a. 687).

Exarcha ravennatensis a Paschali rogatus Romam profectus est, ut eum in Pontificem maximum nominandum curaret. At eo pervenit, electione iam rite facta.

Cum imperatores eorumque in Italia vices gerentes quam maxime negligerent italas res, sensim sine sensu contigit ut populus romanus administrativum etiam Urbis regimen Pontifici tribueret eiusque iudicio negotia ipsamet temporalia subiiceret. Hinc rariores factae sunt relationes Urbem inter et imperium ac ideo necessitas defuit regalem confirmationem postulandi in Romanis Pontificibus eligendis.

Equidem Ioannes VI (a. 701), Ioannes VII (a. 705), Sisinius (a. 708) (5), Constantinus I (a. 708), Gregorius II (a. 715), Gregorius III (a. 731) et Zacharias (a. 741), nulla interposita imperatoris aut exarchae auctoritate, electi et consecrati fuerunt (2). Item dicas de Stephano II (a. 752) qui tertia die pontificatus sui morbo apoplexiae correptus interiit, antequam consecratus fuisset. De hoc Pontifice ne verbum quidem faciunt plurimi auctores.

Panvinius ad rem ait (3): « Hunc scriptores RR. Pontificum in numero Paparum non recensent. Opinor quia consecratus non fuerit, et propter temporis brevitatem; quod haud recte factum est, quia et legitime creatus fuerit; et vir ingentis spiritus ac animi semper existimatus fuit. Eum in Pontificum Romanorum numero ponere nobis placuit, notam tamen nominis non addimus propter vitandam confusionem ».

Stephanus II (seu III) paulo post, universis cleri ac populi suffragiis Papa renuntiatur. Is, tyrannide Astulphi Longobardorum regis coactus, Pipinum in Italiam prō Urbis praesidio ex Gallia evocat, qui, Longobardis strenue profligatis, aequas conditiones pacis acceptari compellit.

Stephano defuncto (a. 757), schisma ortum est; nam Theophilactum archidiaconum quidam eligere optabant; alii Paulum diaconum, patria romanum. Post diras contentiones populus et

---

(1) Vel Sisinius aut Zosimus, ut aliis placet.

(2) PLATINA, p. 84 ss.; PANVINIUS, p. 35 ss.

(3) Op. cit., p. 37.

clerus, cognita Pauli virtute, una sententia in Sede Apostolica Paulum confirmarunt (1).

Post obitum Pauli I (a. 767). Toto dux Nepesinus, instigante Desiderio Longobardorum rege, Constantinum fratrem adhuc laicum in R. Pontificem contra canones, invito clero, eligere contendit. Romam cum exercitu profectus, Constantinum faventibus amicis muneribus corruptis, Papam creat ac Georgium Ostiensem episcopum invitum et reluctantem eum ordinare et consecrare adigit.

Item quidam clerici et laici, favente Valdiperto, in Pontificem eligunt Philippum presbyterum card. monachum et abbatem s. Viti in Urbe. Is post annum circiter coactus se pontificatu abdicat atque ad suum revertitur monasterium.

Constantinus vero qui vi et armis anno uno, mense uno et diebus undecim pontificiam dignitatem sacrilege obtinuit, ab universo clero et populo reiectus Pontificatui romano invitus cedit.

Stephanus III seu IV (a. 768) more maiorum creatus, Synodo coacta in basilica s. Petri, Constantinum invasorem Apostolicae Sedis damnat eiusque omnia acta gesta et constituta irrita declarat; ac legem fert, qua decernit nullum esse eligendum in Pontificem Romanum qui Cardinalis diaconus aut presbyter non sit (2).

Hadrianus I (a. 772) clero et populo unanimiter assentiente eligitur sine interventu principis, iuxta morem iamdiu receptum. Hic Pontifex contra Desiderium Longobardorum regem Carolum Magnum ex Gallia vocat, qui, Alpibus cum ingenti exercitu superatis, Longobardos devincit ac Desiderium Ticini diu obsessum tandem deditionem facere atque una cum uxore et liberis exulare cogit. Sic Longobardorum regnum finem habuit.

ARTICULUS V.

Electio RR. Pontificum sub Francorum et Germanorum regibus.

Bibliographia: Azorius, l. c.; Barbosa, l. c.; Baronius, ad an. 747 964 et alibi passim.; Bonacina, l. c.; Cavagnis, l. c.; Ciaconius, II, p. 46 ss.; Fagnanus, *in c. Accepimus, de pactis, lib. I, Decret.*; Gonzales in cit. caput *Accepimus.* n. 8 ss.; Bellarminus, *De Summo Pontifice*, lib. II, cap. 29; Pasquierius, *Disquisit.*, lib. III, cap. 35; Passerini, op. cit.,

(1) Platina, op. cit., p. 88; Panvinius. op. cit., p. 37.
(2) Cfr. c. 3, 4, 5 D. 79.

p. 15; CARD. PETRA, *Comm. in Constit. 5 Clementis VI*, n. 20 ss.; PIGNATELLI, op. cit., to. IX, *consult.*, LXVII; SUAREZ, *De fidei defens.*, lib. III, cap. 29, n. 7; MANSI, *Sacrorum conciliorum nova et amplissima collectio*, Venetiis 1759-1798; JAFFE, *Regesta Pontificum Romanorum*, ad annum 1198, Ewald et Loewenfeld. 1881 ss.; HEMMERICH, *De iure Augusti Imperatoris circa constituendum Ecclesiae Romanae caput*, Ienae 1740; GOLDATUS, *Constitutionum imperialium*, to. I, p. 25 ss.; PERTZ, *Monumenta Germaniae historica*. to. III, p. 167, ss.; MAI, *Spicilegium romanum*, Romae 1839-44; MAMACHI, *Originum et antiquitatum christianarum*, libri XX, Romae 1752; GOLDHAST, *Monarchia S. Romani imperii*, Hanovriae, 1611; HARDUINUS, *Collectio regia maxima conciliorum*, Parisiis, 1715; CAMARDA, *Constitutionum Apostolicarum, una cum caeremoniali gregoriano et pertinentibus ad electionem papae, synopsis accurata et plana, nec non elucidatio omnium fere difficultatum quae evenire possunt circa electionem Romani Pontificis*, Reate, 1737; CAIETANUS, *De divina pontificatus Romani Pontificis institutione et auctoritate*, Coloniae, 1521; BZOVIUS, *Romanus Pontifex, seu de praestantia, officio, auctoritate, virtutibus, felicitate rebusque, praeclare gestis Summorum Pontificum a D. Petro ad Paulum V, Commentarius*, Coloniae, 1619; eiusdem auctoris, *Annalium eccl.*, to. 13-21, Romae 1616-1672; LAEMMER, *Meletematum romanorum Mantissa*, Ratisbonae, 1875; PALESTINI, *Antiquitatum sive originum ecclesiasticarum summa ex probatissimis scriptoribus desumpta*, Augustae Vindelii, 1767; PANVINIUS, *Epitome vitarum RR. Pontificum a S. Petro usque ad Paulum IV*, Venetiis, 1567; eiusdem auctoris. *De varia creatione papae, sive Romanorum Pontificum*, libri V, Patavii, 1648; PLATINA, *Liber de vita Christi ac de vitis Summ. Pontif. omnium*, Venetiis, 1479; POTTHAST, *Regesta Pontificum Romanorum 1198-1305*, Berol, 1874-75; RAYNALDUS, *Annales*, Romae 1647-1677; ROCCABERTI, *Bibliotheca maxima pontificia*, Romae, 1695-1699; PAGI, *Breviarium historico-chronologico-criticum*, Antwerpiae, 1748; ROSELLIS, *Monarchia seu de potestate Pontificis maximi romanique imperatoris*, Venetis, 1483; TURRECREMATA. *Summa de Ecclesia*, Venetiis 1561; eiusdem auctoris, *De potestate papae et concilii generalis auctoritate*, Coloniae, 1800; BUDER, *Vindiciae, iuris imperatorii adversus Urbis Romae Episcopos*, Jena, 1719; BURCHARD-MAI, *De Romani Pontificis electione Caesarumque circa eam iura*, Kiel, 1729; GEISSAU A. F., *Historica narratio iuris, quod imperatores in approbandis Pontificibus Romanis habuerunt*, Wien, 1782; HAHN, *De electione Summi Pontificis*, Mainz, 1721; HAMMER, *De iure principis catholici circa sacra*, Heidelberg, 1774; HOFFMANN JO., *Commentatio iur. publ. eccles. de iure constituendi Pontifices atque antistites ecclesiasticos ab imperatoribus Romanorum, Caesaribus et regibus Francorum et Romano Germanicis usurpato*, Marburg, 1782; LÖWEN C. CH. *De iure principis catholici circa sacra*, Bamberg, 1754; SCHÖNMANN CARL TRAUGOTT, *De electione Romani Pontificis, Roma non libera, iuxta constitutiones apostolicas valide peragenda*, Göttingen, 1798.

AUDISIO, *Storia religiosa e civile dei Papi*, Roma, 1864-66; BERTHELET G., *La elezione del Papa, Storia e documenti*, Roma, 1903; HERGENRÖTHER,

La storia dei Papi, Milano, 1895; *Storia universale della Chiesa.* Prima trad. italiana del P. Enrico Rosa S. I.. Firenze, 1905 ss.; PASTOR, *Storia dei Papi dalla fine del medio evo, compilata col sussidio dell'Archivio segreto pontificio e di molti archivii.* Nuova versione italiana del sac. prof. Angelo Mercati, Roma, 1900 ss.

L. LECTOR, *Le conclave*, p. 23 ss.; *L'élection papale*, p. 10 ss.; DERS, op. cit., p. 18 ss., BOUIX, *De l'élection du Souverain Pontife*, in *Revue des sciences ecclésiastiques*, Arras, 1864; CHEVALLIER, *Répertoire des sources historiques du moyen-âge*, Paris, 1877-1883; MIROT LEON, *La politique pontificale et le retour du S. Siège à Rome en 1376*, Paris, 1899; LANFREY P., *Histoire politique des Papes*, Paris, 1869; MOLLAT G., *Les Papes d'Avignon (1305-1378)*, Paris 1912; CHÉNON E., *Histoire des rapports de l'Église et de l'État du* Ire *au* XXe *siècle*, Paris, 1913.

DU MOLIN ECKART R., *Deutschland und Rome*, München, 1904; RANKE LEOPOLD, *Die romischen Papste*, Leipzig, 1878; PASTOR, *Geschichte der Päpste*, Freiburg i. B. 1892; GRISAR, *Geschichte Roms und der Päpste im Mittelalter*, Freiburg i. B. 1898; SCHEFFER-BOICHORST P., *Die neuordunng der Papstwah durch Nikolaus II*, Strassburg, 1879; SOUCHON MARTIN, *Die Papstwahlen von Bonifatius VIII bis Urban VI und die Entstehung des Schismas 1378*, Braunschweig 1888; DOPFFEL H., *Kaisertum und Papstwechsel unter den Karolingern*, Freiburg i. B. 1889; HEIMBUCHER MAX, *Die Papstwahlen unter den Karolingern*, Augsburg, 1889; PFLUG-K-HARTTUNG, *Die Papstwahlen und das Kaisertum (1046-1328)*, Gotha 1908; HERRE PAUL, *Papsttum und Papstwahl im Zeitalter Philipps II*, Leipzig, 1907; DERS, *Kathol. Kirche u. christl.*, Staat 1872; HINSCHIUS, *K. R.* I, 217; ZÖPFFEL, *Die Papstwahlen u. d. m. ihnen im nächsten Zusammenhang stehend. Zeremonien in ihr. Entwickl. v. 11 bis 14 Jhdt* 1812; TH GRANDERATH, *Die Papstwahl in Stimmen a. M. L. 1874*, I, 401 ff.; O. LORENZ, *Papstwahl u. Kaisertum*, 1874; L. GAUGUSCH, *Das Rechtsinstitut d. Papstwahl*, 1905; H. J. WURM, *Die Papstwahl. Ihre Gesch. u. Gebräuche*, 1902; K. LAMPRECHT, *Die röm. Frage v. König Pipin b. auf Kaiser Ludwig d. Fr.* 1889; H. J. FLOSS, *Die Papstwahl unt d. Ottonen*, 1858; TH. SICKEL, *Das privilegium Ottos I, f. d. röm. K.* 1883; MARTENS, *Die Besetzung d. päpstl. Stuhles unter d. Kaisern Heinrich III. u. Heinrich IV (Z. f. K. R. XX*, 1885, 139 ff.); E. FISCHER, *Der Patriziat Heinr. III u. Heinr. IV*, 1908; HAUCK, *Geschichte Deutschlands III*, 1906, 683; PFLUGK-HARTTUNG, *Das Papstwahldekret d. Jahres 1059 (Mitt. d. Inst. f. österr. Gfschg*, XXVII, 1906, 11 ff.); R. BAXMANN, *Die Politik der Päpste von Gregor I bis auf Gregor VII (Elberfeld* 1868, I. S. 27 ff. II. 1860, S. 1); C. BAYET, *B. H.* XXIV, S. 49 ff.; J. LANGER, *Geschichte der röm. Kirche*, I, II. Bonn, 1885; E. MICHAEL, *Th. Qu. Sch.*, XXIII, S. 191; M. SOUCHON, *Die Papstwahlen von Bonifaz VIII bis Urban VI*, Braunschweig, 1888; *Die Papstwahlen in der Zeit des grossen Schismas*, Braunschweig, 1898; WEIZSÄCKER, *Jahrb. für deutsche Thelogie*, XVII, S. 501 ff.; KNÖPFLER, *Die Wahl Gregors VII.*, *Hist. polit.*, Blätter. 1884, S. 494; PAMER, *Die Papstwahl zur Zeit Nikolaus II;* FETZER, *Vorunter-*

suchungen zur Geschichte Alexanders II, Strassburg, 1887 : BERNHARDI, *Konrad III* (*Jahrbücher der deutschen Geschichte*, I, 1883, 156); MAYER-KNONAU, *Jahrbücher des Deutschen Reiches unter Heinrich IV und Heinrich V*, 1890, II, S., 209 ff.; L. M. HARTMANN, *Geschichte Italiens in M. A.*, II, 1, S., 160 ff.; REUTER, *Geschichte Alexander III und die Kirche seiner Zeit;* NEHER, *K. L.* II, S., 1955 ff.; SÄGMÜLLER, *Th. Qu.* LXXXII, S., 69 ff.; *Die Tatigkeit und Stellung der Kardinälle bis Papst Bonifaz VIII*, Freiburg i. B. 1876; *Zur Geschichte des Kardinalats*, Rom, 1893; SCHNEIDER, *Quellen, Forschungen aus ital. Archiven*, IX, S., 1 ff.; L. WAHRMUND, *A. K. K. R.*, LXVIII 3 ff.; K. WENCK, *Pr. Jhb. LIII, S. 429 ff. G. G. A., 1900*, S. 139 ff.

Summarium: 1. Electio RR. Pontificum saeculo IX. — 2. Electio RR. Pontificum saeculo X. — 3. Electio RR. Pontificum saeculo XI. — 4. Electio RR. Pontificum saeculo XII. — 5. Electio RR. Pontificum saeculo XIII. — 6. Electio RR. Pontificum saeculo XIV. — 7. Schisma occidentale.

1. **Electio RR. Pontificum saeculo IX.** — « Carolus Magnus ea omnia quae Longobardi sub regibus Astulpho, Luitprando et Desiderio, romanis et constantinopolitanis imperatoribus adempta iuris sui fecerant, ut Exarchatum Ravennatem, Romandiolam, Picoenum, Umbriam et Thusciae partem beato papae Hadriano et Apostolicae Sedi in perpetuum donavit; ac Urbem Romam liberam esse voluit » (1).

Leo III (a. 795) una cleri et populi sententia electus fuit. Hic Carolum M. Francorum regem ob egregia in christianum nomen et Sedis Apostolicae merita *patritium* ac *imperatorem* romanum appellavit solemnique ritu die Natalis Domini (a. 800) consecravit, pristinam imperatoris dignitatem fausto numine restituens.

Stephanus IV seu V (a. 816), primus post aliquot annos, de sua electione imperatorem per legatos certiorem fecit. Id enim ex dignitate ac munere imperatoris romani profluebat, quippe qui *ius advocatiae* seu defensionis in favorem R. Pontificis ac Sedis Apostolicae exercere tenebatur.

Paschalis I (a. 817) « nulla interposita imperatoris auctoritate Pontifex creatur; hanc ob rem ubi pontificatum iniit, statim legatos ad Ludovicum misit, qui eius rei culpam omnem in clerum et populum reicerent, quod ab his coactus esset pontificium munus obire. Accepta hac satisfactione, Ludovicus respondit po-

(1) PANVINIUS, op. cit., p. 39.

pulo et clero maiorum instituta et pacta servanda esse, caverent ne deinceps maiestatem laederent ». Ita Platina (1), cuius sententiam plures hodierni scriptores sequuntur.

At minus recte, ni fallimur, id effutiunt. Nam moris tunc erat ut post consecrationem Papa legatos ad imperatorem mitteret, qui de R. Pontificis electione eum certiorem facerent, ut manifesto liquet ex cc. 29 et 30 D. 63.

Re sane vera Paschalis, teste Iginio (2), non veniae petendae causa legatos misit utpote si electus fuisset contra imperatoris voluntatem, verum ut ei significaret se cleri populique communi sententia invitum ac reluctantem creatum fuisse. Ludovicus pactum edidit seu *diploma* quo donationes R. Pontifici a decessoribus factas confirmat, simulque statuit electionem Papae ad clerum et populum romanum spectare, et post consecrationem delecti Pontificis legatos ad reges Francorum esse mittendos amicitiae et pacis inter Sedem Apostolicam ac regnum consociandae causa (3).

Non desunt auctores qui putent Ludovicum sic derogasse consuetudini mittendi ad regem legatos ante Pontificis consecrationem. Verum haud recte id asseritur. Etenim *diploma* Ludovici est pactum *confirmationis* (4), quo scilicet ratum firmumque declaratur id quod prius iam existebat. Praeterea ex historia constat Pontifices statim post electionem, seu die immediate subsequenti, consecrari consuevisse, ita ut tempus nequaquam suppeteret mittendi legatos eosque expectandi. V. gr. Leo III electus fuit die 26 dec. 795, et die 27 eiusdem mensis consecratus; item Stephanus die 21 iun. 816 creatus, die 22 consecratus est; pariter Paschalis I Papa renuntiatus fuit die 25 ian. 817, et consacratus die 27.

Serius, nempe inde ab Eugenio II, de quo modo, mos erit ut electio R. Pontificis ante consecrationem regi notificetur et nonnisi eiusdem legatis praesentibus Papa consecretur.

---

(1) Op. cit., p. 95.

(2) Ad an. 817.

(3) Cfr. c. 30, D. 63; Baluz., op. cit., I, p. 596; Rohrbacher, VI, p. 303 ss.

(4) Cfr. c. 30, D. 63.

Cum diem supremum obiisset Paschalis I (a. 824), schisma ortum est. Quidam Anthemium in R. Pontificem eligi optabant, quidam Eugenium Card. archipresbyterum tituli S. Sabinae. Eiusmodi schisma haud levis momenti fuisse significant ea quae post electum probatumque Eugenium evenisse constat. Ob Romanorum enim implacabiles dissensiones necesse fuit ut Ludovicus filium Lotharium Romam mitteret. Imperator enim tum de Eugenii electione tum de schismate oborto certior factus fuerat.

Sane in *Vita Ludovici Pii imperatoris* haec leguntur: « Post expletam consecrationem solemnem legatos cum epistola apologetica et maximis muneribus imperatori Paschalis misit, insinuans non se ambitione ac voluntate, sed electione et populi acclamatione, huic succubuisse potius quam insiluisse dignitati » (1). Lotharius pacifice in Urbe rebus compositis, edendam censuit constitutionem, cuius summa capita quae huc faciunt sequentia sunt: 1° electio Papae libere iuxta canones fieri debet, quin servus aut liber, quicumque is sit, aliquod impedimentum inferat; 2° ius eligendi Pontificem illis dumtaxat competit Romanis, « quibus antiqua fuit consuetudo concessa per Constitutionem sanctorum Patrum »; 3° electus in R. Pontificem consecrari nequit nisi prius coram populo et legatis imperialibus de iuribus tuendis servandisque iuramentum emiserit (2).

Ad imperatores proinde neve electio RR. Pontificum spectabat neve confirmatio, quod sedulo animadverti oportet, cum plurimi auctores hac de re minus recte disserant.

Id unum tunc temporis requirebatur ex allegata Constitutione, ut nempe consecratio *praesentibus imperatoris legatis* perficeretur.

Quoad Valentinum, qui (a. 827) immediate Eugenio II successit, controvertitur num consecratis fuerit praesentibus imperatoris legatis, necne.

Quidam putant electum et consecratum esse absque legatorum praesentia, ut Lector (3); quidam censent solemnibus ritibus consecratum non fuisse, utpote qui morte praeventus diem supre-

---

(1) Cfr. Baron. ad an. 817, n. 4.
(2) Cfr. Paul. diacon., to. I, p. 647; Baron. ad an. 824, n. 14.
(3) Op. cit., p. 33.

mum obiit unum circiter post mensem a romano obtento pontificatu. Horum sententiam nos quoque, re diligenter attenta, amplectimur.

Gregorius IV (a. 827) electus et consecratus fuit coram legatis imperialibus.

Eo demortuo (a. 844), cum cleri procères et romanae Urbis optimates universusque Ecclesiae populus pro eligendo Pontifice in unum coiissent, una omnium sententia Sergius archipresbyter, quasi afflante numine, Pontifex creatus est. At repente Ioannes quidam nomine, diaconus romanae Ecclesiae, in tantum amentiae erupit atque insaniae ut persuaso quodam imperito et agresti satis populo, seditiosorum manu, in patriarchium per vim, fractis ianuis, cum bellicis telis ingrederetur legem et ordinationem traditionum transgressus. Tanta Ioannis repressa audacia, Sergius, acclamantibus clericis et optimatibus universoque populo, in basilica S. Petri solemni ritu consecratus fuit, legatis imperialibus haud expectatis ob rerum peculiaria adiuncta (1).

Leo IV (a. 847) iuxta canones et veterem traditionem rite creatus, nuntium de sua electione imperatori dedit ac duos menses imperiales legatos, antequam consecraretur, expectavit. Demum, urgente Saracenorum incursione, consecratus fuit, absentibus legatis. Hic Leo est qui, Vaticano propter repentinas Saracenorum invasiones muris cincto, Urbem fecit eamque suo nomine dedicatam Leonianam vel Leoninam nuncupavit.

Ferunt quidam auctores, v. gr. Baronius (2), Leonem IV obstitisse Lothario et Ludovico sibi vindicantibus confirmationem R. Pontificis electi, vel qualecumque aliud ius quod sibi iidem imperatores in eiusdem electione vel consecratione arrogare praesumebant. Hac de re tamen ex historia certo haudquaquam constat (3).

Leone IV defuncto (a. 855), absque mora in locum eius om-

---

(1) Cfr. ANAST., in vita Sergii II; BARON. ad an. 844, n. 2 ss.

(2) Ad an. 847, n. 10.

(3) Leoni IV fabula refert successisse Ioannam papissam. Mendosam narrationem a Martino Polono confictam scriptores rerum historicarum, ne uno quidem excepto, omnes communi sententia reiiciunt. Veteribus etiam historicis falsitas narrationis innotuit. Cfr. CIACON in Plat. vita Ioannis VIII, pag. 102 ss.: PANVIN., op. cit., pag. 42.

nium consensu subrogatur Benedictus III patria romanus, presbyter tituli S. Callisti.

Decretum electionis ad imperatorem mittitur eiusque legati expectantur. Interea vero factione pravorum intruditur Anastasius presbyter tituli S. Marcelli excommunicatus, cui ipsimet legati imperiales favent. At magna constantia clerus populusque restitit. Diras post contentiones Anastasius reiicitur, et in basilica S. Petri coram universo clero, et proceribus urbis ac imperatoris legatis, Benedictus consecratus ordinatusque est Pontifex (1).

Num id consentientibus Lothario ac Ludovico Augustis factum fuerit, necne, controvertitur.

Baronius expressis verbis affirmat: « Fuit iste penitus conatus imperatoris Ludovici, qui videns in electione Pontificis nullam haberi rationem imperatoris, in odium romani cleri, liberis suffragiis eligentis Pontificem, studuit provehere in Sedem Apostolicam hominem illum perditissimum » (2).

De hoc tamen non satis constat.

Nicolaus I, vir omni virtutum genere praeclarissimus, invitus ab universo clero, populo et senatu Papa eligitur (a. 858) ac praesente Ludovico imperatore in basilica beati Petri solemni ritu consecratur.

Adrianus II (a. 867) clero suffragante ac universa urbe Papa creatur, quin legati imperiales electioni interfuerint; et iuxta priscam consuetudinem nuntium de electione imperatori traditur. Cur legati imperiales, etsi Romae commorantes, electioni haud interfuerunt?

Huic quaestioni respondet c. 29 D. 63 ubi haec leguntur: « Cum Adrianus II ad Romanum Pontificatum ab Ecclesia Dei genitricis Dominae nostrae, quae dicitur ad praesepe, traheretur ad Lateranense patriarchium, certatim a populo et clero et proceribus deportatus est.

« Quod audientes missi Ludovici imperatoris moleste tulerunt, et indignati sunt, quod dum praesentes essent non fuerunt invitati, nec optatae a se futuri praesulis electioni interesse me-

---

(1) Panvinius, op. cit, p. 43; Platina, op. cit., p. 105; Anastasius, bibliothec. in vita Benedicti III.

(2) Ad an. 855, n. 36.

ruerunt. Qui accepta ratione, quod non causa contemptus Augusti, *sed futuri temporis prospectu* hoc commisum fuerat, *ne videlicet legatos principum in electione Romanorum Praesulum expectandi mos per huiusmodi fomitem inolesceret:* omnem indignationem medullitus sedaverunt, et ad salutandum electum etiam ipsi humiliter accesserunt ». Eadem refert Anastasius biblioth. in vita Benedicti II (1).

Exinde patet imperiales legatos nullam in electione habuisse partem non quia, ut affirmare videtur L. Lector (2), Adrianus derogaverit pacto inter imperatorem et Eugenium II inito, hoc est consuetudini iamdiu receptae, sed quia re ipsa iuxta pactum et consuetudinem consecratio, non autem electio, praesentibus legatis imperialibus fieri debebat. Porro legati nedum consecrationi verum etiam electioni Papae interesse optabant; iure proinde exclusi fuerunt. Ceterum ex Anastasio biblioth. (3) constat Adrianum legatos decessorum more ad imperatorem misisse electionis significandae causa.

Ioannes VIII (a. 872) electus et consecratus fuit coram legatis imperialibus (4). Hic Pontifex pacem amicitiamque cum regibus francorum confirmandam censuit, ut urbem Romam aliasque Italiae regiones dire a Saracenis vexatas ipsi congruo auxilio tuerentur. Quam ob causam, Ludovico defuncto, imperatorem romanum Carolum Calvum Pontifex salutat solemnique ritu die Natali Domini (a. 875) consecrat. Et anno 881 (5) eadem die Natali Christi Carolus, cognomento Crassus, qui de Alemannia egressus Longobardorum fines occupavit universamque Italiam paucis diebus in deditionem accepit, imperator Romae coronatur.

Marinus I (a. 882), teste Freheriano annalista Fuldensi, statim post electionem consecratus fuit. Inde inferri debet aliquos tunc Romae repertos imperiales ministros, qui ordinationi Marini praesentes fuere.

---

(1) Cfr. Baron. ad an. 867, n. 6.
(2) Op. cit., p. 33.
(3) L. c.
(4) Cfr. Platina, op. cit., p. 90.
(5) Quidam historici ponunt a. 880.

Quod et forsan in consecratione Hadriani III (a. 884) etiam contigit.

Hic Adrianus dicitur decreto suo statuisse « *ut Pontifex designatus consecrari sine praesentia regis aut legatorum eius posset* ».

Controvertitur circa decreti authenticitatem. Tamquam genuinum habent Platina (1), Ciaconius (2), Pagius (3), Sigonius (4), Guillelmus biblioth. (5), Rohrbacher (6) aliique plures. Ut spurium reiciunt Echkardus (7), Mansi (8) et alii.

Rem discutiendam definiendamque committimus rerum historicarum scriptoribus.

Stephanus V seu VI (a. 885) inscio imperatore consecratur, ut Lambecianus continuator annalistae fuldensis testimonium praebet. « Imperator - sic idem refert - iratus quod eo inconsulto ullum ordinare praesumpserunt, misit Liutwardum et quosdam Romanae Sedis episcopos, qui eum deponerent; quod perficere minime potuerunt. Nam praedictus Pontifex imperatori per legatos suos plusquam triginta episcoporum nomina, et omnium presbyterorum et diaconorum, cardinalium atque inferioris gradus personarum, necnon et laicorum principum regionis scripta destinavit, qui omnes unanimiter eum elegerunt, et eius ordinationi subscripserunt ».

Formosus Stephano V successit (an. 891). Hic Portuensis primum episcopus, a Ioanne VIII in ordinem redactus fuerat in Synodo romana, interposito iuramento, se in communione laica perpetuo mansurum. Tribus de causis id factum fuisse fertur. Prima, quod a Nicolao I in Bulgariam missus, Bulgarorum regem iuramento obstrinxisset ne alium episcopum, ipso superstite, a Sede Apostolica susciperet. Altera quod contra canonum praescripta per ambitum ab Ecclesia Portuensi ad Romanam prosilire conatus esset. Postrema, quod Papa inconsulto propriam

(1) Op. cit., p. 94.
(2) Op. cit., p. 73.
(3) Ad an. 884.
(4) Ad an. 884.
(5) In vita Stephani V.
(6) Op. cit., VI, p. 724.
(7) *Rerum Franc.* to. II, p. 683.
(8) Ad an. 884.

deseruisset Ecclesiam, et relicta urbe in reipublicae et imperii detrimentum conspirasse crederetur. Marinus papa a depositione et iuramento absolvit Formosum, virum ceteroquin *vera religione, divinarumque Scripturarum et doctrinarum scientia clarissimum*, teste Luitprando (1).

Formosus, qui primus profecto translationis exemplum praebuit, ex Portuensi dioecesi Romanam Ecclesiam assecutus, in schismate cum Sergio S. R. E. diacono Cardinali hac ratione Papa creatus fuit. Cum Sergius Pontificatum ambiendo pene obtinuisset, iamque ad altare pro consecratione accessisset, maxima Romanorum pars, cui inhonesta Sergii vita nota erat, serio obstitit, illum ab altari reiecit in eiusque locum Formosum Papam eligi et coronari curavit.

Sergius autem Roma pulsus in Thusciam ad Adalbertum, potentissimum regulum profectus est, ut eius auxilio aliquando in Urbem reverti posset. Tempore tamen Formosi et aliquot eiusdem successorum Sergius quievit, eo quod populus romanus ei plane infensum se praebuit. Demum largitionibus corrupta maiori civium parte, nonnullos post annos Pontificatum Romanum obtinuit, ut suo loco dicemus.

Bonifacius VI in locum defuncti Formosi (an. 896 vel 897) (2) creatur. Quantum in Pontificatu vixerit, magna controversia est. Plus enim alii, minus quidam temporis huic Pontifici adscribunt. Probabilior est sententia quae censet Bonifacium viginti diebus in Pontificatu vixisse. Non desunt auctores qui putent illegitimam fuisse Bonifacii electionem, ut Baronius (3), vel saltem dubitent, ut L. Lector (4) aliique. At immerito, cum plane constet de legitimis canonicisque suffragiis, testibus Panvinio (5), Platina (6), Ciaconio (7) et quamplurimis aliis.

Ratio vero cur a nonnullis auctoribus in catalogo RR. Pon-

---

(1) Op. cit., lib. I, cap. 8; cfr. PANVIN. op. cit., p. 35; BARON. ad an. 891.

(2) Cfr. BARON. ad an. 897; ROHRBACHER, VI, p. 758; PLATINA op. cit., p. 110; PANVIN. l. c.

(3) L. c., n. 1.

(4) *L'élection papale*, p. 334 nota, n. 3.

(5) L. c.

(6) L. c.

(7) Op. cit., I, p. 210.

tificum haud recensetur, eruenda non est ex illegitima electione, verum ex Pontificatus brevitate dumtaxat.

Mortuo Bonifacio VI, communi sententia Papa renuntiatur Stephanus VI (an. 896 vel 897), imperatoris auctoritate nequaquam expectata.

Quidam auctores huic Stephano, et non Stephano VI, decretum attribuunt, quo statutum fuit Pontificem electum *praesentibus legatis imperialibus* esse consecrandum. Qua de re sic penes Baronium (1) legitur :

« Decretum istud a Stephano IV latum esse non potest; cum ante Pontificatum eius nunquam fuerit consuetudo, ut legati imperiales Pontificis Romani consecrationi interessent, quod tamen auctor istius decreti diserte asserit. Secundo post mortem Stephani IV Pontificatum gessere Paschalis et Eugenius II, et tamen in eorum ordinatione aliud servatum non est quam quod usus antiquus ferebat, ut nempe Pontifex ordinatus legatos ad imperatorem mitteret ad confirmanda pacta, quae post Caroli Martelli tempora cum regibus Francorum ac Carolo M. imperatore sancita fuerant. Contra vero ante Stephanum VI diu mos ille obtinuerat, et nonnisi a morte Hadriani III desierat. Tertio, haec verba, *nullusque sine periculo sui iuramenta vel promissiones aliquas*, etc. nonnisi praesenti tempori convenire possunt, ut intrusio quorumdam Pontificum et scandala in Ecclesia exorta ostendunt. Quarto, ante Stephanum IV, ordinationes factae absentibus legatis imperialibus non poterant non esse canonicae, cum nullus esset canon seu regula ecclesiastica, quibus eae prohiberentur; contra vero postquam Eugenius II ordinationes Pontificum Rom. coram legatis Caesareis fieri praecepit, quando id non servabatur, in eam regulam ecclesiasticam peccatum esse dici poterat. Denique decreti Stephani papae confirmatio in Concilio Romano a Ioanne IX papa praesente Lamberto imperatore facta rem extra omnem controversiam ponit. In eo enim Concilio anno sequente celebrato decretum laudatum Stephani papae de verbo ad verbum recitatum fuit, et ab omnibus approbatum. Ex quo et liquet quantum decepti fuerint tot viri doctissimi, qui illud suspectum habent ac figmentum schismaticorum esse suspicantur ».

(1) Ad an. 897, n. 5.

Argumentis utrinque allatis maturo consilio perpensis, putamus recedendum nobis non esse ab iis quae tradidimus Qua de re, num recte opinemur necne, videant peritiores, quorum sententiae, ultro adstipulabimur.

Romanus et Teodorus II, qui successive paucos post menses (an. 897) Romanum Pontificatum sunt adepti, sine imperatoris interventu electi fuerunt, testibus Platina (1) et Panvinio (2).

Dum e contra Ioannes IX ineunte anno 898 Papa contra Sergium renuntiatus, ordinationem et consecrationem coram legatis imperatoris Lamberti accepit.

Ferunt hunc Pontificem in conventu Romae praesente imperatore habito, decrevisse *ne Pontefices Romanos, qui designati essent, ius esset consecrari, nisi in conspectu legatorum imperialium*, sicque decretum Hadriani III abrogatum fuisse, ad vitanda dissidia quae in comitiis pontificiis, maxima reipublicae christianae offensione, oriebantur (3).

2. **Electio RR. Pontificum saeculo X.** — Ioanni IX successit (an. 900) Benedictus IV, qui, cum imperium occidentale tum vacaret, sine legatis imperialibus consecratus fuit. Imo usque ad Leonem VIII papam decretum Stephani VI effectum non habuit.

Leo V (a. 903) rite papa electus est communi cleri et populi ac senatus sententia, absque ullo imperialis auctoritatis interventu. Paulo post electionem, Christophorus presbyter Cardinalis eum in vincula coniecit, haud sine populi tumultu, atque Petri cathedram sacrilege obtinuit. Cum vero ab omnibus clericis laicisque romanis odio haberetur, teste Panvinio (4) « eo quod tam malis artibus tantam dignitatem obtinuisset », contra eum clam a quibusdam civibus Sergius ille evocatus est, qui in seditione Formosi Roma pulsus in Thusciam exulaverat. Hic, praesidiis Adalberti Thusciae regali adiutus in Urbem venit, Christophorum Pontificatu abdicare cogit, clero ac populo assentiente pontificiam dignitatem ipsemet nanciscitur. De legitima Sergii

---

(1) Op. cit., p. 112.

(2) Op. cit., p. 37.

(3) Cfr. Baron. ad an. 898, n. 5; Pagi ad an. 898, n. 6; Rohrbacher, VI, p. 761.

(4) Op. cit., p. 47.

electione non est ambigendum, quidquid in contrarium nonnulli auctores affirment.

Ratio vero propter quam ex intrusis Pontificibus alii ut veri Pontifices postea recepti inveniuntur, alii e contra ut penitus reiecti, inde provenit, quod illi etsi tyrannice adepti fuerint Sedem, tamen accedente consensu cleri et populi satius esse existimantis eos qualescumque tolerandos, potius quam Ecclesiam schismate conscindendam, ut legitimi Pontefices novis comitiis consuetis ritibus sint electi. Haec ut dicamus, illud plane necessario cogit, quod universa Ecclesia eos tamquam legitimos Pontefices coluit, iisque obedivit, atque ut Christi vicarios et Petri successores cognovit; quod nequaquam factum fuisset, nisi de legitima electione constitisset.

Anastasius III (a. 911) et Lando (a. 913) item sine imperialium legatorum praesentia ordinati et consecrati fuere, teste Panvinio (1).

Huius postremi Papae obscurissima est vita, tum ob Pontificatus brevitatem, tum ob scriptorum defectum. Quidam in catalogo RR. Pontificum eum ne recensent quidem. At immerito profecto, cum certo constet de eiusdem canonica electione (2).

Ioannes X (a. 914) Landoni successit, qui die Paschatis an. 915 solemni ritu Romae Berengarium imperatorem consecravit. Ferunt hac occasione Papam privilegium confirmasse de Romani Pontificis consecratione coram legatis imperialibus peragenda (3).

Ioanne X in carcerem coniecto ibique, probabilius, misere suffocato (a. 928), sine ulla contentione Papa renuntiatur Leo VI, patria romanus, Christophorus antea dictus, qui, haud praesentibus imperatoris legati, consecrationem et coronationem obtinet.

---

(1) Op. cit., p. 48.

(2) Cfr. Anast. biblioth. ad an. 913; PLATINA, op. cit., p. 113; PANVIN., op. cit, p. 48; ROHRBACHER, VI, p. 791; BARON., ad an. 912, n. 1; RUPEUM, *Hist. Ravenn.*, lib. V, p. 253.

(3) Quae de hoc Pontifice tradit LUITPRANDUS (op. cit., lib. II, c. 13) et alii quidam auctores eiusdem testimonio innixi (PLATINA, op. cit., p. 114; FLEURY, op. cit., lib. LIV, n. 49), quovis historico fundamento carent. Cfr. PAGI, ad an. 915, n. 3 ss.

Electio Stephani VII (a 929), Ioannis XI (1), (931) Leonis VII (a. 936), Stephani VIII (a. 939), Marini II (a. 942) et Agapiti II (a. 946) sine interventu quidem imperatoris perficitur, verum sub influxu nefario Alberici principis, qui suprema rerum tum Romae tyrannice potiebatur.

Baronius putat regem Othonem in praelaudatis Pontificibus eligendis suam interposuisse auctoritatem; imo diserte docet Stephanum VIII, contradicente clero populoque romano, ab ipso Othone electum fuisse. At perperam; nam ex indubiis historiae, documentis constat, ut perspicue tradunt Muratori (2) et Kerz (3), nulla tunc temporis iurisdictione in Urbem gavisum esse Germanorum regem, et patria romanos fuisse quotquot Pontificatum eo tempore sunt adepti.

Defuncto Agapito II (a. 956), Octavianus, Urbis patritius, succedit, senatu et clero ac populo assentiente (4), qui primus gentili nomine amisso utpote maiestati ac religioni pontificiae minus congruo, se Ioannem XII appellat. Eius consecrationi ideo imperiales legati haud interfuerunt, quia Berengarius imperator longe ante diem supremum obierat.

Rebus Ecclesiae peropportuno studio compositis, Ioannes papa de novo eligendo romano imperatore, qui *advocatus* ac *fidissimus Apostolicae Sedis defensor* esset, cogitat. Quamobrem anno 962 Othonem Romae honorificentissime susceptum Imperatorem et Augustum, plaudente Urbe, salutat solemnique ritu inungit (5).

Hac occasione diploma peculiare, uti mos erat, conficitur, quo Ecclesiae romanae omnia bona quae sublata sunt Otho restituit ac donationes iam pridem a Carolo M. factas ratas habet et confirmat iuramenti religione praestita, simulque decernit electionem Summi Pontificis canonice esse faciendam, et electum con-

---

(1) Quae de Ioanne XI refert LUITPRANDUS, (l. c., c. 15) fabulosa plane sunt, ut merito cum MURATORI (*Annal.* a. 931) vix non omnes hodierni scriptores contendunt.

(2) Op. cit., a. 939.

(3) Op. cit., to. XVIII, p. 314.

(4) Cfr. FLODOARD, *Chronon.*, a. 954.

(5) Cfr. LUITPRAND., lib. VI, c. 6; REGIN., ad an. 962; LAMBERT., ad an. 962.

secrandum haud esse, nisi postquam iuramenti fidem coram populo et clero ac imperialibus legatis religiose interposuerit (1).

Plura eaque atrocissima, invidiae causa, Ioanni papae obiecta crimina iniuste fuerunt, nempe homicidii, periurii, sacrilegii et incestus (2). Anno 963 Otho imperator, Romam profectus, synodum cogendam duxit, cui interfuerunt archiepiscopi Liguriae, Tusciae, Saxoniae et Franciae, teste Luitprando (3).

Ioannes interim, adversariorum pravitate cognita, ab Urbe discessit, apud Hernicos aufugit, ibique delituit.

Otho autem, antistitum conventu assentiente, ut fertur, Ioannem Pontificatu privat et a sancta Romana Ecclesia pellit, ac in eiusdem locum Leonem VIII antipapam designat quem in basilica S. Petri ordinari consecrarique mandat.

Quidam auctores, ut Luitprandus (4) et Platina (5) putant hunc Leonem presbyterum Lateranensis Ecclesiae fuisse et protoscriniarium; alii ex adverso, ut Sigebertus (6), contendunt laicum fuisse.

Abeunte vero Roma imperatore, Ioannes papa Urbem petit, synodum convocat, Leonem deponit eiusque acta nulla ac irrita declarat. Paulo post Ioannes e vita migrat. Tunc Romani in Pontificem maximum diaconum quemdam, qui nomen accipit Benedicti V (a. 964), inconsulto Othone, eligunt. Qua re cognita, imperator, collecta undique fidelium suorum multitudine, Romam adit eamque firma obsidione, ne quis pateat exitus, munit. Demum fame et aerumnis vexatos Leonem, pulso Benedicto, Romanos suscipere compellit adactos sacramento nil se earum rerum immutaturos, quas ipse imperator in re pontificia constituisset (7).

Non desunt auctores qui putent Leonem VIII antipapam tribuisse Othoni eiusque successoribus in perpetuum ius eligendi R. Pontificem. Hoc privilegium commemorat Platina (8) hisce

(1) Cfr. Labbe, IX, p. 643.
(2) Cfr. Luitprand., lib. VI, c. 8.
(3) L. c.
(4) L. c.
(5) Op. cit., p. 112.
(6) L. c.
(7) Platina, op. cit., p. 112.
(8) Op. cit., p. 113.

verbis: « Qui (Leo VIII) Romanorum inconstantiam pertaesus, auctoritatem omnem eligendi Pontificis a clero populoque romano ad imperatorem transtulit ».

Item Panvinius (1): « Leo VIII, sanctissimus vir suae sedi restitutus est, qui harum seditionum Romanorum et levitatum pertaesus, omnem eligendi Rom. Pont. auctoritatem a clero populoque romano ad imperatorem, Synodo habita, transtulit » (2).

Nedum iuridico, verum etiam historico valore eiusmodi privilegium caret, ut vix non omnes hodierni rerum historicarum scriptores communi sententia contendunt (3).

Cum e vita migrasset Benedictus V, in eiusdem locum suffectus (a. 965) est Ioannes XIII, patria romanus, episcopus Narniensis, cuius electionem constat confirmatam fuisse ab Othone. Eo vita functo, Benedictus VI (a. 973) eligitur, nulla obtenta imperatoris confirmatione, qui aliis negotiis tum implicitus erat, quique internecionem Benedicti papae nequaquam ultus est. Ferunt enim Benedictum, ubi sedisset annum unum, menses tres et dies aliquot, violenta manu captum fuisse et in arcem Hadrianam, seu S. Angeli detrusum ibique scelestissime occisum.

Benedicto VI (a. 974) successit, imperatore inconsulto, Bonifacius VII, quem fraude ac dolo tradunt pontificatum obtinuisse. Hac de causa plurimi auctores, ut Baronius (4), Rohrbacher (5), Ceccaroni (6), eum tamquam invasorem Apostolicae Sedis, hoc est antipapam merito habent. Quidquid sit de electione, id extra controversiam penes omnes est, scilicet Bonifacium, Roma expulsum, Constantinopolim petiisse.

Donus II, item imperatore inconsulto, romanum pontificatum (a. 974) assequitur. Hunc Pontificem commemorant Marianus Scotus,

---

(1) Op. cit., p. 50.

(2) Cfr. c. 23, D. 63; Baron., ad an. 964, n. 22; Crautz., *Metr. Sax.* lib. IV, c. 10.

(3) Cfr. Phillips, op. cit., p. 787; Rohrbacher, VII, p. 96; Hinschius, op. cit., 240.

(4) Ad an. 975, n. 1 ss.

(5) Op. cit., VII, p. 126.

(6) *Il conclave*, p. 196.

Sigibertus, Platina (1), Baronius (2) aliique veterum catalogorum auctores; de eo contra ne verbum quidem habent L. Lector (3) et Ceccaroni (4).

Martuo Dono II (5), Otho II de alio Pontifice in eius locum substituendo cogitavit. Quapropter legatos suos Romam misit, eisque mandavit ut comitum Tusculanorum, discordiae vitandae gratiae, partibus faverent. Omnium vero suffragiis, teste Panvinio (6), coram legatis imperialibus Benedictus huius nominis VII (a. 975) eligitur.

Ioannes XIV, episcopus antea Papiensis, sine imperatoris interventu, Sedem Apostolicam (a. 984) obtinet. Mortuus enim erat anno superiori Otho II, et dissensio orta inter primates de rege substituendo; quapropter legati Romam missi non fuerunt, qui Antistitis maximi consecrationi assisterent, cum imperium tunc vacare contigisset.

Verum paulo post adeptum pontificatum, Ioannes a quibusdam viris seditiosis captus in arcem Hadrianam detruditur, ibique inedia ac animi moerore abreptus diem supremum obit. Quo defuncto, iterum Bonifacius VII, Constantinopoli reversus, Sedem Apostolicam occupat. De eo haec in Codice Vaticano leguntur: « Bonifacius post mortem Ioannis sedit menses quatuor, repentina morte interiit, et in tantum eum odio habuerunt sui, ut post mortem caederent eum et lanceis vulnerarent, atque per pedes traherent, nudato corpore, usque ad campum qui est ante caballum Constantini, ibi proiecerunt eum et dimiserunt. Tunc mane venientes clerici et videntes eum ita turpiter et cum dedecore iacentem caesum et lanceatum, collegerunt et sepelierunt » (7).

Ioannes XV (a. 986), haud expectatis imperialibus legatis, eligitur et consecratur, eo quod romanum imperium adhuc vacabat.

Gregorius V, natione germanus, regio genere oriundus, iussu

---

(1) Op. cit., p. 119.
(2) Ad an. 974, n. 1.
(3) L'*élection papale*, p. 336.
(4) L. c.
(5) Cfr. Rohrbacher, VII, p. 126.
(6) Op. cit., p. 51.
(7) Cfr. *Cod. Vat.*, MCCXL.

Othonis III tunc in Urbe degentis a clero populoque romano creatur (a. 996) (1).

At Roma abeunte Othone, Gregorius, seditiones Romanorum et praesertim Crescentii Urbis tyranni expertus, in Germaniam profectus est. Quo tempore Crescentius Ioannem, episcopum Placentinum, ingentis collatione pecuniae, in Romanum Pontificem eligi et consecrari curavit (a. 997). Id audiens Otho maximo cum exercitu in Italiam venit, Urbem capit, Ioanne XVI antipapa pulso (2), Gregorium Sedi Apostolicae restituit; qui, tanti beneficii memor, Othonem imperatorem coronat eumque solemni ritu inunctum Augustum appellat.

Qua occasione nullam mentionem constat factam fuisse de privilegio, iam pridem imperatori concesso, nimirum ut novi Pontificis consecratio coram legatis imperialibus fieret (3).

Silvester II (a. 999) electus et consecratus fuit communi cleri ac senatus populique sententia, quin imperiales legati interfuerint.

Nonnulli auctores, innixi testimonio Goldasti (4), putant Sil-

---

(1) PLATINA, op. cit., p. 121; PANVINIUS, op. cit. p. 52; BARONIUS, ad ad. 996, n. 5 ss.

(2) Petrus Damiani in epistola secunda ad Cadaloum vel Cadolaum antipapam haec de Ioanne refert:

« Sed ut noveris quia molimen hoc nequaquam faustum concedat in exitum, de propria tibi atque contigua regione praebemus exemplum. Convicanea autem tibi regio Placentia est cuius episcopus non diu ante nostram aetatem subdolae calliditatis artifex extitit, et ad instar tui, subtilitatis et gloriae satis superque ambitione flagravit. Adeo ut prius ante se gestandam, sicut et tu nunc agore diceris, crucem argenteam imperarit. Quin etiam cum imperatrice, quae tunc erat, obsceni negotii dicebatur habere mysterium. Deinde sensim ad maiora prosiliens, ut tandem Apostolicam Sedem familiaris sibi pecuniae patrocinio violenter invaderet. Electo itaque Gregorio imperatoris Ottonis utique consanguineo, Romanae Ecclesiae cathedram non ut sacerdos magnus, sed ut fur et tyrannus obtinuit. Sed paulo post, resipiscente Quiritum populo, atque in zelum dignae unctionis unanimiter exardescente, irruentes in eum manus iniiciunt, oculos eruunt, aures naresque praecidunt... Postquam Romani respondissent Pontifici, mox ante retro conversum in asello gloriosum equitem posuerunt, tenentemque sui vectoris caudam in manibus, per publicam totius Urbis viam, haec ut caneret impulerunt: *tale supplicium patitur qui romanum Papam de sua sede pellere nititur* ».

(3) Cfr. PANVIN., op. cit., p. 53.

(4) *Constit. imper.* to. I, p. 40.

vestrum papam creatum fuisse ab Othone III. Goldastus enim quandam constitutionem exhibet, in qua Otho sic alloquens inducitur:

« Sicut pro amore S. Petri dominum Silvestrum magistrum nostrum papam eligimus, et Deo volente ipsum serenissimum ordinavimus et creavimus, ita pro amore ipsius D. Silvestri papae S. Petro de publico nostro dona conferimus ».

Haec constitutio, utpote spuria et plane commentitia, ab omnibus hodiernis scriptoribus reiicitur.

3. **Electio RR. Pontificum saeculo XI.** — Ioannes XVII (a. 1003), Ioannes XVIII (a. 1003 vel ineunte a. 1004), Sergius IV (a. 1009), cum imperator Otho III e vita migrasset, electi et consecrati fuere, legatis imperialibus nequaquam expectatis. Non ideo tamen omnimoda libertate eorumdem electionem factam fuisse constat. Nam, defuncto imperatore, res ad comites Tusculanos, praecipuos in Urbe proceres, relapsa est, quorum factionem equidem praevaluisse ex eo manifesto colligitur quod memorati Pontifices patria romani fuerunt.

Ad vitandam in numero eiusdem nominis Pontificum confusionem atque perplexitatem, quae lectoribus molestiam posset afferre, non pro meritis singulorum, sed pro communi assertione, quin ullum interim praeiudicium veritati inferatur, duos Ioannes Pontifices numeravimus, priorem decimum septimum, posteriorem decimum octavum. Rectius tamen ille decimus sextus esset vocandus, hic decimus septimus, cum antipapa is fuerit, quem Ioannem XVI passim auctores commemorant.

Nec deest profecto ratio. Etenim Ioannes, Gregorii V decessor, seipsum Ioannem XV in suis rescriptis nominavit; proinde alter Ioannes successor, licet antipapa, Ioannes XVI videtur nuncupandus, quia duo subsequentes Pontifices eiusdem nominis huius rei rationem habuerunt, cum alter Ioannem XVII et alter Ioannem XVIII in suis rescriptis ipsimet se appellaverint.

Quod optimo sane consilio factum fuisse liquet. Etsi enim numquam fuerit verus Pontifex Ioannes XVI, tamen sub eo nominis numero plures extabant huc illucque diffusae, pro occasionum diversitate, epistolae ac bullae; quae ne cum veri deinde Pontificis actis confunderentur, necesse habuit Silvester II successor permittere ut vocaretur Ioannes XVII.

In electione Benedicti VIII (12 maii 1912) schisma oritur; nam quaedam Romanorum seditiosa factio, adversus Benedictum communibus cleri populique suffragiis rite creatum, antipapam Gregorium salutat. Rebus compositis, Benedictus anno 1014, Henricum regem Romae, universa plaudente Urbe, imperatorem inungit coronatque.

Ex diplomate, hac occasione confecto, ab imperatore et a pluribus episcópis qui coronationi interfuerant subsignato, liquet Henricum rata habuisse et confirmasse iura temporalia Apostolicae Sedi iamdiu quaesita una cum donationibus a Pipino et a Carolo M. factis atque ab aliis regibus haud semel confirmatis. Item constat ad tramitem Constitutionis Eugenii II praeceptum fuisse, ut iuxta canones ab universo clero ac populo novus Papa eligeretur, coram legatis imperialibus seu totius civitatis, praevie iuramenti religione data, consecrandus «... Salva in omnibus potestate nostra posterorumque nostrorum, secundum quod in pacto et constitutione, ac promissionis firmitate Eugenii Pontificis successorumque illius continetur, ut omnis clerus et universi populi romani nobilitas, propter diversas necessitates, et Pontificum irrationabiles ergo populum sibi subiectum asperitates retundendas sacramento se obliget, quatenus futura Pontificum electio canonice et iuste fiat, et ut ille, qui ad hoc regimen apostolicum eligetur, nemine contrariante consecratus fiat Pontifex, priusquam talem in praesentia missorum nostrorum, seu universae generalitatis faciat promissionem pro omnium satisfactione de futura conservatione, qualem domnus et venerandus spiritualis pater noster Leo sponte fecisse dignoscitur» (1).

Verum mos regiam auctoritatem exquirendi in Papae electione penitus obsolevit propter Romanorum Pontificum cum imperatoribus dissidia, ut ex dicendis apparebit.

Vita functo Benedicto VIII, eiusdem frater Romanus (a. 1024) summum pontificatum obtinuit, qui nomen accepit Ioannis XIX. Haud constat num imperiales legati eiusdem consecrationi interfuerint.

Item successor Benedictus IX (12 ian. 1033) sine interventu legatorum creatur. Valde adhuc iuvenis pontificiam dignitatem

---

(1) Labbe, IX, p. 815; Mansi, XIX, p. 551.

nanciscitur ob factionem comitis Tusculani. Verum anno 1044 Romani Benedictum ab Urbe pellunt atque in eiusdem locum Ioannem, episcopum Sabinensem subrogant, qui nomen sumit Silvestri III.

Qui cum praefuisset mensibus tribus (1), Benedictus, annitentibus propinquis suis Tusculanis proceribus, Romanam Sedem iterum occupat. Paulo post invisum se cunctis adspiciens, Ioannem presbyterum Cardinalem in suum coadiutorem primo creat (2) qui ut Pontificem Maximum se Gregorium VI appellat.

Dirum inde ortum schisma. Tres enim uno eodemque tempore Ecclesiam sibi regendam vindicabant, quorum alter ad S. Petrum, alter ad S. Mariam Maiorem et tertius in Lateranensi palatio sedebat.

Henricus rex qui tunc Germaniae, Pannoniae ac Italiae imperabat, suscipiendae de manu Romani Pontificis imperialis coronae causa, in Italiam venit. Antequam Urbem ingrederetur, plurimorum episcoporum, necnon abbatum et clericorum in Sutrina urbe Concilio congregato, Gregorium VI, missis ad eum episcopis, ut de ecclesiasticis negotiis, maximeque de Romana tunc Ecclesia, quae tres simul habere Pontifices videbatur, ipso praesidente, tractaretur, venire rogavit. Sed haec de industria agebantur; iam enim dudum regio animo insederat ut tres illos, qui iniuste Apostolicam Sedem invaserant, cum consilio et auctoritate totius Concilii depelleret; et unus qui dominico gregi sollicite praeesset, clero ac populo eligente, ordinaretur. Gregorius exoratus a rege atque ab episcopis Sutrium perrexit. Postquam vero Concilium eiusdem causam agere coepit, agnoscens se haud posse iuste romanum pontificatum administrare, tanti honoris dignitati ipsemet renuntiasse dicitur.

Post haec Henricus rex, Urbem ingressus, clero et populo in basilica S. Petri congregato, una cum episcopis qui Sutrinae synodo interfuerant, communi consilio Clementem II, Bambergensem antea episcopum, (25 dec. 1046) eligendum curavit. (3).

Panvinius (4) docet Henricum hac occasione coegisse « omnes

---

(1) Leo Ost., *Chron. Cass.*, lib. II, c. 80.
(2) Cfr. Panvin, op. cit., p. 56; Platin., op. cit., p. 55.
(3) Cfr. Vict. III, *lib. 3, Dial.*
(4) Op. cit., p. 55.

tam clericos quam laicos in verba sua iurare, Pontificem Romanum se neminem accepturos et consecraturos, nisi quem ipse dedisset ». Cuius rei hanc rationem assignat: « Videbat enim imperator factiosum quemque et potentem, quamvis ignobilem, eo licentiae devenisse, ut corruptis suffragiis tantam dignitatem consequeretur, quae certe nisi severitate et doctrina benemeritis, volente Deo, demandari cuipiam non deberet ».

Vita functo Clemente II, statim clerus populusque romanus iuxta sacramenti fidem (1) legatos ad imperatorem Henricum in Germaniam mittit, ut eis Pontificem det electumque pro consecratione Romam mittat. Imperator Popponem ex Bavaria oriundum, episcopum Brixinensem (licet alii Aquileiensem dicant) in Romanum Pontificem designat, qui Romae inthronizatur (17 iul. 1048).

Item Leo IX, Tullensis antea episcopus, ab Henrico III imperatore designatur. Romam profectus omnium Cardinalium suffragiis communique cleri et populi sententia suscipitur (12 febr. 1049), et in basilica S. Petri, universa Urbe plaudente, inthronizationem accipit.

Etiam Victorem II imperator designat. Nam, mortuo Leone XI, Romani pro iurisiurandi fide data Hildebrandum monachum S. R. E. oeconomum et subdiaconum statim in Germaniam mittunt, qui novum Pontificem postulet. Gebehardus episcopus Eicstetensis ex petitione Hildebrandi et imperatoris voluntate Papa eligitur de consensu Cardinalium et cleri ac populi romani (13 april. 1055), Victor II dictus.

Stephanus IX, Abbas Cassinensis, sine imperatoris interventu (2 aug. 1057) creatur. Nam imperator Henricus III, qui R. Pontificis designandi ius sibi vindicaverat, paulo ante diem supremum obierat, eiusque filius Henricus IV successor, vixseptennis erat (2).

Quatuor proinde Pontifices, ceteroquin viri sanctissimi ac de Ecclesia Dei bene meriti, ex imperatoris Henrici III auctoritate creati fuere (3).

Benedictus X, episcopus Velitrensis seu Veliternus, faventibus Gregorio Tusculanensi comite, et nonnullis proceribus ro-

---

(1) Panvin., loc. cit.

(2) Panvin., op. cit., p. 63.

(3) Cfr. Panvin., in nota ad Platinam, ubi de Clemente II verba facit.

manis, tertiodecimo vacantis Sedis die, sine Cardinalium et cleri populique consensu Papa eligitur (5 april. 1058) ac eorumdem laicorum studio in basilica S. Petri coronatur.

Cardinales Senis in Tuscia Gerardum Florentinum episcopum, accedente cleri et populi suffragiis (3 dec. 1058) eligunt, Nicolaum dictum huius nominis secundum.

Statim post electionem, Romam petens, Sutrium concedit; ibique anno Domini millesimo quinquagesimo nono, concilio habito, cui nedum Episcopi verum etiam Italiae proceres intersunt, Benedictum pontificio munere se abdicare atqué exulatum abire cogit. Inde vero Romam profectus, secundo apud Lateranum concilio coadunato, peropportunam condit legem de R. Pontificis electione.

Controvertitur num Nicolaus II creatus fuerit ex auctoritate Henrici imperatoris.

Panvinius (1) expresse negat.

Lambertus (2) hisce verbis affirmat: « Romani principes satisfactionem ad regem mittunt, se scilicet fidem patri dixissent, filio quoad possent servaturos, eoque animo vacanti Romanae Ecclesiae Pontificem usque ad id tempus non subrogasse, eius magis super hoc spectare sententiam: orantque sedulo, ut quem ipse velit transmittat, nihil eius ordinationi obstare, si quis non per legitimae ordinationis ostium, sed aliunde ascendisset in ovile ovium. Rex habita cum primoribus deliberatione, *Gerardum Florentinum episcopum,* in quem et Romanorum et Teutonicorum studia consenserant, *Pontificem designat, Romamque per Godefridum marchionem transmittit* ».

S. Petrus Damiani (3) id narrat: « Piae memoriae Stephanus papa (IX), congregatis intra Ecclesiam episcopis civibusque Romanis, clero et populo, hoc sub districti anathematis excommunicatione statuerat, ut si eum de hoc saeculo migrare contingeret, antequam Hildebrandus Romanae Ecclesiae subdiaconus, qui cum communi omnium consilio mittebatur, ab imperatrice rediret, pa-

---

(1) Op. cit, p. 65.

(2) L. c.

(3) *Ep. ad Henric. archiep. Ravennaten.*

pam nullus eligeret, et Sedes Apostolica usque ad illius reditum intacta vacaret ».

In eamdem sententiam convenit Leo Ostiensis (1) qui tradit, vita functo Stephano IX, Hildebrandum in Germaniam missum fuisse novi Pontificis postulandi causa.

In praefata Constitutione Nicolaus II statuit, ut obeunte Romanae Ecclesiae Antistite, « in primis Cardinales episcopi diligentissime simul de electione tractantes, móx ipsi (Christi) clericos Cardinales adhibeant, sicque reliquus clerus et populus ad consensum novae electionis accedat... salvo debito honore et reverentia dilecti filii nostri Henrici ».

Vim quod attinet ac extensionem privilegii Henrico eiusque successoribus concessi, vide quae alibi tradidimus (2).

Alexander II, patria mediolanensis, iuxta memoratam Nicolai Constitutionem, inconsulto tamen imperatore, Romae (30 sept. 1061) eligitur.

Vita functo enim Nicolao II, cum ingens inter Romanos seditio de creando Pontifice oriri coepisset, Hildebrandus, habito consilio cum Cardinalibus nobilibusque Romanis, ne dissensio succresceret, Anselmum Lucensem episcopum post menses ferme tres in Romanum Pontificem deligendum curavit, qui Alexandri II nomen accepit (3).

Henricus IV imperator « delusum se esse asserens, simulque iura patri suo et praedecessoribus suis Romanis imperatoribus a Pontifice maximo concessa et a se puero fuisse in tribus electionibus, videlicet Stephani IX, Nicolai II et Alexandri II amissa (4) recuperare et retinere satagens » (5), Cadalum, quem alii Cadaloum vocant, Parmensem episcopum, in Antistitem maximum designat, qui ab episcopis Lombardiae imperatori faventibus susceptus consecratione et coronatione donatur.

Schisma aliquot annos duravit. Demum, concilio Mantuae coacto, auctoritate Othonis Archiepiscopi Coloniensis Cadolus

---

(1) Lib. III, cap. 12.
(2) Cfr. art. III, h. c.
(3) Leo Ostiens. lib. III, cap. 10.
(4) Id minus recte affirmari, ex dictis manifesto liquet.
(5) Panvin. op. cit., p. 67.

Pontificatu se abdicavit et Alexander II tamquam legitimus Papa in Apostolica Sede fuit confirmatus.

Gregorius VII, qui ex monacho Cluniacensi S. R. C. Cardinalis archidiaconus factus fuerat, eodem die quo Alexander II decessit, Cardinalium omnium et cleri ac populi assensu Papa est renuntiatus (22 apr. 1073), nulla imperatoris interposita aut expectata auctoritate.

Quidam auctores, ut Platina (1) et Panvinius (2), dicunt Gregorium consecratum etiam et inthronizatum fuisse nulla eiusdem imperatoris habita ratione. Quod minus recte affirmari satis liquet ex Actis eiusdem Gregorii vitae (3), ubi haec traduntur:

« Altera die (nempe sequenti ab eius electione) apud seipsum sollicita mente pertractans, ad quam grave periculum sit, actuare coepit (Gregorius) ex nimio dolore. Sed cum excusationem de relinquendo papatu non invenisset, nuntios ad regem Henricum celeriter destinavit, per quos et electionem super se factam ei aperuit, et ne assensum praeberet attentius exoravit. Quod si non faceret, certum sibi esset, quod graviores et manifestos ipsius excessus nullatenus impunitos toleraret.

« Rex vero, ut electionis veritatem cognovit, electioni eiusdem assensum praebuit, et Gregorium Vercellensem episcopum, Italiae regni cancellarium, ad Urbem transmisit, quatenus auctoritate regia electionem ipsam confirmaret, et consecrationi eius interesse studeret, quod sine dilatione factum est ».

Haec de regio assensu memorata Acta referunt, quem et omnino intercessisse etsi diversa ratione, Lambertus (4) affirmat.

Aliquot post annos, Henricus imperator aegre ferens Gregorii VII constantiam in Ecclesiae iuribus tuendis, Romam venit ibique, Gregorio e Pontificatu dimisso, Vicpertum archiepiscopum ravennatensem in eiusdem locum substitui coronarique iussit, qui nomen sumpsit Clementis III.

Hic annos septendecim sedit contra Gregorium VII eiusque successores Victorem III, Urbanum II et Paschalem II, sub quo

---

(1) Op. cit., p. 115.
(2) Op. cit., p. 58.
(3) Cfr. Baron. ad an. 1073, n. 27.
(4) L. c. cap. 13.

moriens Vicpertus quemdam Albertum Atellanum in schismate successorem habuit. Atellanus menses quatuor tamquam intrusus sedit. Quo vita functo, electus fuit Silvester III, abbas farfensis coenobii, qui menses quatuor et dies viginti quinque sedit. Post eiusdem obitum, schismatici in Papam Marginulphum romanum eligerunt, qui aliquot post menses Pontificatu se abdicare coactus, in monasterium Cavense relegatus fuit; sicque finem habuit schisma.

Victor III (24 maii 1086), Urbanus II (12 mart. 1088), Paschalis II (13 aug. 1099) et Gelasius II (24 ian. 1118) sine imperatoris interventu, imo eo reluctante, electi fuerunt.

4. **Electio RR. Pontificum saeculo XII.** Contra Gelasium II Mauritius Burdinus, archiepiscopus Bracarensis, ab Henrico V antipapa creatur, Gregorius VIII sacrilege nuncupatus.

Callistus II, cum diem supremum Gelasius Cluniaci obiisset, ab eis Cardinalibus et clericis ac laicis romanis qui Cluniacum venerant, quinto decimo vacantis Sedis die Papa renuntiatus fuit (2 febr. 1119). Ipse tamen « electioni de se factae acquiescere noluit, donec eorum quoque Cardinalium et cleri laicorumque qui Romae essent, voluntatem cognovisset » (1).

Porro eiusdem electio, ubi primum agnita fuit, unanimi consensu, *nemine discrepante* (2) confirmata est.

Confirmationis vero litteris ab Urbe acceptis, statim consecrationem et coronationem, imperatore inconsulto seu reluctante, habuit, Romam dein profectus, Bardinum capi et pontificia dignitate exui iussit atque in monasterium detrudi.

In comitiis autem Wormatiae pacem imperium inter et Ecclesiam composuit, quam inde a Gregorio VII discordiae et bella ac tumultus ob *investituras* agitaverant maximo reipublicae christianae discrimine.

Schisma vero, de quo supra, ex eo ortum fuisse dicitur quod secundum veterem consuetudinem, quoties maximi cuiuspiam Pontificis obitus eveniebat, mitterent Romani legatos ad imperatorem, ut ipse suos Romam mitteret, coram quibus novus Pontifex consecraretur. Verum iam a Gregorii VII obitu Ecclesia

(1) Panvinius, op. cit., p. 91.
(2) Platina, op. cit., p. 145.

hoc iugum imperatorium excusserat, et pristinam libertatem recuperaverat; ideoque prudenter Cardinales praetensi illius iuris imperatorii nullam rationem habuere (1).

Lambertus episcopus cardinalis Ostiensis in contentione cum Theobaldo Buccapeco presbytero cardinali tituli S. Anastasiae, Papa renuntiatur (15 dec. 1124), Honorius II vocatus.

Deus vero Ecclesiae suae misertus, maxime quod pessimum schisma pullulare denuo videretur (2), animum Theobaldi sic provide movit, ut sponte sua pontificatum dimiserit. Quare omnes Cardinales, clerus et populus romanus in electionem Honorii consensum praebuerunt; sicque res compositae tunc pacifice fuere.

Eo vita functo, romanum pontificatum obtinuit (14 febr. 1130) Innocentius II. Porro is electus fuit in schismate cum Petro, qui nomen sumpsit Anacleti II.

Innocentius a minori Cardinalium parte electus dicebatur, sed antequam electio Anacleti expleta esset; Anacletus contra a maiori Cardinalium parte designatus ferebatur, verum post absolutam Innocentii electionem (3).

Hinc dirum schisma ortum est.

Innocentius exulatum in Galliam abire cogitur; Anacletus Romae manet, in Apostolica Sede tanquam invasor sacrilegus confirmatus.

Pseudopontifex Anacletus solemni ritu Innocentium papam excommunicat et ei adhaerentes Cardinales, eosque dignitate privat, alios in veteribus titulis Cardinales nominans.

Dein litteras ad Lotharium regem mittit, quibus canonice legitimeque suam electionem factam fuisse contendit.

S. Bernardus, qui tunc vivebat, sic strenue tuetur Innocentii electionem.

« Funiculus triplex difficile rumpitur: electio meliorum, approbatio plurium, et quod his efficacius est, morum attestatio Innocentium apud omnes commendant, summum confirmant Pontificem » (4).

---

(1) Baluzius, *Miscell.* lib. 3, in vita Burdin., n. 16 s.
(2) Panvin. op. cit., p. 94.
(3) Panvin. op. cit., p. 99; Platina, op. cit., p. 147.
(4) Ep. CXXIV.

Et alibi: « Merito autem illum (Innocentium) recipit Ecclesia, cuius et opinio clarior, et electio sanior inventa est, nimirum eligentium et numero vincens et merito » (1).

Item in epistola ad episcopos Aquitaniae: « Duo itaque sunt, de quibus contenditur: quisnam eorum rectius videatur papa. Quorum primo quidem, si personas compares, et neutri sane derogare videar, vel adulari, dicam quod dici passim reperies, et neminem arbitror diffiteri: quia videlicet Innocentii nostri vita vel fama nec aemulum timet, cum alterius nec ab amico tuta sit. Dehinc si electiones discutias, nostri itidem mox occurrit et promotione purior, et ratione probabilior, et prior tempore. Porro de tempore constat: reliqua duo merita probant et dignitas eligentium. Hanc enim, ni fallor, partem saniorem invenies, tam episcopos quam Cardinales diaconos sive presbyteros, et quorum maxime interest, de electione Summi Pontificis, et quanti in eligendo iuxta Patrum scita sufficiant. Quid et in consecratione? Nonne Ostiensem, ad quem specialiter spectat, habemus? Cum igitur et electus dignior, et electio sanior, et actio ordinabilior teneatur, qua isti ratione, imo qua contentione contra ius et fas, et vota omnium bonorum invitae et renitenti Dei Ecclesiae praeficere alium, et illum deponere tentant? Horum conatui tam maligno, tam indigno, tam temerario totis certe viribus renitendum esse videtis, reverendissimi et illustrissimi patres » (2).

Mortuo Anacleto antipapa, in eiusdem locum Victor subrogatur, qui paulo post ab omnibus suis derelictus pontificium munus sponte dimittit. Ita schisma, quod octo circiter annos duravit, finem nanciscitur.

Elapso uno dumtaxat die ab obitu Innocentii II, Guido de Castello presbyter cardinalis tituli S. Marci, creatus est Summus Pontifex (26 sept. 1143), nominatusque Caelestinus II. Cum Romanis civile bellum immineret ob senatum restitutum in pristinum conservandum, id causa fuit, teste Petro Cluniacensi (3), ut Cardinales absque mora sine dissensione et controversia unanimi consensu convenerint atque cito Pontificem crearint. Re

(1) Ep. CXXV.
(2) Ep. CXXVI.
(3) Lib. V, ep. XXVII.

quidem vera Caelestinus omnium Cardinalium suffragiis (1) electus fuit, inferiori clero ac populo excluso.

Item Lucius II (9 mart. 1144), Eugenius III (15 febr. 1145), Anastasius IV (10 iul. 1153) et Hadrianus IV (4 dec. 1154) iuxta normas a Nicolao II praescriptas electi a Cardinalibus, clero populoque assentiente, fuere.

Vita functo Hadriano IV, in basilica S. Petri, ubi comitia habebantur, a maiori saniorique Cardinalium parte Alexander III (7 sept. 1159) creatus fuit contra Octavianum presbyterum Card. tit. S. Caeciliae, qui nomen accepit Victoris IV.

Octavianus asserebat se prius electum fuisse; Alexander longe copiosiorem Cardinalium numerum obiiciebat (2). Quatuor siquidem et viginti Cardinales elegerant Alexandrum, octo Victorem. Sic schisma inchoatum est, quod annos septemdecim circiter duravit maximo cum Ecclesiae detrimento.

Fridericus imperator, Barbarossa dictus, qui Cremam tunc obsidebat, ab ambarum partium Cardinalibus requisitus, ut suborienti schismati consuleret, Concilium episcoporum Papiae indixit, quo, utriusque electi causa cognita et disceptata, uter illorum canonice electus ac ideo legitimus esset Papa, decerneretur. Alexander accedere renuit, se vere legitimeque creatum merito proclamans; e contra Victor Papiam profectus est. Alexander tamquam inobediens et contumax, impio profecto ausu, damnatus fuit; Victor autem in romano pontificatu confirmatus.

Imperator cum tota curia sua et germanis praelatis Victori antipapae adhaerebat nec non clerus populusque romanus, paucis admodum exceptis; reges Angliae, Franciae et Siciliae una cum maiori Cardinalium parte Alexandri sortem sequebantur.

Octavianus seu Victor IV sedit annos quatuor et menses octo circiter; quo defuncto, Callistus III contra Alexandrum III antipapa creatus fuit, assentiente Friderico imperatore. Cum Callistus III anno quinto sui pontificatus diem supremum obiisset, de assensu imperatoris, Sedem romanam usurpavit Paschalis III, qui annos septem et menses aliquot tamquam invasor sacrilegus vixit.

---

(1) Panvin., op. cit., p. 108.
(2) Panvin., op. cit., p. 125.

Verum pace inter imperatorem et Alexandrum anno 1176 inita, Paschalis ab ipsomet Friderico Barbarossa coactus fuit nomen titulumque exuere pontificium. Quo factum est, ut post annos decem et septem finem obtinuerit perniciosissimum schisma et Alexander III tranquille sedit in romano pontificatu.

Alexander, rebus compositis, statim tertium generale Concilium lateranense convocat, in quo ius eligendi R. Pontificem Cardinalibus quibuscumque exclusive ac privative adiudicat, penitus clero populoque excluso, ac legem de duabus tertiis suffragiorum partibus fert pro validitate electionis, ad quaevis in posterum schismata vitanda.

5. **Electio RR. Pontificum saeculo XIII.** Iuxta huius Constitutionis formam pacifice creantur, Lucius III (1 sept. 1181), Urbanus III (25 nov. 1185), Gregorius VIII (21 oct, 1187), Clemens III (19 dec. 1187), Caelestinus III (30 mart. 1191), Innocentius III (8 ian. 1198), Honorius III (18 iul. 1216), Gregorius IX (19 mart. 1227), Caelestinus IV (25 oct. 1241).

Defuncto Caelestino IV, Sedes Apostolica uno et viginti mensibus vacavit, eo quod omnes fere Cardinales a Friderico imperatore uno aliove praetextu in carcerem detrusi fuerant. Populus autem et clerus romanus, cui eligendi Papae ius sublatum erat, abstinendum censuit ab electione more maiorum facienda. Ubi primum autem Cardinales libertate donati fuerunt, communi eorumdem suffragio Romae Innocentius papa huius nominis quartus (25 iun. 1243) electus fuit.

Haud sine aliqua difficultate successor Alexander IV (12 dec. 1244) creatur.

Item Urbanus IV, Viterbii, ubi tunc erat romana Curia, a Cardinalibus inter se discordantibus post diutinam sat vacationem papa (29 aug. 1261) renuntiatur.

Quo vita functo (a. 1264) Sedem Apostolicam quatuor menses vacare contingit ob animorum discordias et simultates. Demum Clemens IV communi Cardinalium sententia eligitur die 5 febr. 1265.

Cum hic Pontifex Viterbii, ubi toto pene sui pontificatus tempore commoratus fuerat, anno 1268 diem supremum obiisset, Cardinales, qui tunc in Curia romana praesentes erant numero decem ac septem, ita dissentire coeperunt quoad novum Ponti-

ficem eligendum ac discordiis inter se agitari, ut electionem ad triennium circiter distulerint.

Eo sane tempore nequaquam, ut nunc est consuetudo, Cardinales in Conclavi recludebantur, sed summo mane singulis diebus, si Romae erant Laterani vel in Basilica S. Petri, aut alibi, prout occasio ferebat comitia habebantur; sin autem extra Urbem, in ecclesiam cathedralem illius civitatis in qua tunc Cardinales degere contingebat, una simul iidem conveniebant de romani Pontificis electione agentes.

Viterbium Philippus Francorum et Carolus Siciliae reges venerunt Cardinalium collegium humiliter rogantes pro celeri expeditaque Papae electione. Post longissimum duorum annorum mensiumque decem interregnum, a Viterbiensibus propedum coacti, qui tectum camerae ubi comitia fiebant discooperuerant, Cardinales per vim compromissi, suadente maxime S. Bonaventura Ordinis Minorum generali ministro, kal. septembr. an. 1271 papam renuntiarunt Theobaldum Vicecomitem Placentinum, qui in Syria apud Ptolemaidem tunc commorabatur piae devotionis causa. Hic, decreto electionis a Collegii legatis trans mare missis accepto et confirmato, ex Syria navigio recessit, Brundusium primum, demum Viterbium, ubi Cardinales erant, sequenti anno pervenit. Romae paulo post consecratus et coronatus fuit nomenque Gregorii X assumpsit.

Altero post consecrationem anno, Concilio generali Lugduni in Gallia congregato, peropportunas, inter alia, leges tulit de futura R. Pontificis electione, decernens Papam in posterum nonnisi in Conclavi esse creandum, eo profecto fine ut diuturnae Sedis Apostolicae vacationes pro viribus praepediri possent (1).

Iuxta Gregorii X constitutionem, Aretii, ubi Gregorius e vita migraverat, primum papa creatus fuit Innocentius V (21 ian. 1276); dein eodem anno Hadrianus V Romae (21 iul.) et Viterbii Ioannes XX (8 sept.) quem alii XXI ex bullarum inscriptione vocant.

Hadrianus V Constit. Gregorii X de conclavi revocavit, quam revocationem confirmandam censuit Ioannes XX seu XXI. Proinde, sine conclavis usu qui deinceps eis successerunt Pontifices Nicolaus III (25 nov. 1277), Martinus V (22 feb. 1281), Honorius IV

(1) Panvin. in Platin. p. 176 s.

(2 april. 1285), Nicolaus IV (22 febr. 1288), et Caelestinus V (24 dec. 1294) creati fuerunt.

Caelestinus autem dictam de conclavi legem consulto renovavit approbavitque gravi permotus ratione, hoc est diuturnae vacationis vitandae gratia.

Bonifacius VIII eam ratam habens et confirmans in lib. Decretalium inserendam merito duxit. A quo deinceps tempore ad nostram usque aetatem perpetuo servata fuit.

Cum lex de conclavi aut nulla extitit aut revocata est, interregnum Apostolicae Sedis, teste historia, plus minusve longum, quin longissimum dicamus, fuisse constat.

Re quidem vera Nicolaus III patria romanus ex familia Ursina, Ioannes Caietanus antea dictus, Viterbii post diuturnam Cardinalium disceptationem, quorum comitiis Siciliae rex (1) inter fuisse dicitur, electus fuit.

Defuncto Nicolao, Pontificatum romanum quinque mensibus vacasse ferunt. Dum enim Cardinales de novo eligendo Pontifice Viterbii agerent, praeessetque comitiis Richardus ex Hannibaldensium familia romana, qui paulo antea Ursum mortui Nicolai nepotem praetura Viterbiensi deiecerat, duo Cardinales ex familia Ursina impediebant quominus electio fieret nisi Urso praetura restitueretur (2).

Hac de causa cives Viterbienses ira abrepti cubiculum ingrediuntur, Cardinales capiunt et in vincula quodammodo coniiciunt (3). Post quinque circiter menses gallici Cardinales, absentibus Ursinis, suffragiis italos superantes, Papam Martinum IV (4), antea Simonem vocatum praesbyterum Cardinalem tituli S. Caeciliae, natione gallum, (a. 1281) creant. Hic Viterbii coronari noluit, quia « ei civitati ob impetum in Cardinales factum, interdictum sacris putabat » (5); ideo Orvietum petiit ibique solemni ritu coronatus fuit.

---

(1) Platina, op cit. p. 179. Quidam hodierni scriptores, forsan haud immerito, id negant.

(2) Panvin., op. cit. p. 182.

(3) Cfr. Rohrbacher, X, p. 291.

(4) Rectius Martinus II nuncupandus esset ut vix non omnes docent rerum historicarum scriptores. Cfr. Baron,, ad an. 1281, n. 5 ss.; Rohrbacher, X, p. 291 s.; Panvin., op. cit., p. 183.

(5) Platina, op. cit., p. 180.

E contra vita functo Martino IV, nondum exequiis novendialibus persolutis, hoc est quinto die, omnium Cardinalium suffragiis, quavis contentione seposita, in papam eligitur (2 apr. 1285) Iacobus natione italus, patria romanus, qui nomen accipit Honorii IV.

Decem mensibus post obitum Honorii IV S. Sedes vacavit. Cum enim apud S. Sabinam comitia pro novo Pontefice eligendo fierent, quidam e Cardinalibus repentina aegritudine corripiuntur. Quam ob causam electionis negotium in aliud tempus differendum ducunt Cardinales, eo vel magis quia haud satis inter se convenire videntur. Demum communi sententia Nicolaus IV, Hieronymus antea dictus ac minister generalis Ordinis S. Francisci presbyter Cardinalis, Romae (2 febr. 1288) eligitur, et in basilica S. Petri coronatur (1).

Post mortem Nicolai IV Sedes Apostolica biennio ac tribus mensibus vacavit, cum plurimis discordiis exagitati Cardinales nequaquam inter se convenirent. Tandem Perusiam profecti, instante Carolo II rege Neapolitano (2) et adhortante Latino Cardin. Hostiensi, haud sine manifesto Spiritus sancti numine (5 iul. 1294) eligitur Caelestinus V, professione monachus, sanctissimus vir qui angelicam ac plane ignotam in eremo Mantellae apud Sulmonem agebat. Aquilam post electionem profectus, ibi, Cardinalibus adstantibus, consecratur et coronatur.

Hic Pontefix id. decembr. an. 1294 Neapoli in Consistorio coram Cardinalibus sponte Pontificatui valedixit, lege prius lata id R. Pontifici facere licere.

In eiusdem locum, omnium Cardinalium suffragiis, decem post dies suffectus fuit Bonifacius VIII, presbyter Cardinalis legatus, pontificii civilisque iuris peritissimus vir.

6. **Electio RR. Pontificum saeculo XIV.** Vita functo Bonifacio VIII, Nicolaus Boccasini, Cardinalis Ostiensis ac magister generalis Ordinis Fratrum Praedicatorum, infimo genere ortus, Papa renuntiatur unanimi assensu (22 oct. 1303) qui nomens ibi assumpsit Benedicti XI.

Clemens V, archiepiscopus antea Burdigalensis, longam post

---

(1) Cfr. RAYNALD. an. 1288, n. 1 ss.

(2) Quidam auctores hodierni id plane negant.

contentionem, undecimo nimirum mense vacantis Sedis, a Cardinalibus Perusiae commorantibus in conclavi constitutis, qui a populo perusino impulsi persaepe fuerunt minisque interdum abrepti, (5 iun. 1305) eligitur.

Hic Lugduni, eo Cardinalibus vocatis, insignia coronationis accipit. Curia romana in Gallias ipsamet transfertur anno 1303, ibique septuaginta circiter annos, magno reipublicae christianae, potissimum vero Urbis detrimento, mansit.

Clemens V comitiorum pontificalium legibus a Gregorio X editis nonnulla addenda censuit in generali Concilio Viennensi (a. 1310), quae in lib. I Clement. tit. III *de elect.* c. *Ne Romani* relata inveniuntur.

Quo Pontifice defuncto (a. 1314), Sedes Apostolica annis duobus, mensibus tribus et diebus decem ac septem vacavit.

Maxima animorum discordia inter Cardinales adfuit; nam pluries conclavé ingressi, inde re infecta egressi sunt. Demum tertio iam ineunte vacationis anno, omnes Cardinales qui tum vivi erant numero 23, studio ac ope Philippi comitis Pictaviensis Lugdunum profecti, conclave eius iussu ingressi fuerunt, « vi et armata manu in conventu Fratrum Praedicatorum inclusi inviti ac repugnantes », ut quidam auctor tradit (1). Qui diuturnas post contentiones, cum acriter a comite urgerentur nec inter se convenire possent, eo tandem devenerunt ut unum eligerent qui R. Pontificem solus nominaret. Sicque per viam compromissi electus fuit (7 aug. 1316) Ioannes XXII, episcopus Cardinalis Portuensis.

Ioannes bellum pro tuendis Ecclesiae iuribus indicere coactus fuit contra Luduvicum Bavariae ducem, qui ab electoribus Germaniae in regem Romanorum post obitum Henrici VII designatus, in Italiam pro imperii diademate accipiendo, invito R. Pontifice, venerat. Eo usque temeritas ac Luduvici audacia pervenit, ut Ioannes papa adactus fuerit illum imperio privare et excommunicatione plectere.

Verum Luduvicus, censuris spretis, Romam in contemptum venit seque contra voluntatem Pontificis a quibusdam romanis in imperatorem confirmari, inungi et coronari curavit. Dein ip-

(1) PANVINIUS, op. cit., p. 205.

sum Ioannem coram se ad sententiam dicendam citari iussit, contendens Ecclesiam ab imperio et non imperium ab Ecclesia pendere; ipsumque Ioannem pontificatu privavit, depositionis sententia contra eum publice perlecta. Die vero Ascensionis Domini a. 1328 coram Romanorum multitudine, ipse imperiali veste indutus ac diademate coronatus Petrum Reinalutum de Corbario Ordinis Fratrum Minorum, in Papam elegit, quem a nonnullis schismaticis episcopis consecrari et Nicolaum V nuncupari iussit.

Post annos circiter tres Nicolaus antipapa profectus Avenionem ad Ioannem XXII sponte pontificatu abdicavit (1).

Benedictus XII (20 dec. 1334) sine ulla contentione, novendialibus persolutis, creatus fuit; item Clemens VI (7 mai. 1342), qui bulla *Licet* magis magisque formam de R. Pontefice eligendo determinavit; pariter Innocentius VI (18 dec. 1352), Urbanus V (6 nov. 1362) et Gregorius XI (30 dec. 1370), qui animadvertens propter absentiam ex Italia et Urbe Roma quamplura mala et scandala orta esse ac passim oriri, omnemque ditionem Sedis Apostolicae seu patrimonium S. Petri a tyrannis vexari, Romam proficisci decrevit.

7. **Schisma occidentale.** Quapropter anno 1376 se suamque Curiam Romam contulit.

Urbano VI Pontifice maximo (9 april. 1378) creato et coronato, nonnulli Cardinales Galli « dolentes Pontificem nimis contumacem, morosum, asperum et inhumanum delegisse » (2), ex Urbe discendentes Anagniam Campaniae profecti sunt ibique coniuratione contra Urbanum facta, pontificatu eum privant, utpote non canonice electum, eo quod non libere, sed metu populi romani papam italum seu romanum postulantis, se eum elegisse contendebant. Id autem falsum plane erat (3). Urbano deposito, Robertum Gebennensem Cardinalem presbyterum basilicae SS. duodecim Apostolorum, die 21 sept. 1378 in papam designant, qui Clemens VII appellari voluit.

Urbanus, his auditis, Robertum et omnes Cardinales qui cum

---

(1) PANVIN., op. cit., p. 214; ROHRBACHER, X, p. 750 ss.

(2) PANVIN., op. cit., p. 154.

(3) Cfr. RAYNALD., an. 1378, n. 2 ss.; PALLAT., *Gesta*, to. III, col. 355; MEIHOM, *Scriptores rer. germ.*, to. I., p. 293.

eo sentiebant, excommunicavit privavitque titulis, dignitatibus atque Cardinalatu. Anno sequenti vero dicti Cardinales una cum antipapa Avenionem profecti sunt. Pessimum hinc diuturnumque schisma inchoatum fuit, quod maxima reipublicae christianae damna attulisse constat, cum alii e fidelibus Urbano, alii Clementi adhaeserint. Gallia, Hispania et Scotia Clementem agnoscebant; contra Italía, Germania, Hungaria, Anglia, Polonia, Dacia, Suecia, Norwegia, Prussia, Frisia et aliae nationes Alemanniae contiguae (1), Urbano obsequebantur, teste Theodorico e Niem (2).

Porro omnes auctores, ne uno quidem excepto, docent electionem Urbani III canonice legitimeque factam fuisse, ut ipsimet Cardinales, qui postea schismati ortum dederunt, in epistola die 19 april. 1378 data ad Cardinales Avenionenses, testati fuerant (3).

De valida Urbani VI electione egregie disseruere Joannes de Lignano (4) et Baldus iurisconsultus celeberrimus (5).

Urbanus, ad conglutinandam Ecclesiam discissam intentus, schismaticos provocabat ut in Concilio oecumenico tollendis publicis offendiculis opera daretur; verum Cardinales perduelles id agere detrectabant (6).

Carolus autem rex Galliae ad schisma interim populos allicere conabatur. Doctorum parisiensium libertàtem vi oppressit, ne Urbani electioni faverent; conventus plurimos habuit in quibus antipapae partes audacter est amplexus; catholicos cum Urbano sentientes impie insectatus est.

Iure merito Urbanus antipapam et patrati flagitii praecipuos auctores, scilicet Ioannem Ambianensem, Geraldum Maioris-Monasterii ac Petrum S. Eustachii in iudicium vocatos, cardinalitiae dignitatis gradu privavit aliisque poenis affecit; item graviter animadvertit, pontificatus tuendi causa, in patriar-

---

(1) Cfr. PANVIN., op. cit., p. 253.

(2) Op. cit., lib. I, c. 15.

(3) Cfr. RAYNALD, a. 1378, n. 19; D'ACHERI, op. cit., to. I, p. 763: PALLAT., op. cit., to. III, pag. 356.

(4) Cfr. *De Schism.*, to. XVIII, p. 40 ss.

(5) Cfr. *De Schism.*, to. V, p. 36 ss.

(6) To. III, *De Schism.*, p. 129.

cam constantinopolitanum, qui blasphemas coniuratorum Cardinalium in Pontificem litteras publice vulgaverat; pariter in Fundorum et Casertae comites, ac Nicolaum Spinellum Joannae reginae Neapolitanae oratorem, et in alios quoque tanti sceleris participes.

At schisma nihilominus, potiusquam cessare, succrescere visum fuit.

Quot et quaenam mala schisma attulerit, incredibile dictu! Nicolaus Clemangis (1) hisce verbis tradit libertatem ecclesiastici ordinis abrogatam morumque sanctitatem obsoletam fuisse in Gallia schismatis tempore: « Postquam importabili sarcina peccatorum exigente, furiale malum schismatis irrepsit in Ecclesiam, ut taceam de aliis, de papatu contendentibus quid Clemente nostro quoad vixit miserabilius, qui ita se servum Gallicis principibus adiecerat, ut eas ferret iniurias et contumelias, quae ipsi quotidie ab aulicis inferebantur, quas vix deceret in vilissimum mancipium dici. Cedebat ille furori, cedebat tempori, cedebat flagitantium importunitati, fingebat, dissimulabat, largiter promittebat, diem ex die ducebat, his beneficia dabat, illis verba: omnibus quos aut arte assentatoria aut ludicra quos in curiis amicos sibi fecerat summopere placere studebat eosque beneficiis promereri, quo talium patrocinio dominorum gratiam et favorem assequeretur. His itaque, atque iuvenibus nitidis et elegantibus, quorum maxime consortio gaudebat, singulos fere vacantes episcopatus, ceterasque praecipuas dignitates impendebat... omnem clerum secularium magistratuum dispositioni ita subiiciebat, ut magis quilibet eorum quam ipse putaretur dominus ».

Urbanus VI mortalem vitam absolvit die 13 oct. 1389. Post decem et septem dies ab obitu eiusdem, unanimi fere Cardinalium consensu Papa renuntiatur Petrus vulgo Perinus Thomacellus Cardinalis, qui Bonifacii IX nomen sumit.

De morte Urbani ac de Bonifacii electione constat, praeterquam ad episcopos, litteras etiam missas fuisse ad imperatorem Wenceslaum, Joannem Lusitaniae, Sigismundum Hungariae, Richardum Angliae reges, Margaretam Norvegiae reginam, Antonium Venerium Venetorum et Antoniotum Adurnum Genuensium duces,

(1) Lib. *De corrupt. stat. Eccl.*, p. 56.

Florentinos, Pisanos, Galeatium e Vicecomitibus, Virtutum comitem, Edmundum Eboracensem, Othonem Brunsvicensem, Fridericum, Stephanum Ioannem Albertum Bavariae, Albertum Austriae duces nec non ad alios quam plures proceres, teste Theodorico e Niem (1).

Clemens vero antipapa in novum legitimum Pontificem insurrexit eumque tamquam *schismaticum* ac *apostaticum* censuris affecit et quavis pontificia dignitate privatum declaravit.

Bonifacius item, ne condita ab Urbano VI adversus schismaticos edicta decursu temporum exsolescerent, ut Ecclesiae dignitas contra eorum conatus assereretur, tum antipapam tum Cardinales et quotquot alios eidem favebant anathemate perculit ac poenis omnibus a praedecessore constitutis irretitos decrevit; deditque praesulibus mandata ut eiusmodi in eos sanctiones solemniter divulgarent (2).

Defuncto (a. 1394) antipapa Clemente VII, Galli instaurandae pacis solliciti, pseudocardinales rogarunt ne quem Clementi subrogarent, ut facilis via pateret ad schisma tollendum. Verum ii indignum rati successori Urbani, quem insectati fuerant, se subiicere, novum antipapam eligere decrevere, quem sacramento obstrictum voluerunt, honore habiturum, si Bonifacius pontificatu sese abdicaret, ut communibus omnium votis novus Pontifex crearetur; qua excogitata re, hanc iurisiurandi formulam subiectis verbis conceperunt, quam singuli, antequam suffragio ferrent, nuncuparunt:

« Nos omnes et singuli S. R. E. Cardinales congregati pro electione futura in conclavi ante altare, in quo Missa communis celebrari consuevit, pro Dei servitio, unitate Ecclesiae suae sanctae, ac salute animarum fidelium omnium promittimus et iuramus ad sancta Dei Evangelia corporaliter per nos tacta quod absque dolo fraude et machinatione quibuscumque ad unionem Ecclesiae et finem imponendum schismati (proh dolor!) in ecclesia nunc vigenti, quantum in nobis erit, laborabimus fideliter et diligenter, et per nos, quantum ad nos pertinebit, et dabimus pastori nostro et gregis dominici ac Vicario Domini nostri Jesu

(1) L. c., cap. 68 s.
(2) Lib. II, *Ep. cur.*, p. 233.

Christi futuro, qui erit pro tempore, auxilium, consilium et favorem, nec ad impediendum praemissa dabimus consilium vel favorem, directe vel indirecte, publice vel occulte: et ista omnia et singula et alia ultra praemissa omnes vias utiles et accommodatas ad utilitatem Ecclesiae et unionem praedictam sane et veraciter sine machinatione seu excusatione vel dilatione quacumque, servabit et procurabit posse tenus quilibet nostrum etiam si fuerit assumptus ad Apostolatum, etiam usque ad cessionem inclusive per ipsum de papatu faciendam, si dominis Cardinalibus, qui nunc sunt vel erunt in futurum, hoc pro bono Ecclesiae et unionis praedictae videatur expedire » (1).

Die 28 sept. eiusdem anni (1394) in pseudopontificem Avenione creatus fuit Cardinalis Petrus de Luna, qui nomen sumpsit Benedicti XIII, vir eruditione clarus, at audacia simul atque malitia praeditus, qui diri schismatis particeps fuerat.

Hic antipapa suam de schismate tollendo mentem pandit. Verum id nonnisi ficte agit, cum aliam profecto voluntatem ipsius fuisse eventus satis comprobarint.

Insignes coetus Parisiis habiti sunt, in quibus ad pristinam Ecclesiarum coniunctionem redintegrandam utriusque abdicationis via proposita fuit (2). Item Concilium generale propositum fuisse constat pro schismate eliminando; pariter via compromissi a nonnullis doctoribus et praelatis enunciata fuit (3).

Verum Petrus de Luna ob unum aliumve praetextum schismati auferendo operam dare detrectavit, ita ut ipsi dira diuturnitas, quae tot tantaque mala peperit, imputanda sit.

Vita functo Bonifacio IX, die 17 octobr. 1404 in eiusdem locum sufficitur Innocentius VII, archiepiscopus antea Bononiensis.

Ubi primum Innocentius sedem Romanam obtinuit, datis litteris Apostolicis dolos antipapae Benedicti XIII detegit, ac sua candide pro sedando schismate vota pandit, catholicorum synodum ad hoc indicens.

Cum mortalem vitam absolvisset Innocentius VII, Cardinales, iustis funeribus ei persolutis, ancipites diu haesere, num ma-

---

(1) To. VII, *de Schism.*, pag. 21.
(2) Cfr. to. VIII, *de Schism.*, p. 88 s.; Iuvenal. Ursin. in Carol. VI.
(3) To. VII, *de Schism.*, p. 171 ss.

turandae Ecclesiarum coniunctionis causa Romani Pontificis creationem differrent, modo Petrus de Luna pseudo pontificatu se abdicaret. At cum graves in contrarium urgerent causae et Petri legati negarent illum honore abiturum, collatis consiliis decreverunt novum Pontificem creandum obstringendumque esse ad pacis ecclesiasticae restitutionem, positis una cum aemulo papalibus insigniis. Promisit scilicet et iuravit unusquisque patrum ac solemni chirographo inscripsit se Pontificatum depositurum, si adversarius Pontifex idem faceret, idque statim illi per litteras significaturum et invitaturum ad hoc faciendum; procuraturum insuper se fore omnium virium contentione unitatem; eiusmodi promissionem et votum ac iuramentum omnibus regibus principibusque per suas litteras primo quoque tempore significaturum, quo eos testes haberet obligationis suae (3).

Pridie kal. decemb. 1406 unanimi Cardinalium assensu Papa creatur Angelus Corarius, natione Venetus, Gregorius XII, nuncupatus, qui decimo a sua electione die excurrente litteras ad Petrum de Luna antipapam dedit, quibus exposuit se ad coniugendas Ecclesias pontificatui renunciaturum, si ipse eiusdem honoris insignia abiiceret, ut tertius Pontifex utriusque collegii communibus votis designaretur, sub quo divulsa tanto tempore mystica membra coalescerent (4).

Iisdem sententiis conceptae litterae ad pseudocardinales missae fuerunt; ipsimet reges, principes, praesules populique certiores facti sunt de his omnibus, teste Theodorico e Niem (1).

At pristinae Ecclesiarum restituendae coniunctionis speciosa spes post multos navatos labores suspensas piorum mentes expectationemque delusit.

Cardinales utriusque *obedientiae*, ut aiunt, Concilium Pisis indicendum duxerunt, in quo criminum capita sive Gregorio sive Petro de Luna obiecta in triginta septem articulos distributa fuere. Utrumque, papam scilicet et antipapam, pontificia dignitate privatum Concilium lata sententia declaravit (2).

---

(1) Cfr. Aretin., *Hist. rer. Italic.* III, 3; Gobelin., *Cosm. aet.* 6, c. 88; Theod. e Niem, lib. III, c. 88; S. Antonin., part. III, tit. XXII, c. 5.

(2) Cfr. Aretin., *Ep.* lib. II, ep. IV; To. XXIV, *de Schism.*, p. 150.

(3) Lib. I. c. 2.

(4) To. XXII, *de Schism.*, p. 158.

Quo facto, Cardinales in Pontificem maximum creant die 26 iun. 1409 Petrum de Candia, presbyterum cardinalem tit. duodecim Apostolorum, ex Ordine fratrum Minorum, Alexandrum V nuncupatum.

Controvertitur num Pisanum Concilium legitimum fuerit, necne. Cum sine papae auctoritate convocatum celebratumque fuisse constet, dubitandum haud est quin spurium et illegitimum plane fuerit. Exinde manifesto sequitur Alexandrum V pseudopontificem fuisse; « non tamen inficias imus Alexandrum eiusque successorem sine culpa a pluribus ut veros Pontifices habitos esse, cum praesulum et doctorum pars maxima eos veneraretur» (1).

Gregorius XII interea Synodum Aquileiensem indixit et habuit, in qua duo pseudopontifices damnati fuere. Idem Pontifex, teste Theodorico e Niem (2), pollicitus est se insignia papalia depositurum, si Petrus de Candia ac Petrus de Luna fastigio cederent, ut communibus dein Cardinalium suffragis novus crearetur Papa, regesque Robertum Romanorum, Sigismundum Hungariae, Ladislaum Siciliae designavit, qui de communi loco pro oecumenico indicendo Concilio cum adversarum partium principibus paciscerentur.

Vita functo antipapa Clemente V, Cardinales de novo subrogando Pontifice consilia agitaturi, conclave ingressi sunt ac Balthassarem Cossam S. Eustachii diaconum cardinalem, qui Bononiae apostolici legati munere fungebatur, Pontificem renuntiarunt die 17 maii an. 1410 (3) qui nomen sumpsit Ioannis XXIII.

Indignus plane erat hic Balthassar nedum pontificatu, verum et sacerdotio, quippe qui, teste S. Antonino (4), erat « vir quidem in temporalibus magnus, in spiritualibus nullus omnino atque ineptus ».

Ubi primum electus est, litteras Encyclicas ad universos Praesules misit ac omnes ad suum obsequium traducere visus fuit.

Ad res componendas Cardinales et Praesules ac reges de oecumenico cogendo Concilio provide cogitarunt. Quem ad finem

---

(1) Cfr. S. Antonin,. part. III, tit. XXII, c. 5: Raynald., an. 1409, n. 80 To. XXIV, *de Schism.*, p. 158.

(2) Op. cit., lib. III, c. 45 et 46.

(3) Cfr. Theod. e Niem, in *Vita Ioann.* XXIII.

(4) Op. cit., part. III, tit. XXII, c. 6.

Constantia urbs mutuo consilio delecta fuit. Gregorius XII autem solemnibus episcoporum, coetibus Constantiae habitis auctoritatem attribuit, quatenus, permisit generalis Synodi nomine ac dignitate eosdem muniri, anno Domini millesimo quadringentesimo decimo quinto, indictione octava, ea lege ut Ioannes nec praeesset Concilio nec interesset. Cum Gregorius Papa legitimus fuerit, nullum dubium quin dicta Constantiensis Synodus legitima dicenda sit quoad convocationem, quidquid perperam opinentur in contrarium nonnulli auctores.

Eo Patres Concilii studia verterunt ut sponte ac libere Pontifices pacem Ecclesiae darent *per viam cessionis papatus* (1) sicque novi Papae electioni locus esset.

Gregorius haud difficilem se praebuit, quippe qui Carolo Malatestae sibi addictissimo potestatem fecit, exarato diplomate VI id. mart., ut in Concilio ipsius nomine pontificatui cederet, qui reapse cessit. Petrus de Luna, Benedictus XIII nuncupatus, qui Castellae et Aragoniae regum obsequio ac viribus nitebatur, magnam molestiam exhibebat. Ioannes XXIII seu Balthassar Cossa plurimos post conatus ex parte Praesulum et principum, facultatem dedit Sigismundo Romanorum regi, singula observatum iri pacisceretur cum Ferdinando Aragonum rege et Petro de Luna, quae in reipublicae christianae bonum utilia visa fuissent promulgavitque editis litteris nihil in Synodo Constantiensi novandum esse, quod paci ecclesiasticae instaurandae adversaretur, dummodo vicissim Petrus de Luna nil contra Ecclesiam moliretur (2).

Verum paulo post Ioannes Constantia discedens in Schaphusensem locum profectus est.

Cum plura accusationum capita in Ioannem allata fuissent, Concilium die 29 maii illum depositum carcerique obnoxium pro poenitentia agenda declaravit, quousque provisum esset Romanae Ecclesiae de summo Pontifice (3). Quam sententiam in se latam Ioannes humiliter acceptans « papatui et iuri, si quod in eodem

---

(1) Cfr. to. XXII, *de Schism.*, c. 5.

(2) *De Schism.*, l. c. c. 2.

(3) Cfr. *Act. Conc. Const.* sess. XII; THEOD. e NIEM in *Vita Ioannis* XXIII.

sibi qualitercumque competierat... omni modo, via et forma quibus melius potuit, resignavit cessit et renuntiavit expresse » (1)

Petrum de Luna, qui Paniscolam aufugerat ac sponte libereque papatui cedere renuerat, die 26 iulii an. 1417 Concilium Constantiense in trigesima septima sessione anathemate perculit utpote « periurum, universalis Ecclesiae scandalizatorem, fautorem et nutritorem inveterati schismatis, et inveteratae scissurae et divisionis Ecclesiae sanctae Dei, pacis et unionis eiusdem Ecclesiae impeditorem et turbatorem, schismaticum et haereticum, ac a fide devium, et articuli fidei, *unam, sanctam, catholicam Ecclesiam,* violatorem pertinacem, cum scandalo Ecclesiae Dei, incorregibilem notorium et manifestum, ac omni titulo, gradu, honore et dignitate se reddidisse indignum, a Deo eiectum et praecisum, et omni iure eidem in papatu et Romana Ecclesia quomodolibet competente, ipso iure privatum » (2).

Cum vacans proinde Apostolica Sedes facta esset, Concilium de novo creando Pontifice cogitavit. Quo maiori integritate ac ordine celebraretur electio, statuit ut e singulis nationibus sex praesules vel alii conspicui viri ecclesiastici delecti, Cardinalibus, ea tantum vice, adiungerentur; ac ille ab universali Ecclesia Romanus Pontifex haberetur, qui a duabus partibus Cardinalium in conclavi existentium et a cuiuslibet nationis duabus partibus, eisdem Cardinalibus adiunctis, electus fuisset ac receptus (3).

Quibus aliisque de electione regulis servatis, die 11 novemb. a. 1417 Odo de Columna S. Gregorii ad Velum aureum diaconus cardinalis, natione romanus, communibus suffragiis Papa renuntiatus fuit, qui Martinus V nuncupari voluit. Si ad accuratius examen is numerus revocetur, non V sed III dicendus esset; sed cum iam ante, Martinus Nicolai III successor ob Marini I et II nomina cum Martini nomine a vulgo confusa, Martinus IV fuisset vocatus, qui II re ipsa erat, visum est V cognomen adiungendum (4).

---

(1) *Act. Conc. Const.* sess. XIII.
(2) *Act. Conc. Const.* sess. XXXVII.
(3) *Act. Conc. Const.* sess. IV.
(4) RAYNALD. an. 1417, n. 2; PANVIN., op. cit., p. 168.

Sic, favente Deo, post quadraginta circiter annos finem habuit teterrimum schisma quod innumera mala christianae reipublicae attulit.

Inde a Martino V usque ad Clementem VII, electionem Romanorum Pontificum quiete ac pacifice, paucis admodum diebus absolutam fuisse constat.

Ab initio saeculi XVI nonnullae nationes, seu Gallia, Austria et Hispania sibimet ius vindicarunt excludendi aliquem Cardinalem a summo Pontificatu, quatenus significabant hunc vel illum candidatum sibi aliqua de causa acceptum minime fore, et consequenter ne ob Ecclesiae bonum is Papa renuntiaretur. Dein ulterius progressae sunt. Ad finem siquidem saeculi XVIII nedum rogare, verum etiam absolute praecipere unius alteriusve Cardinalis exclusionem coeperunt.

Hinc *veto,* ut aiunt, seu *exclusiva,* quae factionibus occasionem dedit causaque non raro fuit diuturnitatis comitiorum in Pontifice maximo deligendo.

Sane, defuncto Adriano VI (14 sept. 1523), conclave mensem unum ac undeviginti dies duravit. Nam illud Cardinales ingressi atque in duas factiones, Pompeio Columna et Julio Medice adversis ducibus, discissi, de Pontifice eligendo graviter decertarunt. Post varias contentiones Iulius Medices Leonis X patruelis, presbyter cardinalis tit. S. Laurentii in Damaso, communi consensu Papa creatus fuit (19 nov.). Qui admisso delatae ipsi dignitatis iure, et Clementis VII nomine accepto, flagitavit iterum servato scrutiniorum more deligi, professus publica scriptura se parto iuri non diffidere, vel cedere, sed ad corroborandum magis pontificale ius id exquirere (1).

Scrutinio autem de more confecto, Cardinales priorem confirmarunt electionem; sicque Clemens VII legitime canoniceque pontificiam est assecutus dignitatem.

Post obitum Pauli III (10 nov. 1549), in duas contrarias partes Cardinales, conclave ingressi, divisi sunt, quarum altera Caesarianorum erat, altera Gallorum et Farnesiorum. Has ob dissensiones electio dilata fuit usque ad diem septimam februarii

---

(1) PANVIN., op. cit., p. 446.

anni sequentis, ita ut comitia pro novo designando Pontifice duos menses duraverint et dies decem. Demum communibus suffragiis Papa renuntiatus fuit (8 febr. 1550) Ioannes Maria episcopus Portuensis, cardinalis de Monte, qui Iulius III nuncupari voluit.

Vita functo Paulo IV (18 aug. 1559), Romana sedes quatuor menses vacavit. Etenim dira seditio, Paulo IV morituro, orta est, ita ut, nonnisi populari furore sedato, licuerit Cardinalibus conclave ingredi ac de Pontifice eligendo inter se convenire. Ioannes Angelus tit. Sanctae Priscae presbyter cardinalis de Mediceis nuncupatus, VII kal. ian. 1660 electus fuit, qui nomen sibi sumpsit Pauli IV (1).

Comitia pro successore Urbani VII creando duo menses durarunt (6 oct. – 5 dec. 1590), tum propter Cardinalium dissensiones tum ob rerum satis infausta adiuncta. Demum electus fuit Gregorius XIV.

Eadem fere de causa comitia pro designando Innocentio X unum mensem ac septem dies (9 aug. – 16 sept. 1633) durasse constat (2).

Item post obitum Innocentii X, cum Cardinales conclave ingressi ancipites dissentirent, nonnisi duos post menses ac viginti dies (18 ian. – 7 april 1655) in Pontificem maximum crearunt Fabium Chigi, qui Alexander VII vocari optavit (3).

Comitia pro Clemente X eligendo quatuor menses ac dies novem ob sacri Collegii contentiones perdurasse historia fatetur (20 dec. 1669 - 29 april. 1670).

Eaedem contentiones ob inductum praetensum ius *exclusivae* causam praebuerunt diuturnitati comitiorum in electione Innocentii XI (2 aug.–21 sept. 1676); Alexandri VIII (23 aug.–6 octob. 1689); Innocentii XII (12 febr.–12 iul. 1691); Clementis XI (4 oct.–23 nov. 1700); Innocentii XIII (1 april.–8 maii 1721); Benedicti XIII (20 mart.–29 maii 1724); Clementis XII (3 mart.-12 iul. 1730); Benedicti XIV (18 febr.–20 aug. 1740); Clementis XIII (15 mai - 6 iul. 1758); Clementis XIV (15 febr.–19 maii

(1) Cfr. *Act. Consist. ms. Card. Spadae*, sig. n. 134, p. 273.
(2) Cfr. PALLAVIC., *Storia del Concilio di Trento*, lib. XXIV.
(3) Cfr. PALLAVIC., l. c.

1769); Pii VI (5 oct. 1774 - 15 febr. 1775); Pii VII (30 novemb. 1799 - 14 mart. 1800); Pii VIII (23 febr.-31 mart. 1823); Gregorii XVI (14 dec. 1830 - 2 febr. 1831).

Haec breviter indicasse sufficiat, cum alibi fuse disserendum erit de *veto*, ut aiunt, seu *exclusiva* in RR. Pontificum electione.

CAPUT III.

De Conclavi.

ARTICULUS I.

Historica origo ac evolutio.

Bibliographia: Busenelli, *De summi Pontificis eligendi forma historica dissertatio*, p. 15 ss.; Camarda, op. cit, p. 53 ss.; Bonacina, op. cit., p. 35 ss.; Lottini, *Dissertatio de sacris Cardinalium comitiis sive de conclavi*, p. 28 ss.; Ingoli F., *Caeremoniale continens ritus electionis Romani Pontificis*, Romae, 1816; Panvinius, op. cit. p. 65; Platina, op. cit. p. 73; Passerini, op. cit. p. 32 ss.; Lavorius, *Variae lucubrationes canonicae*, I, p. 53 ss.; Brancacci F. M., *Dissertatio de pactionibus Cardinalium, quae vocantur conclavis*, Romae, 1672; Fagnanus, in cap. *Licet de vitanda 6 X, de elect.*, n. 77 ss.; Gonzales, *in cit. caput*, n. 23 ss.; Meuschen, *Caeremonialia electionis et coronationis Pontificis Romani*, p. 28 ss.; Berardi, *Comm. in ius eccl. univ.*, to. I, p. 91 ss.; Fueslinus, *Conclavia romana reserata*, p. 28; Thomass., op. cit. II, lib. 2, cap. 1 ss.; Schmalzgrueber, in cap. *Licet de vitanda, 6 X de elect.*, n. 35 ss.; Schönmann, *De electione Romani Pontificis, Roma non libera, iuxta constitutiones apostolicas valide peragenda*, p. 25 s.; Suaresius, *De crocea veste Cardinalium in conclavi*, Romae 1728; Hahn, op. cit. p. 18 ss.; Wernz, l. c.

Berthelet, *La elezione dei Papi*, Roma 1903; *Conclavi, Pontefici e Cardinali nel secolo IX. Atti concernenti la malattia, morte ed elezione del Papa*, Torino-Roma 1903; Bonghi R., *Il conclave e il diritto dei governi*, in *Nuova Antologia*, 1872, vol. XXI, p. 657-681, 882-905; vol. XXII, p. 132-154; Ceccaroni A., *Il conclave. Storia, costituzioni, cerimonie*, Torino-Roma 1901; De Cesare, *Il conclave di Leone XIII*, Città di Castello 1885; Cipoletta, *Memorie storiche sui conclavi da Pio VII a Pio IX*, Milano 1863; *Conclavi de Pontefici Romani*, Köln 1667 und 1691; Dardano, *Diario dei Conclavi*, Firenze 1872; Cancellieri F., *Notizie istoriche delle stagioni e dei siti diversi, in cui sono stati tenuti i conclavi*, p. 15 ss.; Marangoni,

Cerimonial del conclave o esposizione di ciò che si suol praticari per l'elezione del Sommo Pontefice, p. 22 ss.; NOVAES, *Il sacro rito antico e moderno della elezione, coronazione e solenne possesso del Sommo Pontefice*, p. 13 ss.; MORONI, op. cit. v. *Conclave;* GRABINSKI, *Il conclave,* Roma 1908.

ARTANÉ, op. cit. I, p. 153 ss.; BIGNONI H., *Traité sommaire de l'élection des Papes*, p. 18 ss.; *Histoire des conclaves;* L. LECTOR, *Le conclave. Origines, histoire, organisation, legislation ancienne et moderne*, Paris 1894; DERS, *L'élection papale*, Paris 1903; PETRUCELLI, DELLA GATTINA, *Histoire diplomatique des conclaves*, Paris 1865; UN TÉMOIN, (Kardinal Mathieu), *Le derniers jours de Léon XIII et le conclave*, Paris 1904; CARTWRIGHT W. C., *De la constitution des conclaves pontificaux*, Paris 1870; BARBIER DE MONTANET, *Le conclave et le Pape*, Paris 1904; FILLIES, *Le conclave*, Paris 1885; ARDIER, *Histoire des conclaves*, Paris 1898.

HINSCHIUS, *K. R.*, I, 217; L. GAUGUSCH, *Das Rechtsinstitut d. Papstwahl*, 1905; H. GRAUERT, *Papstwahlstudien,* Hist. Jb. XX, 1899, 236 ff.; TH. GRANDERATH, *Die Papstwahl Stimmen. a. L. M.* 1874, I, 401 ff.; G. ZÖPFFEL, *Die Papstwahlen u. d. m. ihnen im nächsten Zusammenhang stehend. Zeremonien in ihr. Entwichl.* v. 11. bis 14 Jhdt, 1872; H. J. WURM, *Die Papstwahl. Ihre Gesch. u. Gebräuche*, 1902; FRIEDBERG, *Lehrbuch des K. K. R. 5. Aufl.*, 1903; SCHULTE, *Lehre von den Quellen des Kirchenrechtes,* 1860; HÄBERLIN, *Römisches Konklave oder gründliche Nachricht von demjenigen, was von dem Tode eines Papstes bis zu der Wahl und Krönung eines neuen in Rom vorzugehen pflegte,* Leipzig und Helmstädt 1769.

CARTWRIGHT, *On papal conclaves*, 1868; PENNIGTON, *The papal conclave*, 1897.

Summarium: 1. Origo historica. — 2. Constit. « *Ubi periculum* » Gregorii X. — 3. Adriani V allocutio consitorialis, Constit. « *Licet* » Ioannis XX, et Constitutiones Coelestini V. — 4. Constit. « *Ne Romani* » Clementis V. — 5. Constit. « *Licetin Constitutione* » Clementis VI. — 6. Bulla « *Periculis et detrimentis* » Gregorii XI, et Concilium Constantiense. — 7. Const. « *Cum tam divino* » Iulii II. — 8. Const. « *Cum secundum* » Pauli IV.

1. **Origo historica.** — Duplicem sibi finem proposuerat Alexander III per Bullam « *Licet de vitanda discordia* » obtinendum, utrumque sane optimum, nimirum ut viri doctrina ac religione praestantissimi Pontifices eligerentur, nec non ut sollicitiori modo perficeretur electio. Id autem fausto omine factum fuisse eventus reapse comprobavit. Nam inde ab Alexandro III Supremum Pontificatum assecuti sunt viri tum scientia tum vitae sanctitate praeclari, quique nulla fere interiecta mora electi fuerunt. V. gr. Urbanus III (an. 1185) primo die vacationis designatus fuit; Gregorius VIII (an. 1187) die secundo ab obitu Praedecessoris; Cle-

mens III (an. 1187) tertio die; Coelestinus III (an. 1191) die quinto; Innocentius III (an. 1198) ipso die obitus; Honorius III (an. 1216) secundo die vacationis.

Inde tamen a Coelestino IV (an. 1241) vacationem Apostolicae Sedis diutius protrahi coepit. Etenim Fridericus II, prava elatus superbia, Romanum Pontificem suum optabat mancipium fieri, quo valeret in eum plenam auctoritatem ac iurisdictionem pro lubito exercere iuxta effatum: « Papam (Fridericus) creare gestivit, ac Sedem Apostolicam subiicere ditioni ».

Cum autem cupidus rex Pontificem de facto eligere nec posset neque auderet, de suffragio Cardinalium acquirendo cogitavit, ut is Papa ideo eligeretur qui sibimet foret benevisus. Quem ad finem quosdam Cardinales blanditiis attrectavit, quosdam minis permovit, aliosque in carcerem iniecit. Hinc post obitum Coelestini IV (an. 1241) vacatio Sedis Apostolicae unum annum, sex menses et quindecim dies perduravit. Qua vacatione perdurante, S. Aloysius, Galliae rex, ad Cardinales perbelle scribebat: « Pour la liberté de l'Eglise, soyez assurés de l'appui de la France; ne craignez ni la haine ni l'astuce d'un prince qui voudrait être, à la fois, roi et prêtre. L'Empire et le Sacerdoce doivent être confiés à des personnes distinctes. Pour quel motif voudrait-on joindre l'un à l'autre? Espère-t-on peut-être usurper le siège vacant? A vous d'y pourvoir. Prétendrait-on vous acheter? Mais la religion ne se vend pas. Considérez ce qu'à votre prudence il convient de faire. Demeurez fermes, suivez la vérité, craignez Dieu et ne subissez pas le joug sous lequel vous avez déjà trop courbé la tête ».

Post obitum Alexandri IV vacatio menses tres diesque quatuor duravit; post obitum Urbani IV menses quatuor ac duos dies; post obitum Clementis IV annos duos et menses decem; quae postrema vacatio aliis omnibus longior fuit.

Hac occasione primaeva occurrit Conclavis origo.
Anno 1271 septendecim Cardinales Viterbii degebant electionis Pontificis causa. At tempus perperam terebant, cum inter se non convenirent, discordia forte abrepti, in unam eamdemque personam.

Populus Viterbiensis id aegro animo ferens, ad extremum quoddam medium recurrere cogitavit, ut vacationi tandem finem imponeret. Cardinales in palatio episcopali inclusi fuerunt, ad cuius custodiam milites deputati sunt, ne quis ingrederetur aut

inde exiret. Cum nihilominus ad Papae electionem non devenirent electores, populus, indignatione motus, tectum abstulit palatii episcopalis et Cardinalibus panem dumtaxat et aquam pro victu porrexit.

Tandem compromisso facto quo electionis negotium Cardinalibus sex ex ipsis est demandatum, nominatus fuit die 1 sept. an. 1271 Gregorius X.

Hic Pontifex, ne in posterum gravissima incommoda renovarentur ex diutina vacatione profluentia, die 7 iulii 1274 Constit. « *Ubi periculum* » edidit, qua disciplinam de Conclavi induxit.

2. **Constitutio « Ubi periculum » Gregorii X.** — Quae prudenti consilio Gregorius X in citata Constitutione servanda statuit ad haec reducuntur:

1. Pontifice defuncto, Cardinales in Curia praesentes (vel alibi, si extra civitatem, in qua erat Curia, Papam mori contingat), antequam procedant ad electionem novi Pontificis, absentes expectare decem diebus tenentur. Quibus elapsis, ingredi debent palatium in quo Pontifex defunctus habitabat; unum vero conclave nullo intermedio pariete omnes inhabitare in communi tenentur, ita undique clausum ut nemo intrare valeat aut exire.

2. Singuli Cardinales unum dumtaxat secum servum in Conclave adducere possunt, laicum vel clericum pro cuiusque arbitrio; iis tamen, qui peculiari laborant necessitate, duos habere licet.

3. Nemo potest ad Cardinales accedere, aut eos alloqui, vel ad eosdem scripturam mittere aut legatos, nisi consensus intercedat totius Sacri Collegii, et pro rebus tantum quae electionis negotium respiciunt; aliter facientes ipso facto excommunicatione percelluntur.

4. In praedicto Conclavi aliqua fenestra inveniri debet, per quam victus Cardinalibus ministretur, ita tamen ut per eam nulli ad eos pateat ingressus.

5. Si intra tres dies, postquam Cardinales conclave ingressi sint, Papam nondum elegerint, per spatium quinque dierum immediate sequentium, tam in prandio quam in coena unum dumtaxat ferculum eis porrigatur; quinque diebus inutiliter elapsis, panis tantum, vinum et aqua eis ministrentur, donec provisio Sedis Apostolicae subsequatur.

6. Vacatione durante, Cardinales nihil percipere possunt de bonis ad Cameram Papae pertinentibus, aut de aliis quibuscumque, sed omnia bona omnesque fructus sub custodia Camerarii unice remanent, futuro Pontifici reservanda.

7. Si aliquis e Cardinalibus conclave non ingrediatur aut iusta de causa exeat, procedendum nihilosecius est ad electionem, nulla ob id mora interiecta.

8. Cardinalibus de electionis tantum negotio agere fas est; nisi agatur de Ecclesia defendenda aut de periculo vitando, quod omnibus et singulis Cardinalibus videatur illi celeriter esse occurrendum.

9. Si Pontifex diem supremum obierit extra civitatem, in qua Curia residet, Cardinales tenentur convenire in civitatem seu territorium vel districtum ubi e vita Papa migravit, modo non agatur de loco interdicto vel contra Ecclesiam Romanam in aperta rebellione; quo casu in urbe seu loco viciniori comitia haberi debent.

10. Magistratus et officiales urbis, in qua electio Pontificis fit, tenentur, quacumque remota fraude aut dolo, curare ut omnia ac singula rite serventur quae in hac Constitutione praecipiuntur, sub poena excommunicationis, interdicti, privationis cuiuslibet dignitatis ac praeeminentiae, nec non suppressionis ipsius dignitatis episcopalis, si forte urbs eadem insignita sit.

11. Cardinales in negotio electionis agendo, nonnisi publicum Ecclesiae bonum prae oculis habere debent, quavis seposita humana affectione, et nullo habito respectu ad pactiones, conventiones seu obligationes, si quas forte intuitu alicuius determinatae personae eligendae contraxerint.

12. Christifideles, nuncio accepto de Summi Pontificis obitu, exequias celebrare tenentur ac quotidie pro sollicita ac utili provisione Romanae Ecclesiae orare. Praelatis vero in suis praedicationibus munus incumbit eosdem fideles excitandi ad orationum frequentiam atque ieiuniorum observantiam.

3. Adriani V allocutio consistorialis, Constitutio Ioannis XX et Constitutiones Coelestini V. — Adrianus V (an. 1276) in quadam allocutione consistoriali suspensam oretenus declaravit Constit. *Ubi periculum* Gregorii X, cum nonnullas in ea perspexisset res actu difficiles atque obscuras.

Ioannes vero XX (an. 1277) in Bulla « *Licet* » praedictam suspensionem ratam habuit et scripto firmavit. At infausto sane exitu. Nam diutinae patuit aditus vacationi Apostolicae Sedis. Re quidem vera post obitum Ioannis XXI S. Sedes per sex menses et amplius vacavit; post obitum Nicolai III (an. 1280) pariter per sex menses; post obitum Honorii IV (an. 1285) per decem menses; post obitum Nicolai IV (an. 1292) per duos annos ac tres menses, post obitum Benedicti XI (an. 1304) per undecim menses; post obitum Clementis V (an. 1314) per annos duos et menses tres.

Coelestinus V (1294) triplici Bulla Constit. « *Ubi periculum* ». Gregorii X conatus est in pristinum revocare vigorem, licet felicem plane effectum sortitus minime sit, prout successivae electiones eventu satis comprobarunt.

4. **Constitutio « Ne Romani » Clementis V.** — Praecipua tantum animadvertenda ducimus ex citata Constitutione.

1. Sede Apostolica vacante, Sacrum Cardinalium Collegium iurisdictionem pontificiam exercere nequit nisi in quantum permittit Concilium Lugdunense.

2. Officium Cardinalis Camerarii et Poenitentiarii per obitum Pontificis minime expirat; quod si eos quoque interim diem supremum obire contingat, coetus Cardinalium pro tempore vacationis alios subrogare valet.

3. Si Papa extra Curiam moriatur, Successoris electio fieri debet intra ambitum dioecesis, in qua e vita Pontifex migravit. Verum si alibi causarum et litterarum audientia, licet suspensa, habetur, ibi electio est peragenda, nisi aliter expressis verbis statutum fuerit a defuncto Papa.

4. Si nondum Pontifice electo, contingat Cardinales omnes aut simul aut successive e conclavi egredi, ii ad quos pertinet executio Constitutionis Gregorii X (id est primariae dignitates), debent eos reintrare compellere sub poenarum sanctione, ut incoeptum electionis negotium ad finem adducant.

5. Cardinales excommunicati vel suspensi aut interdicti iure suffragii ferendi non privantur.

6. Omnes electi et alii quicumque ad Sedem Apostolicam venire vel mittere adstricti, ad eamdem venire aut mittere tenentur ipsa vacatione durante, ac si de facto non vacaret.

Non desunt auctores qui putent (1) Clementem Bullam hanc edidisse sub influxu Philippi Pulcri, qui valde optabat electionem Pontificis fieri in loco ubi Praedecessor obierat, eo fine ut Papa Avenione tunc commorante, rex Galliae suam auctoritatem in re tanti momenti exercere posset. Quaestionem discutiendam, ne diutius immoremur, libenti animo historicis committimus.

5. **Constitutio « Licet » Clementis VI.** — Praecipua capita Constitutionis Clementinae haec sunt:

1. Cardinalis in Conclavi duos servos clericos vel laicos possunt habere.

2. Cardinalibus in prandio et in coena ferculum unum conceditur cum aliis quae ad condimentum vel saporem pertinent, ita tamen ut nullus Cardinalis vesci valeat de alterius ferculo.

3. Cardinales in Conclavi habere possunt velamina simplicium cortinarum, ut honestius quiescere valeant in suis lectis.

6. **Bulla « Periculis et detrimentis » Gregorii XI et Concilium Constantiense.** — Gregorius XI anno 1378, post adventum in Urbem, peculiarem edidit Constitutionem, qua de Conclavi nonnulla statuit, decernens nimirum ut post obitum suipsius Cardinalibus procedere liceret ad Successoris electionem, quin Avenionenses exspectarent Cardinales.

Concilium Constantiense (an. 1417) ut finem schismati daret Occidentali, derogandum duxit Constitutioni Gregorii X. Martinus V sane electus fuit (11 nov. 1417) a 23 Cardinalibus, nec non a 30 viris a nationibus deputatis. Singulae sex nationes, quae suos legatos miserant ad Concilium, quinque viros deputarunt pro suffragio ferendo in electione Pontificis.

7. **Constitutio « Cum tam divino » Iulii II.** — Iulius II aegre ferens nefarias principum intrusiones nec non simoniaca capitula uno aliove modo confecta, optimo consilio profecto edendam censuit Constitutionem « *Cum tam divino* » anno 1503.

Hae sunt maioris momenti praeceptiones in citata Constitutione contentae.

1. Electio Papae, per simoniam facta, nulla ac irrita est. Electus autem veluti haereticus haberi debet; ac praeterea privatur omnibus officiis, beneficiis cuiuscumque generis, priori etiam

(1) Cfr. Wahrmund, op. cit., p. 10 s.

Cardinalatus honore; inhabilis perpetuo efficitur ad omnia praedicta, et contra ipsum a quocumque Cardinali potest opponi de simoniaca labe ac de vera et indubitata haeresi.

2. Electio Papae simoniaca per inthronizationem, temporis cursum, adorationem seu obedientiam omnium Cardinalium, nullo modo nulloque tempore convalidatur.

3. Cardinalibus, clero populoque romano aliisque officialibus universis obedientiam detrectare licet citra culpam Pontifici simoniace electo.

4. Cardinales exquirere possunt brachii saecularis auxilium contra Papam simoniacum, si ausus fuerit universalis Ecclesiae regimen suscipere, quin ipsi schismatici fiant.

5. Cardinales qui Pontificem per simoniam eligunt beneficiis quibuslibet privantur ac dignitatibus, ipso quoque Cardinalatus honore.

6. Mediatores electionis Papae per simoniam, cuiuscumque ii sint dignitatis, qualitatis et ordinis, omnibus suis Ecclesiis, beneficiis, praelaturis et feudis ac aliis quibuscumque honoribus et bonis ipso facto privantur, et ad similia inhabiles omnino fiunt nec non sive active sive passive intestabiles.

7. Obligationes simoniacae, quae in electione Romani Pontificis contrahantur, nullae ac irritae sunt.

8. Cardinales non complices in electione simoniaca Papae alium eligere possunt ac Concilium convocare.

9. Excommunicationem latae sententiae Cardinales incurrunt, si hanc Bullam violent; quidquid vero contra normas in ea contentas sive scienter sive ignoranter factum fuerit, irritum ac inane est.

8. **Constitutio « Cum secundum » Pauli IV** — Paulus IV anno 1558 peculiarem edidit Constitutionem pro crimine ambitus solemniter damnando.

Quae in allata Constitutione Paulus IV statuit ad haec paucis verbis reducuntur.

1. Qui Romanum ambiunt Pontificatum gravissimum delictum, naturali divinoque iure detestabile, patrant.

2. Constitutiones ac decreta Conciliorum contra Pontificatum ambientes confirmantur et, qua opus sit, in viridi, ut aiunt, observantia ponuntur.

3. Tractantes de electione futuri Pontificis, vivente Papa, cuiuscumque dignitatis sint aut gradus vel conditionis ipso facto excommunicatione maiori plectuntur; crimen simoniacae haereseos et laesae maiestatis incurrunt, nec non privationem cuiuslibet dignitatis et honoris, etiam episcopalis vel regalis, beneficii et officii; ius patronatum amittunt; inhabiles fiunt ad dignitates, officia ac beneficia; infamia perpetua tandem notantur.

4. Praedictis poenis percelluntur etiam complices huius delicti, nisi illud revelaverint.

5. Venia tribuitur ei recompensatio iis qui ambitus crimen pandant.

6. Impugnantes hanc Constitutionem ut illicitam, iniustam vel iniquam, cuiuscumque dignitatis existant, etiamsi Cardinalatus honore, aut regia vel imperiali excellentia praefulgeant, ipso facto excommunicationem incurrunt ac veluti schismatici et haeretici sunt inquirendi.

ARTICULUS II.

Canonica legislatio de Conclavi aevo recentiori inducta.

Bibliographia: Barbosa, l. c.; Bonacina, op. cit., p. 48 ss; Bouix, l. c.; Bzovius, *Annal. eccl.* to. XVI, p. 125 s.; Camarda, *Constitutionum Apostolicarum una cum caeremoniali gregoriano et pertinentibus ad electionem Papae, synopsis accurata et plana, necnon elucidatio omnium fere difficultatum quae evenire possunt circa electionem Romani Pontificis*, Reate 1737; Ciaconius, op. cit. II, p. 128 ss.; Fagnanus, l. c.; Hahn, op. cit, p. 18 ss.; Panvinius, op. cit., p. 86 ss.; Passerini, op. cit., p. 29 ss.; Schmalzgrueber, l. c.; Schönmann, op. cit., p. 36 ss.

Berthelet, *La elezione dei Papi*, Roma 1903; Ceccaroni, *Il conclave*, Torino-Roma 1901; *Conclavi dei Pontefici Romani*, Köln 1667-1691; Dardano, *Diario dei conclavi*, Firenze 1872; Moroni, l. c.; *Conclave di Clemente X diviso in sei discorsi curiosi e politici*, Lucca 1672; *Conclave per la morte di Clemente X, nel quale fu creato p. p. Benedetto Odescalchi da Como*, Köln 1677; Posterla F., *Descrizione del conclave in cui fu eletto Clemente XI. Memorie istoriche dell'anno del giubileo 1700; Relazione delle cose più notabili per l'elezione del sommo pontefice Benedetto XIII*, Roma 1724; Cardella, *Memorie storiche dei cardinali della S. Romana Chiesa*, 1792; Calvi, *Curiosità storiche et diplomatiche del secolo decimottavo (Conclave del 1730)*, Milano 1878.

Artaud, *Histoire des Souverains Pontifex jusqu'au règne de Pie VI*, Paris 1847; Barbier de Montanet, *Le conclave et le pape*, Paris 1878;

L. Lector, *Le conclave*. Paris 1894; Petrucelli della Gatttina, *Histoire diplomatique des conclaves*, Paris 1865; *Memoires des intrigues du conclave de l'an 1689 pour l'élection du p. p. Alexandre VIII*; Gendry, *Le conclave de 1774-1775* in *Revue des questions historiques 1892*, p. 450 ss.; Bildt, *Christine de Suède et le conclave de Clemens X* (1669-1670), Paris 1906; Michaud, *La fin de Clément XI et le commencement du pontificat d'Innocent XIII* (1721), in *Revue International de théologie V*, Bern. 1897.

Brühe J. A. M., *Die geheime Geschichte der Wahl Klemens XIV und der Aufhebung des Jesuitenordens*, Aquisgranae, 1848; *Diarium des Konklaves von 1740*, Freiburg. Mohr 1888; Förster T., *Eine Papstwahl vor hundert Jahren. Eine Erinnerung aus dem Jahre 1769*, Berlin 1869; Galland. *Die Papstwahl des Jahres 1700, Hist. Ihb.* III, 1882; Bude, *Leben und Taten des... Papstes Clementis XI*, Frankfurt 1720; Bischoffshausen, *Alexander VIII und der Wr. Hof. 1689-1691*. Stuttgart 1900; Norden, *Papsttum und Kaisertum im 18 Jahrhundert. Deutsche Rundschau VI* (1876); *Landau, Rom, Wien, Neapel während des spanischen Erbfolgekrieges*, Leipzig 1885.

Cartwright, *On papal conclaves*, 1868; Pennington, *The papal conclave*, 1897.

Cfr. etiam bibliographiam sub art. I indicatam.

Summarium : 1. Const. « *In eligendis* » Pii IV. — 2. Constit. « *Aeterni Patris* » Gregorii XV. — 3. Constit. « *Decet* » eiusdem Gregorii XV. — 4. Constit. « *Ad Romani Pontificis* » Urbani VIII. — 5. Bulla « *Inter ceteras* » Alexandri VII. — 6. Breve Alexandri VIII ac Bulla Innocentii XII. — 7. Constit. « *Apostolatus officium* » Clementis XII. — 8. Chirograph. « *Avendo Noi* » eiusdem Pontificis. — 9. Instructio (vulgo *Regolamento*) Constitutioni Leonis XIII adiecta.

1. **Constit. « In eligendis » Pii IV.** — Peculiari procul dubio digna mentione est Constitutio « *In eligendis* » Pii IV die. 1 octobris 1562 edita, quippe quae in unum veluti codicem ordinatim refert quae in electione Romani Pontificis servanda sunt.

Haec est summaria expositio citatae Constitutionis :

1° Electio Pontificis, qui ceteris omnibus praeest pastoribus ac universi gregis custos est, summa diligentia fieri debet.

2° Papa defuncto, Cardinales absentes per decem dies sunt expectandi; interim exequiae Pontificis mortui fiant, ita tamen ut nullo motivo nulloque praetextu ultra novem dies protrahantur. Expensae exequiarum summam decem millium ducatorum non excedant.

3° Decem lapsis diebus, post Missam de Spiritu Sancto Cardinales Conclave ingredi tenentur et ad electionis negotium statim procedere.

4° Singulis diebus scrutinium fieri debet; et a primo iam scrutinio forma *accessus* in electione adhiberi potest.

5° Cardinales, qui Conclave ingredi nolunt, aut ingressi absque manifesta infirmitatis causa, iuramento medicorum et a maiori parte Cardinalium per secreta suffragia haud recognita exeant, incurrunt ipso facto poenas in Constitutione Gregorii X statutas.

6° Cardinales praesentes in Conclavi, et extra, lapsis decem diebus, Papam eligere possunt, quin ullo praetextu electio impugnari queat.

7° Sede Apostolica vacante, Sacrum Cardinalium Collegium nulla fruitur potestate legifera vel iudiciaria aut coactiva. Integra Primatus potestas futuro Pontifici reservatur.

8° Tres Cardinales antiquiores, unus ex quolibet ordine, et Camerarius necessitates occurrentes in Congregationibus proponere debent ac curam clausurae Conclavis gerere.

9° Potestas trium Cardinalium antiquiorum ex quolibet ordine expirat tertio die, et transit ad sequentes in ordine, singulis tribus diebus.

10° Cardinalis vero Camerarii potestas, Sede vacante, non expirat; attamen Camerarius exigere dumtaxat valet pecuniam Camerae Apostolicae debitam, nec non consulere expensis necessario faciendis vacationis tempore, quin ullo modo ipsi agere fas sit expeditiones gratiam aut iustitiam respicientes.

11° Potestas Cardinalis Poenitentiarii eiusque Officialium integra remanet in iis quae forum conscientiae attingunt.

12° Potestas pariter Cardinalium et praelatorum Signaturae gratiae et iustitiae conquiescit obitu Pontificis adveniente.

13° Cellae Conclavis sorte Cardinalibus distribuendae sunt.

14° Praeter Cardinales eorumque servos, nemo immediate supra aut infra Conclave, seu a lateribus habitare aut morari potest. Id autem praecipitur sub poena privationis officiorum et beneficiorum.

15° Cardinales pro tempore deputati clausuram Conclavis saepius visitare tenentur ac diligenter perquirere ne in ipsius Conclavis muris aut laquearibus vetita foramina fiant.

16° Duos tantum servos, clericos vel laicos, Cardinales in Conclavi habere possunt; infirmis vero aut graviter affectis tertius ad summum concedi valet a maiori parte Collegii per suffragia secreta.

17° Servi Cardinalium oportet ut saltem ab anno ipsis commensales sint. Excluduntur porro mercatores, ministri principum, domini temporales et iurisdictionem habentes, fratres ac nepotes Cardinalium, etiamsi eorumdem expensis vivant. De quibus singulis conditionibus Cardinales deputati diligenter inquirere debent, utrum reapse adsint necne.

18° Officiales qui Conclave ingredi valent sunt hi, nimirum: sacrista cum uno clerico coadiutore, duo magistri caeremoniarum, unus religiosus pro confessionibus audiendis, unus Collegii, Secretarius, duo medici, unus chirurgus, unus aromatarius cum duobus ad summum inservientibus, unus faber lignarius, unus cementarius, duo barbitonsores cum uno aut duobus inservientibus, octo aut decem inservientes utilitati publicae.

19° Clauso Conclavi, colloquia cum iis qui sunt extra Conclave omnino prohibentur. Legati principum nequeunt admitti nisi ex magna et urgenti causa a maiori parte Conclavi approbanda.

20° Litterae et signa seu communicationes cuiusque generis, clauso Conclavi, omnino vetantur. Qui delinquant in hac re, Cardinalibus iisdem non exclusis, excommunicationem ipso facto incurrunt Pontifici futuro reservatam.

21° Quaecumque sponsiones super futura Papae electione irritae sunt ac nullae; delinquentes arbitrio gubernatoris vel futuri Pontificis puniri debent.

22° Tam in prandio quam in coena unum ferculum unius speciei Cardinalibus exhibetur, qui in propria cella vesci tenentur.

23° Praelati custodes Conclavis epulas inspicere debent, ne litterae, notae vel signa una cum eis intus Conclave mittantur.

24° Conclavistae aliique servientes e Conclavi egredi prohibentur, nisi ob manifestam infirmitatem iuramento medicorum probatam; semel vero egressi, iterum ingredi minime fas est.

25° Cardinales, qui saltem in diaconatus ordine constituti non sint, iure suffragii ferendi in Pontificis electione non gaudent.

26° Solum Deum prae oculis Cardinales habere debent in re tanti momenti, quavis humana postposita affectione et quolibet excluso pacto aut condicto, nec non omni reiecta principum intercessione. Delinquentes arbitrio futuri Pontificis pro culpae gravitate puniendi sunt.

27° Executio Bullae committitur praelatis, magistratibus ac officialibus urbis in qua electio Pontificis fit, ipsisque principum legatis et aliis a Collegio Cardinalium pro custodia Conclavis deputatis.

28° Cardinalibus hanc Constitutionem immutare nullo modo licet; quin imo iuramento polliceri tenentur se eam fideliter observaturos esse ceu alias Romanorum Pontificum Constitutiones.

29° Cardinales, quacumque licet irretiti sint censura, a voto ferendo nihilominus haud excluduntur.

30° Quae in hac Constitutione decernuntur, ubicumque electio Summi Pontificis etiamsi extra Urbem fiat, observari debent.

2° **Constit. « Aeterni Patris » Gregorii XV.** — Summaria citatae Constitutionis expositio:

1° Electio Pontificis fieri nequit nisi in Conclavi clauso post celebratum in eo Missae Sacrificium, cui omnes tenentur interesse Cardinales.

2° Ad validitatem electionis duae tertiae partes requiruntur, suffragio electi non computato.

3° Triplici modo Romanus Pontifex eligi potest, scilicet per scrutinium, per compromissum et quasi per inspirationem; non excluditur tamen accessus.

4° Forma tamen ordinaria electionis est scrutinium, quo suffragia scripto per schedulas exhibentur.

5° In scrutinio et accessu publicatio suffragiorum semper fieri debet.

6° Si contingat in schedulis plures nominari eosque duas tertias partes suffragiorum nancisci, neuter electus censetur. Si e converso paritas suffragiorum non habeatur, qui duas tertias partes obtinuerit, valide electus est.

7° In unoquoque scrutinio antequam schedulam in calicem mittant, Cardinales iuramento declarare tenentur se *eligere quem secundum Deum iudicant eligi debere.*

8° Schedulae speciali modo oportet impressae, signatae et revolutae seu complicatae sint.

9° Schedulae ita obsignari et complicari debent, ut suffragium secretum prorsus maneat.

10° Accessus quoque, si fieri contingat, secreto peragendus est. Qui accedere alicui ex nominatis in scrutinio voluerit, eius nomen scribere tenetur; si contra accedere noluerit, loco nominis scribat: *accedo nemini.*

11° In scrutinio et in accessu plures nominare non licet sub nullitatis electionis poena.

12° Semel tantum in uno scrutinio accedere fas est, et per accessum non receditur a nominato in scrutinio.

13° Si schedularum numerus praesentium Cardinalium excedat numerum, scrutinium eo ipso nullum censetur.

14° Qui praescriptiones transgrediuntur in hac Constitutione recensitas censura excommunicationis ipso facto percelluntur.

15° Si quis e Cardinalibus ob infirmitatem accedere ad scrutinium nequeat, tres Cardinales sorte deputari debent, qui, servatis servandis, schedulam suffragii accipiant ad scrutinium afferendam.

16° Si valetudinis causa quis manu sua scribere non valeat, per alium, praevio iuramento de secreto servando, scribere ei licet.

17° Tres Scrutatores ac tres Recognitores sorte deputandi sunt pro schedularum aperitione. Schedulae visae ac recognitae semper comburi debent. Scrutatores autem et Recognitores secreti vinculo devinciuntur sub excommunicationis latae sententiae poena.

18° Bis singulis diebus scrutinium peragendum est, mane scilicet post solitam Missam et sero post Hymnum *Veni creator Spiritus;* ad scrutinium porro omnes ac singuli Cardinales sub excommunicationis poena convenire tenentur.

19° Pactiones, promissiones, signa aliaque huiusmodi respectu tam inclusionis quam exclusionis, ipso iure irrita sunt ac nulla, utpote prohibita sub gravissimis poenis, etiamsi iuramento firmata sint. Tractatus nihilominus pro electione haberi possunt.

20° Electio est nulla: *a*) si fiat extra Conclave clausum; *b*) si in scrutinio duae tertiae partes desint suffragiorum; *c*) si, cum agatur de electione per compromissum peracta, omnes ac

singuli Cardinales non consenserint aut electus seipsum designaverit; *d*) si, cum agatur de electione per quasi-inspirationem facta, conventiones peculiares praecesserint quoad personam eligendam, aut si Cardinales singuli praesentes non consenserint, per verbum *Eligo*. Hisce in casibus electio est irrita ac nulla; electus autem veluti apostata haberi debet. Ipse, electores, complices aliique universi fautores excommunicatione maiori multantur, futuro Pontifici servata.

21° Quidquid negotium electionis respicit sub silentio sancte servandum est; sedulo autem caveri debet ne quid directe vel indirecte patefiat.

22° Nulla Cardinalibus competit potestas mutandi aut abrogandi quae hac Constitutione decernuntur.

23° Tres Cardinales, qui singulis diebus Congregationibus agendis praepositi sunt, curare debent ut omnia ac singula adamussim serventur.

24° Cardinales censuris irretiti a Pontificis electione minime repelluntur.

25° Id unum prae oculis Cardinales, quavis postposita humana affectione, habere debent, nimirum Ecclesiae catholicae bonum.

26° Expresse derogatur Constitutionibus et Decretis Conciliorum, nec non quibuslibet aliis huic Constitutioni contrariis.

27° Constitutio haec in prima Congregatione Cardinalium statim post obitum Pontificis legi debet, ac etiam post ingressum in Conclave, et cum quis ad Cardinalatus honorem promovetur, iuramento praestito super illius observantia.

28° In valvis Basilicarum S. Ioannis Lateranensis ac Principis Apostolorum de Urbe, ac Cancellarie Apostolicae, nec non in Acie Campi Florae per cursores pontificios publicanda est.

3. **Constit. « Decet » Gregorii XV.** — Gregorius XV sub die 12 martii 1622 aliam edidit Constitutionem « *Decet Romanum Pontificem* », qua *Caeremoniale* continens ritus electionis Papae traditur. In eo siquidem clare, perspicue ac minute omnia exponuntur quae electionis negotium attingunt. Re quidem vera sermo occurrit de impensis exequiarum, de Missa Spiritus Sancti in Ecclesia S. Petri, de ingressu Conclavis, de conclavistis, de cibis et vestibus, de voce activa et passiva Cardinalium, de modo vitandae electionis nullitatis, de formis electionis, de inspiratione,

de compromisso, de simplici scrutinio ac de accessu, de forma schedularum, de infirmis, de numeratione schedularum, de publicatione scrutinii, de examine suffragiorum, de combustione schedularum ac de aliis omnibus quae uno aliove modo electionem respiciunt Pontificis.

4. **Constit. « Ad Romani Pontificis » Urbani VIII.** — Die 25 ian. 1625 Urbanus VIII Constitutionem « *Ad Romani Pontificis* » edendam censuit, qua Bullas Gregorii XV ambas confirmavit easque ab omnibus observari iussit, quin tamen ipse quidquam addiderit vel immutaverit.

5. **Bulla « Inter cetera » Alexandri VII.** — Alexander VII die 25 oct. 1660 vestigia secutus Praedecessoris S. Pii V Bullam « *Inter cetera* » edendam censuit de bonis Ecclesiae non alienandis, decernens nimirum ut « civitates, terrae, oppida, et loca Sedi Apostolicae in temporalibus mediate et immediate subiecta, perpetuo in iure, dominio et proprietate ac possessione dictae Sedis conserventur ».

Bulla haec peculiarem continet praescripionem quae Sedem vacantem respicit.

« Praeterea quod ipsi Cardinales occurrente Apostolicae Sedis vacatione in Conclavi, quando de observandis Litteris Iulii II Praedecessoris Nostri super electione Romani Pontificis, et aliis Constitutionibus iuramentum praestare solent, etiam de inviolabiliter observanda praesenti Constitutione Nostra per quemlibet eorum, qui in Romanum Pontificem electus fuerit, et postmodum idem ad Summi Pontificatus fastigium assumptus, post eius assumptionem hoc ipsum promittere ac iurare, et deinde post coronationem suam promissionem et iuramentum huiusmodi per litteras suas speciales harum confirmatorias reiterare debeat; quod si illud a Pontifice, quod credendum non est, recusabitur, aut differetur, tam dicti Cardinales in primo Consistorio secreto et praecipue eorum Decanus et Capita Ordinum apud eum omni cum instantia, et instantissime pro praesentium observatione petere et rogare et obtestari non cessent, idque ut omnino efficiat, diligentissime curare studeant, statuimus et ordinamus ».

Videbimus alibi num praescriptio adhuc vigeat necne.

6. **Breve Alexandri VIII ac Bulla Innocentii XII.** — Alexander VIII sub die 29 nov. 1690 Instructionem sub forma

Brevis edidit, qua expensas occasione Conclavis fieri solitas imminuendas optimo consilio decrevit.

Innocentius XII in Bulla « *Romanum decet Pontificem* » diei 21 iun. 1692, moderatur donationes et distributionem redituum ecclesiasticorum in consanguineos ac affines Romani Pontificis; coarctat insuper concessiones beneficiorum et pensionum fieri solitas, Papa aegrotante, in favorem eorumdem consanguineorum aut affinium.

7. **Constit. « Apostolatus officium » Clementis XII.** — In Constitutione « *Apostolatus officium* » a Clemente XII die 4 oct. 1732 edita, plura congrue decernuntur pro recta Conclavis directione ac rerum Sede Apostolica vacante agendarum, ut ex summaria eiusdem expositione manifesto patebit.

1° Romani Pontifices Symmachus, Nicolaus II, Alexander III, Gregorius X, Clemens V, Clemens VI, Iulius II, Paulus IV, Pius IV, Gregorius XV, ac Urbanus VIII, probe intelligentes quanti ponderis et momenti sit electio Romani Pontificis, saluberrimas ediderunt Constitutiones pro eiusmodi negotio provide moderando, quae Praedecessorum Constitutiones, nisi aliter hisce litteris statum sit, plane confirmantur.

2° Solum Deum prae oculis Cardinales habere debent in eligendo Pontifice ac universae Ecclesiae bonum.

3° Cardinales, Sede Apostolica vacua, nulla potestate aut iurisdictione gaudent in iis quae ad Pontificem Summum, dum viveret, pertinebant, neque gratiam neque iustitiam faciendi aut facta per Pontificem defunctum executioni demandandi, sed omnia futuro Pontifici reservantur. Cardinalibus de temporali ditione Apostolicae Sedis aut de pecunia Camerae vel Datariae quidquam disponere valent.

4° Tempore Sedis vacantis duplex est habenda Cardinalium congregatio, altera nempe generalis seu totius Collegii, et altera particularis, quae tribus Cardinalibus antiquioribus constet, uno scilicet ex quoque ordine, cum camerario, quorum officium tertia die post conclavis ingressum expirat, in eorumque locum tres alii sequentes in ordine, quolibet tertio die, una cum eodem Camerario succedunt.

5° In particulari congregatione negotia dumtaxat levioris momenti agi possunt; quae vero graviora videantur, ad gene-

ralem congregationem sunt deferenda. Quidquid in congregatione particulari decretum, resolutum aut denegatum fuerit, in alia congregatione revocari, mutari aut concedi nequit; id faciendi ius generali tantum congregationi per suffragiorum pluralitatem competit.

6° In prima generali congregatione confirmatio gubernatoris Urbis est proponenda; in secunda confirmatio Officialium et ministrorum Curiae Romanae ac ditionis ecclesiasticae, cuiuscumque gradus, qualitatis, ordinis et conditionis.

7° Edicta, quae in provinciis Status Ecclesiastici iuris publici fiunt, Sede Apostolica vacante et Cardinalibus legatis absentibus, ab ipsis pro-legatis cum propria subscriptione, apposito tamen eisdem edictis nomine et, quae typis imprimantur, etiam stemmate gentilitio Cardinalium legatorum absentium, libere publicari debent. Cardinales vero legati, quamdiu a legatione abfuerint ac Sedis vacatio duraverit, nullam potestatem exercere possunt.

8° Tres Cardinales eligendi sunt, qui clausurae praesint et curam conclavis gerant. Cellas Cardinalium ipsi bis qualibet hebdomada, aliaque conclavis loca visitare debent, perquirentes ne in muris, fenestris, laquearibus vel pavimentis vetita foramina sint, ne arma seu stemmata gentilitia cuiusvis Cardinalis, quocumque officio fungentis, alio quam propriae suae cellae imponantur.

9° Scrutinia, quae bis in die pro electione Pontificis a Cardinalibus fiunt, neque renunciari neque evulgari possunt.

10° Frugalitas ac temperantia in victu servari debet, procul ab omni luxu et pompa.

11° Sex ad summum caeremoniarum magistri in comitiis adhiberi possunt, duo scilicet participantes et totidem non participantes nuncupati, ac reliqui duo antiquiores ex supranumerariis.

12° Praeter sacristam alius clericus seu subsacrista nec non trigintaquinque servientes in conclave admitti debent, singuli a Cardinalium Collegio eligendi, modo ex eorumdem familia minime sint.

13° Officium Cardinalis Camerarii et Poenitentiari Maioris per obitum Pontificis non expirat; si vero, Papa defuncto, vacatio eiusmodi officii contingat, Sacrum Collegium secreto procedere debet ad illius deputationem qui Camerarii vel Poenitentiarii vices suppleat usque ad novi Pontificis electionem.

14° Poenitentiarius Maior, Sede Apostolica viduata Pastore, ab iis quoque censuris ecclesiasticis absolvere valet, a quibus iisdem innodati, praeterquam in mortis articulo constituti, nonnisi ab ipso Romano Pontifice pro tempore existente absolvi queunt. Attamen absolutio nonnisi ad tempus et cum reincidentia tribuitur, quatenus ita absoluti ad novum Pontificem intra terminum pro locorum distantia definiendum recurrere tenentur.

15° Si contingat Vicarium Pontificis in Urbe, Sede vacante e vivis decedere, vices-gerens, quamdiu Sedes vacaverit, omnes et singulas facultates, auctoritatem et potestatem, quae eidem Vicario pro exercitio officii vicariatus quomodolibet competebant, acquirit.

16° Ingruentes quod attinet ecclesiarum necessitates haec regula servari debet: si res talis sit quae in aliud tempus differri valeat, futuro Pontifici omnino est reservanda; sin vero nullam admittat moram, Collegium committere potest negotium Praefecto et aliquot aliis Cardinalibus eius Congregationis, ad quam Pontifex illud verisimiliter remisisset.

17° Auditores Signaturae iustitiae prosequi valent causas, quae pendebant coram auditore Papae.

18° Chirographum Alexandri VIII, die 29 nov. 1690 editum, de moderatione expensarum Sede vacante ac ratione conclavis faciendarum, in omnibus et per omnia, nisi aliter cautum fuerit, confirmatur.

19° Officium gubernatoris Conclavis ac civitatis Leoninae supprimitur; praefecto autem palatii apostolici cura demandatur rei publicae Sede vacante consulendi.

20° Item officium supprimitur, utpote supervacaneum, custodis fontium.

21° Litterae Innocentii XII de non solvendis camerario, thesaurario, clericis Camerae aliisque emolumentis in pleno suo vigore remanent; ideoque observandae sunt.

22° Eleemosynarius, mandatis acceptis a tribus Cardinalibus in ordine prioribus, eleemosynas consuetas, quousque novus Pontifex eligatur, distribuere debet in pauperum solatium.

23° Quae in hac Constitutione decernuntur omnibus ad quos spectat observanda sunt, quin Cardinales contra praescripta disponere, ordinare aut statuere quidquam valeant sub poena nulli-

tatis. Tres Cardinales, de quibus supra, hanc Constitutionem in omnibus et per omnia exacte observari curent.

24° Haec Constitutio quinterno Cancellariae Apostolicae est adscribenda atque ad valvas ecclesiae Lateranensis, basilicae Principis Apostolorum, dictaeque Cancellariae et in acie Campi Florae de Urbe publicanda.

25° Si quis eam violaverit indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli incurrit.

8. Chirographum « Avendo Noi » eiusdem Clementis XII.

Die 24 dec. 1732 Clemens XII edidit etiam quandam Instructionem seu chirographum italico sermone concinnatum ut magis ac magis suprema sua auctoritate determinaret quae agenda quaeve vitanda essent Sede Apostolica vacante. Universa huius chirographi materia, ad triplicem sectionem apte reduci valet, quarum in prima Pontifex fuse loquitur de reductione expensarum, quae occasione Conclavis fieri solent; in secunda singula decernit emolumenta inservientibus solvenda; in tertia ordinem exponit Congregationum generalium quae per Cardinales, *Novendialium* tempore, locum habere debent.

De prima ac secunda sectione non est cur disseramus, cum iamdiu obsoleverint quae in utraque praecepta inveniuntur; contra non abs re erit in tertia exponenda aliquantulum immorari.

« Perchè alcune variazioni – decernit Clemens XII – e dichiarazioni da noi stabilite ed ingiunte in detta nostra precedente Costituzione richieggono che si provveda a quello che dovrà farsi nel tempo dei novendiali, vogliamo perciò ed ordiniamo che il solito foglio, il quale s'imprime per regola alle Congregazioni dei reverendissimi Cardinali, contenga quanto segue :

« Che nella prima Congregazione generale, la quale si aduna nella camera de' paramenti, si leggano dal segretario del sacro Collegio le Costituzioni dei Sommi Pontefici Gregorio X, che incomincia *Ubi periculum* al §. *Ceterum*, di Giulio II, *De simoniaca electione*, di Pio IV, di Gregorio XV, *De electione*, e di Urbano VIII confermatoria del rito dell'elezione stabilito dal detto Gregorio, aggiungendovi ancora la detta nostra Costituzione, le quali tutte vengano nell'istesso tempo giurate dalli reverendissimi Cardinali;

« Che si franga l'anello piscatorio; che li presidenti del piombo consegnino l'impressione del piombo delle Bolle, che parimente

verrà infranto; che il datario o sottodatario consegni la cassa delle suppliche, ed il segretario dei Brevi, o il suo sostituto, quella dei Brevi; che si proceda poi alla conferma, ovvero elezione del governatore di Roma, e si deputino due persone erudite, l'una per fare l'orazione in lode del defunto Pontefice, e l'altra sopra l'elezione del nuovo; che si deputino parimente alcuni Cardinali, i quali sopraintendano alla struttura del Conclave; il che terminato, si decompagni poi il cadavare del morto Papa alla Basilica Vaticana;

« Che nella seconda Congregazione, da tenersi nella sagrestia di S. Pietro, si debbano a tenore di detta nostra Bolla, alla quale intieramente ci riferiamo, confermare con un solo giro di bussola tutti gli ufficiali di Roma e dello Stato Ecclesiastico; che vengano ammessi li conservatori di Roma; e che li Cardinali deputati riferiscano la situazione da loro stabilita per la struttura del Conclave;

« Che nella terza Congregazione venga eletto con voti segreti il confessore, e dopo l'occaso del sole si dia sepoltura al cadavere del morto Pontefice, standovi presenti li Cardinali dal medesimo creati;

« Che nella quarta Congregazione si eleggano due medici ed il chirurgo;

« Che nella quinta Congregazione si eleggano parimente lo speziale e due barbieri con due coadiutori;

« Che nella sesta Congregazione dall'ultimo Cardinale diacono vengano estratte le celle, e che li maestri di cerimonie non partecipanti esibiscano i loro Brevi facoltativi di entrare in Conclave, purchè fra tutti non eccedano il numero di sei, a tenore di quanto in detta nostra Bolla è stato prescritto;

« Che nella settima Congregazione si propongano le istanze per avere il terzo conclavista dai Cardinali presenti in Roma, riservando quella dei Cardinali assenti al tempo del loro arrivo; e che si eleggano gli scopatori per servizio e mondezza del Conclave, a tenore di detta nostra Costituzione;

« Che nell'ottava Congregazione si eleggano due Cardinali, da' quali debbano approvarsi li conclavisti; e che ai medesimi nello stesso giorno debbano tanto li Cardinali, quanto ogni altro, che avrà l'ingresso in Conclave, trasmettere in un foglio da loro

sottoscritto li nomi e cognomi, grado e patria di quelli che intendono di seco condurre in Conclave, avvertendo che rispetto ai Cardinali esattamente si osservino le Bolle apostoliche, le quali tra le altre cose dispongono che i conclavisti debbano essere persone che siano state almeno un anno in servizio;

« Che nella nona Congregazione si deputino per suffragi segreti tre Cardinali, i quali debbano per tutto il tempo della Sede vacante sopraintendere ed invigilare alla chiusura e cura del Conclave ed altresi alla mondezza del medesimo, il tutto a tenore di detta nostra Costituzione; porteranno pertanto seco i Cardinali una schedola, nella quale siano scritti li nomi di quei Cardinali che stimeranno più opportuni per una tale incombenza, le quali schedole verranno aperte in pubblico, e rimarranno eletti quei Cardinali, che avranno maggior numero di voti, quantunque non eccedano la metà;

« Che nella decima Congregazione li Cardinali non costituiti in ordine sagro siano tenuti di esibire i loro Brevi per avere la voce nella elezione; e che vengano deputati il muratore ed il falegname per servizio del Conclave, i quali dovranno avere li requisiti espressi in detta nostra Bolla, avendo riguardo di preferire secondo il solito quei soggetti che dal Cardinal Camerlengo saranno stati deputati per la struttura del Conclave;

« Che poi nel giorno seguente, cantata la Messa dello Spirito Santo, e recitata l'orazione *De eligendo*, li Cardinali entrino processionalmente nel Conclave, e vengano loro lette le antiche Costituzioni unitamente con l'altra da noi come sopra promulgata, le quali dovranno da essi secondo il solito giurarsi; dopo di che il Cardinal Decano farà loro un'esortazione per la sollecita elezione di un buon Pastore della Chiesa universale ».

Nullum dubium vero quin citata Instructio vim legis habuerit, etsi quidam aliter opinentur.

Sane Clemens XII in Constit. « *Apostolatus Officium* », § 14 diserte declarat: « chirographum... eamdem vim, robur et efficaciam ac praesentes habere volumus ».

Quaenam porro adhuc vigeant, quaenam obsoleverint, partim ex dictis, partim ex dicendis patebit.

ARTICULUS III.

De Conclavi a Pio VI usque ad Pium X.

Bibliographia: Berthelet, op. cit., p. 161 ss.; *eiusdem auctoris, Storia e rivelazioni sul conclave del 1903. L'elezione di Pio X*, Torino 1904; Bonghi R., *Il conclave*, ecc. in *Nuova Antologia*, 1872, vol. XXI, p. 657 ss.; Capello G., *Il conclave di Venezia 1800. Ricordi e documenti sul conclave di Venezia raccolti da Alberto Lumbroso*, Roma 1903; Ceccaroni, op. cit., p. 81 ss.; De Cesare, *Il conclave di Leone XIII con documenti*, Città di Castello 1887; Cipoletta, *Memorie storiche sui conclavi da Pio VII a Pio IX*, Milano 1863; Dardano, *Diario dei conclavi del 1829 e del 1830-1831*, Firenze 1879; Donaver F., *Homini e libri (Conclave di Leone XIII)*, Genua 1888; Schmidtlin G., *Papa Pio X. Cenni biografici ed esaltazione alla cattedra di S. Pietro*, Roma 1904; Silvagni, *Il conclave di Leone XIII*, in *Nuova Antologia*, 1887, n. 3.

Histoire des conclaves, II, p. 106 ss.; L. Lector, op. cit., p. 135 s.; Petrucelli della Gattina, *Histoire diplomatique des conclaves*, Paris 1865; Masson F., *Le pape et le conclave*, Paris 1890; Riccard, *Le conclave de Venise en 1800. Lettres inédites du card. Maury (Le correspondant, 1889 octobre)*; Un temoin (Card. Mathieu), *Les derniers jours de Léon XIII et le conclave*, Paris 1904.

Anton de Waal, *Papst Pius X*, München 1903; Gams, *Geschichte der Kirche Christi im 19. Jahrhundert*; Nürnberger, *zur Kirchengeschichte des 19. Jahrhunderts. I. Papsttum und Kirchenstaat vom Tode Pius VI. bis zum Regierungsantritt Pius IX*, 1897; *Pius VII, oder kurzer Abriss der Wahl Pius VII. usw.*, Augsburg 1824; *Pius VIII, dessen Wahl zum hl. Stuhl usw.*, Augsburg 1829; Walther J. J., *Tod des Papstes Pius VIII, und Wahl seines Nachfolgers Gregor XVI*, Solothurn 1846; *Das Konklave Leos XIII (Allgemeine Zeitung*, 1887, n. 126).

Cartwright, *On papal conclaves*, 1868; Pennington, *The papal conclave*, 1897.

Cfr. etiam bibliographiam, art. I.

Summarium: 1. Breve *Attentis peculiaribus* Pii VI. — 2. Bulla *Christi Ecclesiae regendae* eiusdem Pontificis. — 3. Bulla *Quum Nos* eiusdem Pii VI. — 4. Bulla *Quae potissimum* Pii VII ac peculiaris Instructio eiusdem Pontificis. — 5. Bulla *Cum Romanis* Pii IX. — 6. Bulla *In hac sublimi* eiusdem Pontificis. — 7. Bulla *Licet per apostolicas* eiusdem Pii IX. — 8. Bulla *Consulturi* eiusdem Pontificis. 9. Const. *Praedecessores Nostri* Leonis XIII. — 10. Instructio vulgo *Regolamento* Constitutioni Leonis XIII adiecta. — 11. Constit. *Commissum Nobis* Pii X. — 12. Constit. *Vacante Sede Apostolica* eiusdem Pontificis.

1. **Breve « Attentis peculiaribus » Pii VI** (1). — Pius VI anno 1782 Breve conficiendum curaverat, quo praecipiebat ut, si ipsum extra Urbem e vivis decedere contigisset, Conclave Romae convocaretur. Haec praeceptio ad tempus dumtaxat lata erat, et quidem pro uno casu, id est pro obitu Pii VI.

Hic Pontifex die 11 febr. an. 1797 aliud Breve « *Attentis peculiaribus* » edidit, quo Cardinalibus ius tribuitur statim post mortem Pontificis deveniendi ad Successoris electionem, quin decem dies seu *Novendiales*, uti vocant, elapsi sint.

Haec derogatio peculiaribus illius temporis adscribenda est circumstantiis, prout Pius expresse declarat. Napoleon enim Status pontificios ipsamque Urbem armis occupare sibi proposuerat.

Exercitus eius plures Italiae urbes invaderat; Romam temerario ausu iam petebat, eidem quam maxime inhians. Gravitate rei permotus Pontifex edendum censuit memoratum Breve ut, vacatione Sedis Apostolicae adveniente, quoad fieri posset, Ecclesiae tot tantisque exagitatae aerumnis congrue consuleret. Nonnullos auctores error decepit quoad Breve Pii VI. Quidam, v. gr. R. De Cesare (2), illud cum Bulla immediate posteriori confundunt; alii, v. gr. Moroni (3), confundunt cum Bulla « *Quum Nos* » diei 13 nov. 1798; alii tandem, v. gr. Bonghi (4) et Wahrmund (5), putant editum illud fuisse anno 1795.

2. **Bulla « Christi Ecclesiae regendae » Pii VI.** — In Bulla « *Christi Ecclesiae regendae* » Pius VI amplas tribuit Cardinalibus facultates ob teterrimas temporum circumstantias pro electione Pontificis. Haec siquidem decernit:

1° Statim post obitum Pontificis Cardinales praesentes de loco Conclavis deliberare debent, utrum scilicet in palatio Vaticano vel alibi habendum sit. Quo in iudicio ferendo id unum

---

(1) Non loquimur de Const. « *Pastor bonus* » Benedicti XIV, qua potestas exponitur Poenitentiarii Maioris, Sede Apostolica vacante, neque de Constit. « *In Apostolicae* » eiusdem Pontificis, qua potestas declaratur officialibus Romanae Curiae competens, vacatione Apostolicae Sedis durante; utraque enim Conclave nonnisi indirecte attingit.

(2) *Conclave di Leone XIII*, p. 32.

(3) Vol. XV, p. 273.

(4) *Pio IX e il Papa futuro*, p. 87.

(5) Op. cit., p. 25.

Cardinales attendant, nimirum ut omnino securi sint electores ac sarta tecta maneat suffragiorum libertas.

2° Decisio hac de re per absolutam votorum pluralitatem danda est, ita tamen ut, si aliter fiat, nullimode possit electionis validitas ideo impugnari.

3° Lex de *Novendialibus* in ordinariis temporum adiunctis servari debet; at in extraordinariis omnino circumstantiis, nil vetat quominus Cardinales Conclave ingrediantur, decem diebus nondum elapsis.

4° Quin imo Cardinalibus differre quoque licet Conclavis ingressum, si pro eorumdem prudenti iudicio congrua dilatio videatur. De qua re Cardinales praesentes decidere debent per absolutam suffragiorum pluralitatem.

5° Hae praescriptiones legem novam nullo pacto constituunt, sed congrua tantum applicatio legis veteris iis casibus, in quibus extraordinaria occurrunt adiuncta.

Bulla Pii VI, quae tempus ac locum Conclavis dumtaxat respicit, est uno eodemque tempore temporanea et perpetua, diverso tamen sub respectu. Est temporanea, quatenus nonnisi extraordinarias attingit circumstantias, quibus cessantibus eiusdem iuridica vis exspirat omnino; est perpetua, quatenus extraordinaria cuiuslibet temporis concernit adiuncta iisque provide consulit, quin nova sanctione seu promulgatione ex parte legislatoris indigeat.

3. **Bulla « Quum Nos » eiusdem Pii VI.** — E coenobio Carthusianorum, prope Florentiam, Pius VI aliam edidit Constitutionem, quae incipit « *Quum Nos* ». Nonnulla tantum eaque maioris momenti summario modo exponenda ducimus.

1° Facultas derogandi conditionibus de loco ac tempore pro Conclavis ingressu, de qua in praecedenti Constitutione, confirmatur omnino.

2° Eventus teterrimi alias exigunt derogationes. Id enim prae observantia caeremoniarum magis ac magis optandum est, nimirum ut quam citius electio novi Pontificis peragatur.

3° Statim post mortem Pii VI eiusque immediati successoris (nisi aliter ipse disposuerit) Cardinales decidere debent utrum observandae sint necne caeremoniae ac solemnitates, quae actum electionis substantialiter non attingunt.

4° Qua decisione emissa, Cardinales (saltem pro duplici immediate subsequenti Conclavi) solvuntur obligatione Constitutiones Apostolicas anteriores servandi.

5° Cardinales, vivente Pontifice, citra culpam agere possunt de iis quae magis congrua ipsis videntur intuitu vacationis futurae, potissimum de clausura; at prohibentur absolute ante obitum Pontificis de successoris electione inter se convenire.

6° Quidquid securitatem et libertatem electorum, simoniam vitandam, duas tertias partes suffragiorum attingit, sartum tectum servari debet, utpote in pleno vigore manens.

7° Cardinalis senior ex iis qui in loco decessus Pontificis degunt, vel, Cardinalibus deficientibus, nuntius aut, eo pariter deficiente, loci episcopus aut alius praelatus de obitu Papae singulos Cardinales certiores facere tenetur.

8° Ius eligendi novum Pontificem illi competit particulari Cardinalium Collegio, in quo numero plures inveniuntur alicuius Status catholici Cardinales; ibique consessus convocandus est pro Papa designando. Id autem eo fine praecipitur ut quodlibet auferatur periculum schismatis aut multiplicis electionis.

9° Cardinali seniori ex iis qui particulare efformant Collegium, facultas tribuitur, praehabita aliorum Cardinalium sententia, designandi locum, ubi comitia habenda sint. Per epistolam ceteros Cardinales certiores facere debet, eisque nomina Cardinalium significare, qui Collegium praedictum constituunt.

10° Omnes Cardinales tenentur mandato senioris Cardinalis parere. Cardinalibus ita adunatis unice ac privative ius competit per absolutam suffragiorum pluralitatem singulas solvere quaestiones quoad modum novi Pontificis eligendi, elapsis decem diebus.

11° Bulla in primo scrutinio legenda est; facultas eam interpretandi, si opus fuerit, ad Cardinales simul coadunatos spectat. Ea autem erit sententia probata quae absolutam suffragiorum pluralitatem in sui favorem retulerit.

12° Cardinales absolute prohibentur quominus hisce praeceptionibus uno aliove modo sese opponant, sed eas omnes ac singulas observare districte tenentur.

13° Sacrum Cardinalium Collegium, Pontifice e vivis erepto, quam citius Successorem eligere debet, ut Ecclesiae totiusque catholici orbis tranquillitati celeriter consulat.

4. **Bulla « Quae potissimum » Pii VII ac peculiaris Instructio eiusdem Pontificis.** — Pius VII die 6 febr. 1807 Bullam « *Quae potissimum* » edidit (1) qua ratas habuit et confirmavit praeceptiones in Bulla Pii VI contentas.

Cum anno 1808 exercitus gallus Romam occupasset, Pontifex peculiarem edidit Instructionem sub titulo « *Novae leges in nova Pontificis electione, si casus contigerit ut Illius obitus obveniat inter politicas perturbationes* ». Longam post captivitatem (de qua vide auctores) Pio VII die 24 maii an. 1814 in Urbem regredi fausto numine licuit, rebus politicis plane sedatis; quapropter necessitas rerum minime postulavit ut Cardinales electores, eo defuncto, Instructionem praedictam in novo eligendo Pontifice servarent.

5. **Bulla « Cum Romanis » Pii IX.** — Contendunt quidam auctores, v. gr. Lector (2), Gregorium XVI Breve conficiendum curasse ut, Sedis Apostolicae vacatione adveniente, ius Cardinalibus tribueret illico procedendi ad novi Pontificis electionem. Non constat de hoc Brevi; quidquid porro sit, id unum certum est, nimirum publici iuris nunquam factum fuisse.

Sub initio Concilii Vaticani, die 4 dec. 1869, Pius IX Bullam « *Cum Romanis* » edidit. In ea decernitur, ius Pontificem eligendi unice ac privative ad Cardinales spectare, si contingat Papam e vivis decedere Concilio durante. Id plures praedecessores statuerant, nimirum Iulius II an. 1513 occasione Concili V Lateranensis, Paulus III an. 1536, Pius IV per Bullam « *Prudentis patris familias* » diei 19 nov. 1561.

Anno 1870 Roma ab italico Gubernio impio ausu occupata, Sedis Apostolicae conditio dura sane facta est, aliena ab historia anteacti temporis. Hinc ipsa rerum necessitas novas leges novasque normas etiam quoad Summi Pontificis electionem postulavit.

Praetereundum non est, post Urbis occupationem, evulgatam fuisse quandam Bullam apocrypham « *Apostolicae Sedis munus* »

---

(1) Sub die 30 oct. 1804 aliam Bullam Pius VII conficiendam curaverat ut peculiares instructiones exhiberet pro novi Pontificis electione, si captivus ipse sub Napoleonis dominatione e vivis extra Urbem decedere contigisset Haec Bulla publici iuris facta non est.

(2) Op. cit., p. 716.

quoad Conclave sub nomine Pii IX, de qua tum italae tum exterae ephemerides fuse locutae sunt (1), ac politici potissimum scriptores sermonem uno aliove sensu instituerunt. Usque eo res pervenerunt ut S. Sedi necessarium visum fuerit per Secretariam Status die 22 ian. 1874 authentice declarare Bullam reapse apocrypham esse.

6. **Bulla « In hac sublimi » Pii IX.** — Die 23 aug. 1871 edita fuit Bulla « *In hac sublimi* » eo fine, ut inquit Pontifex, « praesertim post sacrilegam almae huius Urbis et universae Nostrae Pontificiae ditionis invasionem... ne, vacante post obitum Nostrum Apostolica Sede, graviores ingruant procellae, quae comitia de Successore nostro eligendo perturbare, vel admodum difficilem novi creandi Pontificis rationem reddere, vel saltem tutae rei celeriter expediendae gravissima impedimenta opponere possint ».

Praecipuae in hac Bulla praeceptiones contentae hae sunt:

1° Ius Pontificem eligendi, auctoritate Romanorum Pontificum ac universalis Ecclesiae consensu ac saeculorum possessione constabilitum ac firmatum, ad Cardinales unice spectat, excluso prorsus quovis laicae potestatis cuiuslibet gradus et conditionis.

2° Cardinales in Curia praesentes statim post obitum Pontificis, id est exequiis nondum celebratis, deliberare debent an in Urbe vel extra comitia de novo Pontifice eligendo habenda sint. Deliberatio, quaecumque ea sit, plenum effectum sortitur, modo in eo maior pars Cardinalium praesentium consenserit.

3° Ad validitatem electionis duae tertiae suffragiorum partes requiruntur. Electio porro fieri potest etiam extra Conclave. Quo in casu necessarium minime est, ut ratio habeatur Cardinalium in loco praesentium, qui ob gravem infirmitatem aut alia de causa in aulam comitiis destinatam convenire nequeunt.

4° Cardinales a iuramenti vinculo solvuntur in iis praescriptionibus quae comitiorum tempus, locum, Conclave eiusque clausuram respiciunt, nec non in aliis minoris momenti caeremoniis et solemnitatibus. In ceteris, quae scilicet substantiam actus attingunt, iuramenti vinculum remanet.

---

(1) *Gazette de Cologna*, 9 ian. 1874; *Perseveranza*, 22 ian. 1874.

5° Dubio occurrente, ius Constitutiones interpretandi ad Cardinales privative spectat.

6° Cardinales, humana quavis posthabita consideratione ac solam Dei gloriam spectantes, quam citius devenire debent ad novi Pontificis electionem, ne Ecclesiae tranquillitas et fidelis populi salus damnum patiatur.

7° Haec Bulla ipso die obitus Pontificis in particulari Congregatione Cardinalium est per integrum legenda, eiusque lectio iterari debet in prima generali Congregatione.

8° Nil vetat quominus Pontificis electio vel in primo Cardinalium conventu fiat.

9° Si contingat Papam extra Urbem diem supremum obire, novi Pontificis electio in quocumque terrarum Orbis loco peragi potest, ubi tot simul Cardinales sint, qui vel per unum dumtaxat medietatem superent totius Collegii Cardinalium tunc in humanis existentium, idque sive in Conclavi, sive extra Conclave, non expectato etiam decemdio a die obitus Pontificis atque non expectatis ceteris Cardinalibus absentibus.

10° In memorato casu, de obitu scilicet Pontificis extra Urbem, Cardinalis quicumque adsit, aut si plures sint, eorum dignior, aut iis omnibus absentibus, Nuntius Apostolicus, et in eius defectu, loci Ordinarius aut Praelatus quam citius Cardinalem Decanum, aliosque Cardinales certiores facere tenetur, ut statim ad comitia peragenda se comparent. Cardinalis vero Decanus, vel, ipso impedito, alius Cardinalis dignitate potior una cum tribus antiquioribus Cardinalibus ex quolibet ordine, et cum Cardinali Camerario locum eligere debet, qui magis opportunus videtur ad habenda comitia.

11° Omnes Cardinales, nisi legitimo detineantur impedimento, indictionis litteris obtemperare debent atque ad locum rite iisdem designatum statim se conferre pro Pontificis electione perficienda.

12° Quolibet in casu ad validitatem electionis requiritur ac sufficit ut tot Cardinales congregati sint, qui vel per unum dumtaxat medietatem superent Cardinalium tunc viventium.

13° « Quae in hisce Litteris... sancita et constituta sunt, pro comitiis prima post mortem Nostram vice futuris extendimus, ac pari modo decernimus, pro altera electione post Successoris No-

stri obitum perficienda, si nimirum, nulla de his nova lege edita, Successor Noster decesserit ».

7. **Bulla « Licet per Apostolicas » Pii IX.** — Cum perturbatarum rerum adiuncta crebriores quotidie creare viderentur difficultates, die 8 sept. 1874 Bullam « *Licet per Apostolicas* » Pius IX edidit, ut diligentius iisdem occurreret.

En summaria expositio:

1° Solius est Cardinalium Collegii vel maioris eius partis iudicare de necessitate aut opportunitate usus omnium vel aliquarum dumtaxat e facultatibus per Litteras Apostolicas concessis.

2° Cardinales iura catholicae Ecclesiae custodire ac defendere tenentur; nullimode ipsis licet eadem imminuere aut iisdem uno aliove modo detrahere. Principium enim *Sede vacante, nihil innovetur*, sartum tectumque servandum est.

3° Exsequiae pontificiae sunt Cardinalium Collegio modesto ritu et forma peragendae, omisso scilicet solito apparatu a Constitutionibus, ordinationibus et consuetudinibus invecto.

4° Cardinalibus facultas tribuitur derogandi praescriptionibus quoad diem, clausuram et custodiam Conclavis, locum ac internum eiusdem regimen.

5° Materialis clausura Conclavis seu loci electionis relaxari potest; obligatio tamen secreti servandi in iis omnibus, quae ad electionem pertinent Romani Pontificis et in iis quae in Conclavi seu loco electionis aguntur, minime relaxatur.

6° Nulla propensione animi vel aversione commotis, nullius inclinatis gratia aut obsequio Cardinalibus is eligendus est, quem prae ceteris dignum et sedulum universi gregis Christi pastorem futurum esse existimaverint. Qua in re principum potissimum quaevis intercessio sperni omnino debet.

7° Constitutionibus Gregorii X « *Ubi periculum* », Clementis V « *Ne Romani* », Pii IV « *In eligendis* », quae interventum respiciunt auctoritatis saecularis pro Conclavis custodia, derogatur.

8° Bulla haec in particulari prius, dein in generali Cardinalium Congregatione legenda est.

9° Ius interpretandi ac explicandi Bullam in eiusdem executione uni Collegio Patrum Cardinalium competit.

10° « Facultates vero, quas Cardinalium Collegio... concessimus, vim suam exercere volumus... non solum pro immediata

futura Pontificis electione, sed etiam pro proxime insequenti, nisi a Nobis ipsis vel a Successore Nostro fuerint revocatae ».

8. **Bulla « Consulturi » eiusdem Pii IX.** — Pius IX die 10 oct. 1877 aliam edendam opportune censuit Constitutionem. Quem ob finem id egerit, suis ipse verbis expresse declarat: « Verum cum perplexior quotidie fiat Ecclesiae conditio, novisque semper circumveniatur insidiis, expedire duximus alia addere, aliaque ex iam constitutis enucleatius exponere. Qua de re... deliberavimus novas hasce edere Litteras Apostolicas, quibus et praeteritas complecteremur et exiberemus ea, quae addenda aut declaranda iudicavimus, ut omnia uno sub conspectu valeant haberi ».

Summario modo Bullam hanc exponendam ducimus, quippe quae codicem integrum et perfectum complectitur de ratione novi Pontificis creandi.

1° Ius Papam eligendi uni Sacro Cardinalium competit Collegio, excluso quovis laicae potestatis cuiuslibet gradus et conditionis interventu.

2° Cardinales a iuramenti vinculo ea servandi quae tempus, locum, clausuram, custodiam Conclavis aliaque id genus respiciunt, pontificia auctoritate solvuntur, ita ut citra culpam omittere valeant quae pro suo prudenti iudicio omittenda duxerint.

3° Constitutioni Gregorii X quae incipit « *Ubi periculum* », Constitutioni pariter Clementis V « *Ne Romani* », item Constitutioni « *In eligendis* » Pii IV derogatur in iis omnibus quae interventum saecularis auctoritatis respiciunt pro Conclavis custodia.

4° Cardinales, exsequiis pontificiis nondum etiam celebratis, et aliis Cardinalibus absentibus per decem dierum spatium minime expectatis, statim deliberare debent an in Urbe vel extra Italiam comitia pro novi Pontificis electione habenda sint.

5° Cardinales in primo ipso conventu Pontificem creare valent; quo tamen in casu oportet numerus praesentium uno saltem medietatem excedat Cardinalium tunc viventium.

6° Exsequiae in suffragium animae Pontificis defuncti ritu modesto a Cardinalibus in Capella Palatii Vaticani (si contingat Papam Romae e vivis decedere) persolvantur, praetermisso solito apparatu a Constitutionibus et consuetudine invecto.

7° « Perpendentes vero indolem, vicissitudines et pericula praesentium temporum omnibus perspectissima, facere non pos-

sumus, quin vehementer exoptemus, *locum, ubi electio habenda erit, extra fines Italiae designari.* Quod sane desiderium Nostrum dum aperte prodimus, illud etiam atque etiam commendamus S. R. E. Cardinalibus ».

8° Si comitia pro Pontifice eligendo in Urbe aut alibi in Italia habeantur, et aliquam iniuriam contingat inferri Conclavis loco vel personis, sive id fiat ex facto publicae potestatis sive privatorum, comitia illico sunt dissolvenda et ad tutiorem sedem extra Italiam transferenda.

9° In iis quae celeri Pontificis electioni non officiunt, maxime vero in rebus cum clausula aliter factam irritante praescriptis, nisi expresse derogatum sit, Constitutiones observari debent.

10° Potestas, quae ad Pontificem, dum viveret, pertinebat, Sede Apostolica vacante, nullo modo in Cardinalium Collegium transit, ita ut idem Collegium de iuribus S. Sedis ac Romanae Ecclesiae disponere haudquaquam valeat; sed contra praedicta iura custodire ac defendere tenetur.

11° « Omnes ac singulos Cardinales monemus, et monendo eis praecipimus, ut canonicae regulae inhaereant atque neque directe aliquid Sedis Apostolicae et Romanae Ecclesiae iuribus detrahere attentent, neque indirecte, per conniventiae scilicet speciem, seu per dissimulationem facinorum adversus ea iura perpetratorum attentare videantur ».

12° Si contingat Pontificem Maximum extra Urbem diem supremum obire, Cardinalis quicumque adsit, aut si plures, erunt, eorum dignior, aut iis omnibus absentibus, Nuntius Apostolicus, et in eius defectu, Ordinarius loci vel Praelatus aut alius quispiam in ecclesiastica constitutus dignitate, statim Cardinalem Decanum aliosque Cardinales de obitu Pontificis certiores facere tenetur, ut statim ad comitia peragenda se comparent.

13° Quo in casu Cardinalis autem Decanus vel, ipso impedito, alius Cardinalis dignitate potior, una cum tribus Cardinalibus antiquioribus ex quolibet ordine, et cum Cardinali Camerario, eligere debet locum, qui magis ei opportunus videtur pro comitiis habendis.

14° Omnes Cardinales, nisi legitimo detenti sint impedimento, indictionis litteris obtemperare tenentur atque ad locum designatum pro electione Pontificis perficienda statim se conferre.

15° Ut canonica ac legitima sit electio, tot Cardinales oportet sint congregati ut saltem per unum medietatem superent Cardinalium tunc viventium, atque ea impleant quae ad validam electionem efficiendam requiruntur.

16° Duplici in casu Cardinalibus fas est derogare Constitutionibus pontificiis, nimirum cum de celeri agitur electione facienda et cum extra Urbem, necessitate impellente, comitia haberi contingat.

17° « Facultates vero, quas Cardinalium Collegio per hasce et praeteritas Litteras Nostras concessimus, vim suam exercere volumus eo modo et forma, qua ibi dictum est, non solum pro immediate futura Pontificis electione sed etiam pro proxime insequenti, nisi a Nobis ipsis vel a Successore Nostro fuerint revocatae ».

18° Electio sive in Curia sive extra Curiam, per secreta suffragia peragenda semper est; ad eiusque valididatem duae suffragiorum tertiae partes requiruntur.

19° Cardinales, quavis postposita humana consideratione ac solum Deum prae oculis habentes, quam celeriter ad novi Pontificis electionem devenire debent, ut Ecclesiae tranquillitati ac fidelis populi saluti pro viribus consulant.

20° Praecepto de materiali Conclavis seu loci electionis clausura Cardinalibus derogare fas est.

21° Obligatio secreti servandi in iis omnibus quae ad electionem Romani Pontificis pertinent et in iis quae in Conclavi seu loco electionis aguntur, plenam firmitatem seu vim retinent.

22° Cardinales ad electionem procedere debent nulla propensione animi vel aversione commoti, nullius inclinati gratia aut obsequio, non intercessione principum moti, sed fixis in solam Dei gloriam et Ecclesiae utilitatem oculis, ita ut eum eligant, quem prae ceteris dignum universi dominici gregis Pastorem futurum esse existimaverint.

23° Collegio Cardinalium ius competit interpretandi hanc Constitutionem dubiaque diluendi. Insuper unius Cardinalium Collegii, aut maioris eius partis, est iudicare de necessitate, opportunitate usus omnium vel aliquarum dumtaxat e facultatibus concessis.

24° Statim post obitum Pontificis generalis Congregatio in Palatio Apostolico Vaticano habenda est, ibique fieri debet pro-

mulgatio trium Constitutionum, omissa earumdem recitatione in particulari Congregatione.

25° Has Litteras Apostolicas quod attinet, quaevis dubitationes de earum vi et efficacia omnino vetantur. In suo robore ipsae manent, plenumque consequuntur effectum, donec revocatae fuerint. Quidquid vero contra easdem fiat, irritum ac inane omnino est sive scienter sive ignoranter agi contingat.

9. **Constit. « Praedecessores Nostri » Leonis XIII.** — Leo XIII die 24 maii 1882 Constitutionem edidit, cuius initium « *Praedecessores Nostri* ». In ea quae in electione Pontificis observanda sint, ordinatim ac regulariter exponit, habito respectu ad peculiares huius temporis circumstantias.

1° Romani Pontifices sollicita cura ac singulari studio plura pro temporum adiunctis decreverunt, ut celeriter, libere et expedite electioni supremi Pastoris consulerent.

2° « At vero ut pro sua aetate Praedecessores Nostri, ita Nos immo vero eo magis devinctos et obstrictos ipsi sentimus debito consulendi certae et expeditae Successoris Nostri electioni, quo saeviores perspicimus ingruere adversus Christi Ecclesiam tempestatum aestus et acriores hostium in dies experimur conatus et impetus adversus hanc Sanctam Sedem ».

3° Ius iamdiu firmatum et praescriptum eligendi Romanum Pontificem ad Cardinales unice et privative spectat, excluso prorsus quolibet interventu alterius dignitatis ecclesiasticae aut laicae potestatis cuiuslibet gradus et Ordinis. Id valet etiam pro casu, quo Cardinales per orbem dispersi aut deportati vel alio quolibet obstaculo praepediantur comitia habere pro novi Pontificis electione.

4° Constitutionibus Gregorii X « *Ubi periculum* », Clementis V « *Ne Romani* » et Pii IV « *In eligendis* » pro ea parte qua civilibus aut politicis magistratibus civitatis, in qua Romani Pontificis electio sit celebranda, vel etiam praelatis, rectoribus, officialibus Urbis, principum oratoribus aliis quibusvis potestatem tribuunt et praescriptiones pro electione observari faciant, expresse derogatur.

5° Pariter iis regulis et praescriptionibus derogatur, quae per Apostolicas Romanorum Pontificum Constitutiones, praefinitae sunt circa electionis tempus et locum, circa Conclave eiusque clau-

suram aliasque minoris momenti res, ut sunt solemnitates et caeremoniae quae adhiberi consueverunt, nominatim circa custodiam Conclavis, circa suppeditionem rerum ad victum, aliosque vitae usus pertinentium, item circa numerum et qualitates personarum, quae Conclave ingrediuntur. Maiori congregatorum Cardinalium parti ius competit decernendi, quaenam ex praedictis regulis ac praescriptionibus servandae sint, quaenam contra omittendae.

6° Ad maiorem item congregatorum Cardinalium partem spectat potestas statuendi utrum, nulla interiecta mora, et ante nonum diem a Pontificis obitu, electio fieri queat, vel etiam in longius protrahi debeant comitia, si publicae rei status perturbatio aut alia gravis causa intercedat.

7° Quo postremo in casu Cardinalium est leges circa clausuram Conclavis aliasque praescriptiones moderari aut etiam relaxare. Quem ad finem a iuramenti vinculo solvuntur quoad praedicta.

8° Sede Apostolica vacante, nihil innovari debet, cum ad Cardinales minime transeat ea potestas et iurisdictio, quae ad Pontificem, dum viveret, pertinebat.

9° Collegium Cardinalium de iuribus Sedis Apostolicae et Romanae Ecclesiae nullo modo disponere valet, neque iisdem detrahere sive directe, sive indirecte per conniventiae speciem, seu per dissimulationem facinorum adversus ea iura perpetratorum; quin imo omnium virium contentione eadem iura custodire ac defendere tenetur.

10° Ut expeditius comitia celebrentur, materialis clausura Conclavis seu loci electionis relaxatur, servata nihilominus obligatione secreti servandi in iis omnibus quae ad electionem Romani Pontificis pertinent, et in iis quae in Conclavi seu loco electionis peraguntur.

11° Quolibet loco et quibuslibet in adiunctis electio celebretur, ad validitatem electionis oportet numerus Cardinalium, qui ad eam convenerint, dimidium numerum Cardinalium omnium pro tempore existentium, plus uno saltem, excedat. « Quem tamen numerum, si deinceps minui accidat, sive quod aliquem ex Cardinalibus, qui ad comitia convenerint, mors praeveniat, aut morbus opprimat, sive alia qualibet ex causa, impedimento id minime esse debebit, quominus Cardinales reliqui inceptum opus prosequi et electionem legitime et valide absolvere queant ».

12° Pro legitima et canonica habenda Summi Pontificis electione, duae tertiae suffragiorum partes requiruntur. Vota autem per schedulas secretas exhiberi debent. Id autem servandum est non modo cum de electione agitur, quae fit in scrutinio, sive in scrutinio et accessu, at etiam cum eadem electio fit per inspirationem vel per compromissum.

13° Si Papam in Urbe supremum diem obire contingat, Cardinales in Curia praesentes, statim post obitum deliberare debent an in eadem Urbe vel extra eam comitia pro novo Pontifice eligendo haberi debeant. Ea autem deliberatio plenum effectum sortitur, in quam maior Cardinalium tunc praesentium pars consenserit.

14° Cardinales, si opportunum ipsis id visum fuerit, illico post Pontificis mortem procedere valent, servatis servandis, ad electionem Successoris.

15° In exsequiis pontificiis peragendis consuetus apparatus a Constitutionibus et a consuetudine invectus omitti debet, eaeque modesto sane ritu fiant.

16° Comitiis pro electione in Urbe aut alibi in Italia incoeptis, in casu cuiusvis iniuriae Conclavis loco vel personis illatae, quae maioris partis congregatorum Cardinalium iudicio electioni libertatem adimat, illico praedicta comitia dissolvi debent et ad tutiorem sedem extra Italiam transferri.

17° Si Pontificem extra Romanam Curiam decedere contingat, Cardinalis quicumque sit, aut si plures erunt, eorum dignior nempe non qui creatione, sed iure ceteris anteit, aut iis omnibus absentibus, Nuntius Apostolicus et, in eius defectu, loci Ordinarius, aut Praelatus vel alius quispiam ecclesiastica dignitate insignitus, quam celeriter Cardinalem Decanum aliosque Cardinales certiores facere debet, ut illico ad comitia peragenda se praeparent.

18° Cardinalis vero Decanus, vel ipso impedito, Cardinalis dignitate potior, una cum tribus Cardinalibus antiquioribus ex uno quoque Ordine et cum Cardinali Camerario, locum eligere debet, qui magis opportunus videtur ad habenda comitia.

19° Idem Cardinalis Decanus vel, eo impedito, alius Cardinalis vacationem Apostolicae Sedis Cardinalibus ceteris significare debet eosque ad novi Pontificis electionem advocare.

20° Cardinales porro indictionis litteris obtemperare tenentur, atque ad locum designatum pro perficienda Pontificis electione statim se conferre.

21° Quocumque in loco electio fiat, canonica ac legitima habenda est electio, si quae ad validitatem praescripta sunt, rite observentur, exceptis, quibus expresse derogatum fuit. « Quae quidem omnia, proportione servata, etiam ad casum accomodari transferrique debebunt quo, quamvis Nos hic Romae accidat diem supremum obire, Sacro tamen Cardinalium Collegio, invalescente seditionum publicaeque perturbationis tumultu, hostium oppressione et insectationibus hac illac per orbem violenter disperso, comitia pro novi Pontificis electione Romae haberi nequeant ».

22° Cardinales in prima generali Congregatione iureiurando spondere debent sese omne studium ac omnem diligentiam adhibituros esse ut Pontificia Sedes Romam restituatur, ubi primum impedimenta amota fuerint, quae illam alio transferre coegerint.

23° « Quae in hisce litteris sancita et constituta sunt pro comitiis prima post mortem Nostram vice futuris, extendimus, ac pari modo decernimus pro altera electione post Successoris Nostri obitum perficienda, si nimirum, nulla de his nova lege edita, Successor Noster decesserit ».

24° Sacrum Collegium ius habet has pontificias Litteras interpretandi ac quaevis oritura dubia circa usum et praxim dirimenendi. Qua in re, quemadmodum in reliquis, excepto ipso electionis actu, maior sufficit congregatorum Cardinalium pars.

25° Hae Apostolicae Litterae in primo generali Cardinalium praesentium conventu per integrum sunt recitandae.

26° Cardinales mutua animorum concordia et voluntatum conspiratione in hoc omnia sua studia, omnia consilia conferre debent, ut nimirum quam celeriter viduitati Ecclesiae Romanae consulant per novi Pontificis electionem.

27° Qua in re nulla propensione animi vel aversione commoti, nullius inclinati gratia aut obsequio, non intercessione in saeculo potentium moti, sed unice Dei gloriam et Ecclesiae bonum prae oculis habentes in eum sua vota conferre debent « quem animi praestantia et religionis zelo eminere prospexerint, quique mysticae Navis fortiter sapienterque clavum regere et ingruentium hostium impetus frangere sit potens ».

28° Praesentes Litterae firmae, validae et efficaces in suo robore perpetuo manere debent; quidquid vero contra easdem attentatum fuerit sive scienter sive ignoranter, irritum ac inane omnino est.

29° Nulli hominum licet « hanc paginam Nostrae permissionis, dispensationis, facultatis, ordinationis, decreti, mandati, voluntatis, derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum ».

10. **Instructio, vulgo « Regolamento » Constitutioni, « Praedecessores Nostri » adiecta.** — Leo XIII una cum citata Constitutione « *Praedecessores Nostri* » peculiarem quoque edidit Instructionem, vulgo *Regolamento,* perspicue ac ordinatim in ea decernens quae a Sacro Cardinalium Collegio observanda sunt, Sede Apostolica vacante, donec extraordinaria perduret conditio in qua nunc ipsa versatur.

Haec Instructio sub Pio IX concinnata fuerat, et quidem sub die 10 ian. 1878; at edita non fuit nisi a Leone XIII una cum praedicta Bulla seu Constitutione diei 24 maii 1882.

Instructio respicit peculiarem conditionem, infaustam profecto, in qua S. Sedes versatur post principatus civilis sacrilegam invasionem. Triginta duobus articulis constat. Nos, uti mos est, praecipua dumtaxat summario modo exponenda remur.

1° Vacante Sede Apostolica, sacrum Cardinalium Collegium eodem modo se gerere debet quo se exhibuit eo ipso die quum Roma occupata fuit. Ideoque ab omni communicatione cum quavis civili auctoritate abstineant Cardinales; privato more incedant; sacra munera, quae eorum dignitatis sunt, publice haud obeant.

2° Si aliqua auctoritas vel civilis vel politica loqui postulet cum Cardinali Decano aut Camerario, satisfieri potest, in loco tamen ad rem expresse constituto, a ceteris Cardinalium habitationibus plane distincto, nec ulla Apostolici Palatii in parte sito.

3° Si forte Gubernium italicum auxilium sacro Collegio offerat, ita distinguendum est, an scilicet oblatio auxilii scriptis aut ore fiat ad Cardinalem Decanum vel ad Camerarium. In priori casu, Cardinalis Decanus nihil respondebit praedictae communicationi, sed diplomaticum coetum Legatorum, qui apud Aposto-

licam Sedem sunt, litteris opportune datis exorabit ut Gubernio Romam nunc occupanti nunciet « *a*) Sacrum Collegium, iuramentorum, quibus adstrictum est, memor nullam mutationem inducere posse illi rerum conditioni, quam defunctus Pontifex reliquit atque ipsum Sacrum Collegium integram Successori eius transmittere debet. *b*) Itaque nullam communionem S. Collegium cum Gubernio habere posse, quocum defunctus Pontifex non communicabat. *c*) Ceterum in iis, quae spectant interiorem s. Palatii partem, nullum auxilium opus esse: in iis vero, quae ad tranquillitatem exteriorem pertinent, quoniam s. Collegium Urbem non regit, nihil respondere posse ».

In altero casu, si quis ab italico Gubernio missus loqui petat cum Cardinali Camerario aut cum Cardinali Decano, excipiendus is est in loco expresse ad rem constituto, distincto a ceteris Cardinalium habitationibus, neque ulla Apostolici Palatii in parte sito. Quolibet in casu nulli alteri e Cardinalibus praedictas visitationes et communicationes excipere licet.

4° Si violentiae actus foris fiant ea sane mente ut perturbationes excitentur atque hinc praetextus sumatur S. Palatium ingrediendi, Cardinalium Collegium necessarias cautiones adhibere debet, ac de re Diplomaticum Coetum certiorem facere, ut tranquillitas componatur et Cardinalibus libertas restituatur.

5° Omnes Congregationes tum particulares Capitum Ordinum, tum generales totius S. Collegii haberi debent in Palatio Vaticano.

6° In prima Congregatione, quam Ordinum Capita cum Cardinali Camerario habent, omnes communicationes ex more ad omnia Gubernia mittendae sunt, quae a defuncto Pontifice recognita fuerunt, etiam ad ea quibuscum S. Sedes diplomaticas relationes forte non habeat, etsi hae communicationes vel nunquam intercesserint vel interruptae fuerint.

7° Cum S. Collegium, Sede Apostolica vacante, nihil innovare valeat, nullo modo ipsi excipere licet eorum Statuum legatos, qui diplomaticas relationes cum Sede Apostolica disruperint, etsi hi Status excipi ultro petant.

8° Corpus Pontificis defuncti, quo citius fieri possit, vestibus pontificalibus indui debet, ac privatim scala interiori ad S. Petri Basilicam in SS. Sacramenti sacellum est deferendum. Ibi, abso-

lutione data, exponendum est, quatuor e Pontificia militum Nobilium cohorte cadaver custodientibus, cancelloque clauso.

9° Si in primo generali conventu S. Collegium constituerit Conclave extra Italiam celebrare, id non modo Cardinalibus nuntiandum est, qui in Curia non adsint, at ipsi quoque Diplomatico Coetui cum invitatione ut sequatur Sacrum Collegium in locum pro comitiis habendis designatum.

Haec Instructio, utpote adiecta Constitutioni « *Praedecessores Nostri* » unam eamdemque rem cum ipsa quodammodo efformat, ut ex verbis Leonis manifesto constat. « Demum animo perpendentes - ait Pontifex - afflictum statum in quem res Sanctae Sedis adductae sunt hostilis dominationis causa, sub qua eiusdem civilis principatus et ipsa haec Urbs Roma constituta reperitur, ne vacationis tempore dignitas et rationes eiusdem Sanctae huius Sedis adhuc detrimenta deterius capiant, et etiam ut Sacro Cardinalium Collegio certa suppetat via qua tricis et difficultatibus, quas casus ferat, sese expedire queat, *peculiari Instructione, quam huic Constitutioni adiicimus,* normam et regulam praefinire sategimus, ad cuius praescriptum se conformare, prout casus tulerit, Cardinales debeant ».

11. **Constit. « Commissum Nobis » Pii X.** — Nemo est qui ignoret labentibus saeculis tres nationes, Hispaniam scilicet, Galliam et Austriam, sibimet ius vindicasse aliquem Cardinalem excludendi a Summo Pontificatu. Quod ius, ita perperam nuncupatum, *Veto* seu *exclusiva* vocari solet. Contra eiusmodi impium nefariumque abusum nullo non tempore Romani Pontifices summa contentione summoque studio libertatem Sacri Cardinalium Collegii strenue tueri conati sunt, quemlibet externae cuiusvis potestatis interventum penitus ac expresse propulsantes. Rem sane manifesto declarant Constitutiones « *In eligendis* » Pii IV, « *Aeterni Patris* » Gregorii XV, « *Apostolatus Officium* » Clementis XII, « *In hoc sublimi* », « *Licet per Apostolicas* » et « *Consulturi* » Pii IX.

Cum vero nostra quoque aetate huiusmodi civilis potestatis immixtio haberetur, imo non deessent theologi et canonistae *exclusivae* plus minusve faventes, Pius X peculiarem edendam censuit sub die 20 ian. 1904 Constitutionem, ut civile *veto* suprema sua auctoritate, qualibet remota controversia, proscriberet. Sane Cardinales aliique omnes in Conclavi partem habentes prohibentur

sub poena excommunicationis latae sententiae speciali modo reservatae futuro Pontifici, ne, quovis praetextu, munus recipiant *Veto*, etiam sub forma simplicis desiderii, proponendi, sive scripto id pandant sive ore dumtaxat, sive directe sive indirecte.

De *exclusiva* alibi sermo erit.

12. **Constit. « Vacante Sede Apostolica » eiusdem Pii X.** — Optimo sane consilio Pius X in Constit. « *Vacante Sede Apostolica* » diei 25 dec. 1904 omnia quae de Romano Pontifice eligendo decreta fuerant, in unam Constitutionem digerere duxit, nonnullis opportune mutatis prout rerum necessitas ac temporum mutata adiuncta postulabant.

Constitutio duplici constat titulo; prior titulus autem quinque capitibus item constat. In primo sermo est de potestate S. Collegii Cardinalium, Sede Apostolica vacante; in secundo disseritur de Cardinalium Congregationibus; in tertio de nonnullis particularibus officiis, vacatione durante; in quarto de Sacris Congregationibus earumque facultatibus, Sede Apostolica vacua; in quinto de exsequiis Pontificis defuncti.

Alter titulus septem constat capitulis, quorum in primo sermo occurrit de Romani Pontificis electoribus; in secundo de conclavistis et de aliis in Conclavi partem habentibus; in tertio de ingressu in Conclave; in quarto de clausura Conclavis ac de secreto servando in iis omnibus, quae in Conclavi aguntur; in quinto de forma electionis; in sexto de iis, quae servanda vel vitanda sunt in electione Romani Pontificis; in septimo de acceptatione et proclamatione electionis, nec non de consecratione et coronatione novi Pontificis.

Obiter tantum haec currente calamo attingimus, cum integrum studium nostrum in praedicta Constitutione exponenda et interpretanda potissimum versetur.

ARTICULUS IV.

De loco Conclavis.

Bibliographia: Baronius, passim; Ciaconius, *Vitae et res gestae Pontificum Romanorum et Romanae Ecclesiae Cardinalium*, Romae 1677; Bzovius, *Romanus Pontifex, seu de praestantia, officio, auctoritate, virtutibus, felicitate, rebusque praeclare gestis Summorum Pontificum a D. Petro ad Paulum V, Commentarius*, Coloniae 1619; *Annal. eccles.*, to. 13-21, Ro-

mae, 1616-1672; JAFFE, *Regesta Pontificum Romanorum*, 1881; DUCHESNE, *Liber Pontificalis*, Paris, 1886-92; CAMARDA, *Constitutionum Apostolicarum una cum caeremoniali gregoriano et pertinentibus ad electionem papae synopsis accurata et plana, necnon elucidatio omnium fere difficultatum quae evenire possunt circa electionem Romani Pontificis*, Reate, 1737; PANVINIUS, *Epitome vitarum RR. Pontificum a S. Petro usque ad Paulum IV*, Venetiis, 1567; eiusdem auctoris, *De varia creatione papae, sive Romanorum Pontificum libri V*, Patavii, 1648; PLATINA, *Liber de vita Christi ac de vitis Summorum Pontificum omnium*, Venetiis, 1749; PASSERINI, op. cit., p. 45 ss.; PAGI, *Breviarium historico-chronologico-criticum*, Antwerpiae, 1748; RAYNALDUS, *Annales*, Romae, 1647-1677; ROCCABERTI, *Bibliotheca maxima pontificia*, Romae, 1695-1699; SCHÖNMANN CARL TRAUGOTT, *De electione Romani Pontificis, Roma non libera, iuxta constitutiones apostolicas valide peragenda*, Göttingen, 1798; LOTTINI, *Dissertatio de sacris Cardinalium comitiis sive de conclavi*, Romae, 1784; LAVORIUS, l. c., p. 245 ss.

BERTHELET, *La elezione dei Papi*, Roma 1913; eiusdem auctoris, *Conclavi, Pontefici e Cardinali nel secolo* IX. *Atti concernenti la malattia, morte ed elezione del Papa*, Roma-Torino 1903; CECCARONI, *Il Conclave. Storia, Costituzioni, cerimonie*, Torino-Roma, 1901; CIPOLETTA, *Memorie storiche sui conclavi da Pio VII a Pio IX*, Milano 1863; *Conclavi de' Pontefici Romani*, Köln, 1667-1691; DARDANO, *Diario dei conclavi*, Firenze 1872; CANCELLIERI F., *Notizie istoriche delle stagioni e dei siti diversi, in cui sono stati tenuti i conclavi*, Roma, 1784; MORONI, op. cit. v. *Conclave;* GRABINSKI: *Il Conclave*, p. 18 ss.

BIGNON H., *Traité sommaire de l'élection des Papes*, p. 23 ss.; *Histoire des conclaves*, Paris, 1865; L. LECTOR, *Le conclave. Origines, histoire, organisation, legislation ancienne et moderne*, Paris, 1894; eiusdem auctoris, *L'élection papale*, Paris, 1895; DERS, *L'élection papale*, Paris, 1903; PETRUCELLI DELLA GATTINA, *Histoire diplomatique des conclaves*, Paris, 1865; CARTWRIGHT W. C., *De la constitution des conclaves pontificaux*, Paris, 1870; FILLIES, *Le conclave*, Paris, 1885; ARDIER, *Historie des conclaves*, Paris, 1898; BARBIER DE MONTAULT, *Le conclave et le Pape*, Paris, 1904.

BRIE, *Die Lehre vom Gewohuheitsrecht*, Breslau, 1899; FRIEDBERG, op. cit. I, V, p. 215 ss.; HINSCHIUS, l. c.; GAUGUSCH, *Das Rechtsinstitut d. Papstwahl*, 1905; HÄBERLIN, op. cit. p. 128, ss.; H. J. WURM, *Die Papstwahl. Jhre Gesch. u. Gebräuche*, 1902.

CARTWRIGHT, *On papal conclaves*, 1868; PENNINGTON, *The papal conclave*, 1897.

Consulantur praeterea quaevis opera historica.

Summarium: 1. De loco electionis Pontificis tribus prioribus saeculis. — 2. De loco electionis a saeculo IV usque ad Nicolaum II. — 3. A Nicolao II usque ad Gregorium X. — 4. A Gregorio X ad Clementem V. — 5. A Clemente V usque ad Gregorium XI. — 6. A Gregorio XI

usque ad Clementem VII. — 7. A Clemente VII usque ad Pium VII. — 8. A Pio VII usque ad tempora nostra. — 9. Praescriptio Pii IX ac Leonis XIII de loco Conclavis. — 10. Ius hodiernum.

1. **De loco electionis tribus prioribus saeculis.** — Prioribus Ecclesiae temporibus Pontifices Summi, cum a clero populoque romano crearentur, in Urbe ipsa eligebantur. Quae agendi ratio ex ipsamet rerum natura profluebat. Persecutione saeviente, electio clam ut plurimum fiebat aut in catacumbis aut alio in loco, quoad fieri posset tuto. Reddita autem Ecclesiae pace per Constantinum, negotium electionis peragi coepit in Basilica Lateranensi, quae vocari solebat *Patriarchium.* Constantinus enim agnito Ecclesiae nativo iure acquirendi, possidendi administrandique res temporales, societati ecclesiasticae bona restitui seu concedi statuit, quae ex iniuria imperatorum sublata ei fuerant. Idem Constantinus in ipso imperiali palatio, quod olim ad senatorem et consulem Plautum Lateranum pertinuerat, aedificari iussit Basilicam Christo Redemptori dicatam eamque privilegiis ac muneribus plurimis ditavit. Haec Basilica merito nuncupatur *Sacrosancta Lateranensis Ecclesia, omnium urbis et orbis Ecclesiarum mater et caput.*

In ea inde a saeculo IV comitia cleri et populi romani pro novo Pontifice eligendo haberi consueverunt.

3. **De loco electionis a saeculo IV usque ad saeculum X.** — Locus ordinarius pro electione Papae inde a saeculo IV fuit quidem Basilica Constantiniana seu Lateranensis; at ex historia satis compertum est creationem Pontificis alibi quandoque contigisse. Quae loci mutatio inducta videtur vel ob nimiam cleri populique requentiam, vel ob reparationes necessario faciendas Basilicae praedictae, aut tandem propter tumultus vitandas.

Re quidem vera Stephanus III die 1 aug. 768 in *Foro* electus fuit; Stephanus IV die 21 (?) iun. 816 in Ecclesia S. Petri; Sergius II 23 (?) ian. 844 in Ecclesia S. Martini; Adrianus II die 1 (?) dec. 867 in Ecclesia S. Mariae Maioris.

3. **De loco electionis a saeculo X usque ad Nicolaum II.** — Henricus III sibimet vindicavit ius nedum approbandi electionem Romani Pontificis rite a clero populoque factam, sed ipsam personam Papae designandi. Mos enim iamdiu inva-

luerat ut distinctio admitteretur inter electionem et consecrationem, de quo duplici actu alibi fusius loquemur. Ex hac principum agendi ratione suapte natura profluit ut designatio seu Pontificis electio extra Urbem fieret, prout reapse contigisse nemo est qui ignoret.

Sane Clemens II designatus fuit Sutrii die 24 dec. 1046 ab Henrico III; Damasus II ab eodem Henrico designatus fuit Poldeni die 23 dec. 1047; S. Leo IX designatus est Vormatiae die 13 (?) dec. 1049; Victor II designatus fuit Ratisbonae die 6 martii 1055.

Licet designatio in praedictis casibus extra Urbem contingeret, inthronizatio tamen seu consecratio Romae semper fiebat. De utriusque iuridica vi tum historice tum theologice inferius disserendum erit.

4. De loco electionis a Nicolao II usque ad Gregorium X. — Triplex immutatio magni quidem momenti inducta fuit a Nicolao II in Bulla « *In nomine Domini* » a. 1059. Statuit Papae electionem ad Cardinales Episcopos pertinere; clerico Cardinales vero, clerum ac populum nonnisi consensum electioni praestare. Item statuit extra Urbem, *ubi congruerit*, posse Papam eligi, si ob impedimenta Romae creari nequeat. Tandem declarat Papam rite electum, quamvis ob impedimenta praedicta inthronizari non valeat, nihilominus verum legitimumque esse Pontificem, Ecclesiae scilicet universalis caput et pastorem.

Vi huius Constitutionis Nicolai II, Pontificis electio Romae necessario facienda minime est; imo electorum arbitrio remittitur, adveniente Sedis Apostolicae vacatione, de loco deliberare ubi comitia sint habenda, si obstacula praepediant quominus eadem in Urbe habeantur.

Qua immutatione inducta, mos invaluit ut Romae Papa eligeretur si Praedecessorem ibi vita fungi contigisset, modo tamen non adessent obices ex parte populi vel principum, vel ut eligeretur extra Urbem, in loco eodem aut saltem viciniori, ubi diem supremum Papam defunctum obire contigisset.

Non abs re erit quaedam historice exponere de loco electionis Summorum Pontificum a Nicolao II usque ad Gregorium X.

Alexander III (30 sept. 1061), Gregorius VII (22 april. 1073), Victor III (24 maii 1083), electi fuerunt Romae.

Urbanus II Auxure electus fuit die 12 martii 1088.

Paschalis II (13 aug. 1099), Gelasius II (24 ian. 1118) Romae creati fuerunt.

Callistus II *Cluny* electus est die 2 febr. 1119.

Honorius II (14 dec. 1124), Innocentius II (14 febr. 1130), Caelestinus II (26 sept. 1143), Lucius II (9 martii 1144), Eugenius III (15 febr. 1145), Anastasius IV (10 iul. 1153), Adrianus IV (4 dec. 1154), Alexander III (7 sept. 1159), Lucius III (1 septembris 1181) in Urbe electi fuere.

Urbanus III Veronae die 20 nov. 1185 creatus est.

Gregorius VIII die 21 oct. 1187 electus fuit Ferrariae.

Clemens III die 19 dec. 1187 Pisis creatus est.

Coelestinus III (30 mart. 1191) et Innocentius III (8 ian. 1198) Romae fuerunt electi.

Honorius III Perusiae creatus est die 18 iul. 1216.

Gregorius IX (19 martii 1227), et Coelestinus IV (25 octob. 1241) Romae electi fuerunt.

Innocentius IV die 25 iun. 1243 Anagniae creatus est.

Alexander IV renuntiatus fuit Neapoli die 12 dec. 1254.

Urbanus IV Viterbii electus est tertio kal. sept. 1261.

Clemens IV die 2 febr. 1265 Perusiae creatus fuit.

Gregorius X Viterbii electus est die 1 sept. 1271.

5. **De loco electionis a Gregorio X usque ad Clementem** V. — Gregorius X in celeberrima Bulla « *Ubi periculum* » an. 1272, qua disciplinam de conclavi primus induxit, duplicem perspicue casum exponit. tum scilicet si contingat Romanum Pontificem vita fungi in civitate, in qua cum sua Curia residet, tum si contingat eundem extra civitatem, in qua est Curia, diem supremum obire.

In priori casu electio facienda est in ipso palatio, ubi defunctus Pontifex habitabat. « Hoc Sacro Concilio approbante statuimus, ut si eumdem Pontificem (in civitate, in qua cum sua Curia residebat) diem claudere contingat extremum; Cardinales, qui fuerint in ipsa civitate praesentes, absentes expectare decem diebus tantummodo teneantur, quibus elapsis (sive absentis venerint, sive non) *ex tunc omnes conveniant in Palatio, in quo idem Pontifex habitabat...* »

In altero casu electio fieri debet in ipsa civitate, in qua Pontifex mortuus est, nisi obstet interdictum aut aperta rebellio. « Porro si quando Romanum Pontificem extra civitatem praedictam (in qua erat cum sua Curia residens) contigerit ab hac luce migrare, teneantur Cardinales in Civitate, in cuius territorio, sive districtu idem Pontifex obiit, convenire, nisi sit forsitan interdicta, vel contra Ecclesiam Romanam in aperta rebellione persistat, quo casu in alia viciniori conveniant, quae similiter nec interdicto subiaceat, nec sit (ut praedicitur) aperte rebellis... ».

Vigente iure a Gregorio X statuto, Innocentius V die 4 ianuarii 1276 Arretii electus fuit; Adrianus V Romae creatus est die 11 iul. 1276; Ioannes XXI Viterbii die 8 sept. 1276; Nicolaus III Viterbii die 25 nov. 1277; Martinus IV item Viterbii die 22 febr. 1281; Honorius IV Perusiae die 2 april. 1285; Nicolaus IV Romae die 22 febr. 1288; Coelestinus V Perusiae die 5 iul. 1294; Bonifacius VIII Neapoli die 24 dec. 1294; Benedictus XI Romae die 22 oct. 1303; Clemens V Perusiae die 5 iun. 1305.

6. **De loco electionis a Clemente V usque ad Gregorium XI.** — Clemens V in Bulla « *Ne Romani* » a. 1310 in Concilio Viennensi edita Constitutionem Gregorii X interpretatur quoad electionis locum, in casu quo Papam extra Curiam vita fungi contingat. « Sane, ait Pontifex, cum iuxta Constitutionem praedictam, Papa extra civitatem, in qua cum sua erat Curia moriente, in civitate, in cuius districtu seu territorio moritur, sit regulariter Successoris electio celebranda, districtus seu territorii nomine, *dioecesim hoc casu intelligendam fore censemus*. Eo autem adiecto, quod si in certo loco causarum et Literarum Apostolicarum audientia remanente, Papam alibi mori contingat, non ibi, *sed ubi fuerat audientia, memorata electio celebretur*, etiamsi eadem audientia tempore mortis huius vacare noscatur nisi forte ante mortem eamdem, ordinatum esset per Papam de Curia transferenda, quo casu servetur provisio Constitutionis praedictae ».

Duo igitur perbelle decernuntur. Gregorius X statuerat, adveniente Romani Pontificis obitu extra civitatem in qua aderat Curia, electionem esse peragendam in civitate in cuius territorio seu distructu contigisset Papam e vita decedere. Clemens V explicat id est authentice interpretatur quid nomine veniat terri-

torii seu districtus, affirmans dioecesim hac voce intelligendam esse. Item idem Pontifex declarat ibi deveniendum esse ad Pontificis electionem ubi habetur seu remanet causarum ac Litterarum Apostolicarum audientia, etiamsi alibi Pontificem Summum diem supremum obire contingat.

Clemens V, Urbe Roma relicta, sedem pontificiam Avenionem transtulit. Num fausto aut potius, ut opinamur, malo fato id actum fuerit, videant scriptores rerum historicarum.

Inde ab hoc tempore electio Romanorum Pontificum per 70 annos in Gallia facta fuit. Sane Ioannes XXII die 7 aug. 1316 Lugduni electus est; Benedictus XII Avenione die 20 dec. 1334; Clemens VI Avenione die 7 maii 1342; Innocentius VI Avenione die 18 dec. 1352; Urbanus V Avenione die 6 nov. 1362; Gregorius XI Avenione die 30 dec. 1370.

7. **De loco electionis a Gregorio XI usque ad Martinum V.** — Gregorius XI optimo profecto consilio Romam transferendam duxit pontificiam Sedem, ut Ecclesiae tranquillitati et christifidelium saluti congruentius consulere valeret.

Anno 1378 exorto schismate occidentali, ex quo innumera manarunt damna, Pontifices legitimi Romae electi fuerunt, generatim saltem loquendo; illegitimi vero seu antipapae alibi sive in Italia sive extra creati sunt.

Re quidem vera Urbanus VI (9 april. 1378), Bonifacius IX (2 nov. 1389), Innocentius VII (17 oct. 1404) et Gregorius XII (30 nov. 1406) in Urbe electi fuerunt.

Clemens VII Fundi creatus est die 21 sept. 1378; Benedictus XIII die 28 sept. 1394 Avenione; Alexander V in Concilio Pisano die 26 iun. 1409; Ioannes XXIII Bononiae die 17 maii 1410; Martinus V in Concilio Constantiensi die 11 nov. 1417.

8. **De loco electionis a Martino V usque ad Pium VII.** — Anno 1417 Concilium Constantiense per electionem Martini V finem, Deo favente, occidentali schismati dedit. Pace ita Ecclesiae reddita, comitia pro Romano eligendo Pontifice in Urbe haberi solita fuerunt, ita ut post Martinum V universi Pontifices usque ad Pium VII Romae, et non alibi, creati sint.

Locum vero quod attinet, animadvertere praestat morem inde a Callisto III an. 1455 invaluisse ut electio fieret in palatio Vaticano. Eugenius IV contra die 3 mart. 1431 Romae in ecclesia

S. Mariae supra Minervam electus fuit; item Nicolaus V die 6 mart. 1447. Successores Nicolai V, uno excepto Pio VII, Romae et quidem, ut diximus, in Vaticano palatio creati fuere.

Callistus III die 8 april. 1455; Pius II die 19 aug. 1458; Paulus II die 30 aug. 1464; Sixtus IV die 9 aug. 1471; Innocentius VIII die 29 aug. 1484; Alexander VI die 11 aug. 1492; Pius III die 27 sept. 1503; Iulius II die 1 nov. 1503; Leo X die 11 mart. 1513; Adrianus VI die 9 ian. 1522; Clemens VII die 19 nov. 1523; Paulus III die 13 oct. 1534; Iulius III die 8 febr. 1550; Marcellus II die 9 april. 1555; Paulus IV die 23 maii 1555; Pius IV die 26 dec. 1559; Pius V die 9 ian. 1566; Gregorius XIII die 13 maii 1572; Sixtu V die 24 april. 1585; Urbanus VII die 15 sept. 1590; Gregorius XIV die 5 dec. 1590; Innocentius IX die 29 oct. 1591; Clemens VIII die 30 ian. 1592; Leo XI die 1 april. 1605; Paulus V die 16 mai 1605; Gregorius XV die 9 febr. 1621; Urbanus VIII die 6 aug. 1623; Innocentius X die 16 sept. 1644; Alexander VII die 7 april. 1655; Clemens IX die 20 iun. 1667; Clemens X die 29 april. 1670; Innocentius XI die 21 sept. 1676; Alexander VIII die 6 oct. 1689; Innocentius XII die 12 iul. 1691; Clemens XI die 23 nov. 1700; Innocentius XIII die 8 mai 1721; Benedictus XIII die 29 maii 1724; Clemens XII die 12 iul. 1730; Benedictus XIV die 20 aug. 1740; Clemens XIII die 6 iul. 1758; Clemens XIV die 19 maii 1769; Pius VI die 15 febr. 1775.

9. **De loco electionis a Pio VII usque ad tempora nostra.** — Pius VI captivus Valentiae diem supremum obiit tertio Kal. sept. 1799, Ecclesiam saeviente Napoleone I, qui superbia obcoecatus summa rerum inhiabat potiri etiam quoad ecclestiastica negotia, mancipium sibi reddens Pontificem Romanum.

Cardinales Valentiae seu in loco decessus comitia pro novo designando Papa convocare non potuerunt, cum teterrimi revolutionis tumultus consessum Sacri Collegii praepedirent; qua de causa Eminentissimi Patres Venetiis in monasterio S. Georgii maturo consilio deliberarunt pro ea vice comitia habenda esse, ut sarta tecta foret electorum libertas.

Gregorius Chiaramonti, Imolensis Episcopus, die 14 mart. 1800 Summus Pontifex Venetiis renuntiatus est, qui nomem accepit Pii VII. Devicto ac relegato Napoleone I, pacem Ecclesia feliciter obtinuit.

Successores Pii VII Romae eligi potuerunt; alii quidem in Quirinali palatio, alii in Vaticano. Leo XII (28 sept. 1823), Pius VIII (31 mart. 1829), Gregorius XVI (2 febr. 1831), Pius IX (16 iun. 1846) in Quirinali palatio fuerunt electi. Leo XIII (20 febr. 1878) et Pius X, quem Deus ad multos annos incolumem servet (4 aug. 1903) electi sunt in aedibus Vaticanis.

10. **Praescriptio Pii IX ac Leonis XIII de electionis loco.** — Pius IX in Bulla « *In hac sublimi* » diei 23 aug. 1871 decernit:

« Cum autem ea sit temporum conditio, ut metuendum quoque videatur, ne Nos ex hac alma Urbe ad graviora mala vitanda migrare vel etiam per vim hinc abduci, et subinde extra Romam mortem obire contingat, huiusmodi quoque eventui consulere existimavimus. Quamobrem motu item proprio, ac certa scientia deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, statuimus, decernimus atque mandamus, *ut in hoc casu novi Pontificis electio in quocumque terrarum Orbis loco peragi possit,* ubi tot simul Cardinales sint, qui vel per unum dumtaxat medietatem superent totius Collegii Cardinalium tunc in humanis existentium ».

Si contingat Pontificem extra Urbem vita fungi, electio Successoris necessario facienda non est neque Romae, neque in territorio decessus, sed quocumque in loco fieri potest, modo sufficiens ibi adsit Cardinalium numerus.

In eadem Bulla Pontifex Sacro Collegio facultatem tribuit deliberandi, Papa defuncto, an in Urbe vel extra eam comitia pro electione sint habenda. « S. R. E. Cardinales, qui in proxima vacatione Apostolicae Sedis praesentes in Curia erunt, statim ac Nos supremum diem obire contingat. exequiis etiam in suffragium animae Nostrae nondum celebratis.... statim huius Urbis rerum ac temporum circumstantiis serio perpensis, *deliberent an in eadem Urbe vel extra eam comitia de novo Pontifice eligendo sint habenda* ».

In Bulla « *Consulturi* » diei 10 oct. 1877 hanc praescriptionem ratam habet ac denuo confirmat; quin imo enixe Cardinales hortatur ut extra Italiam locum electionis peragendae designent.

« Perpendentes vero indolem, vicissitudines et pericula praesentium temporum omnibus perspectissima, facere non possumus, quin *vehementer exoptemus, locum, ubi electio habenda erit, extra*

fines Italiae designari. Quod sane desiderium Nostrum dum aperte prodimus, illud etiam atque etiam commendamus S. R. E. Cardinalibus ».

Si Pontifex extra Urbem moriatur, ius locum designandi, ubi comitia fieri debeant, spectat ad Cardinalem Decanum, una cum tribus antiquioribus Cardinalibus ex quolibet Ordine, et cum Cardinali Camerario, si una simul erunt, vel, ipsis absentibus cum aliis quibuscumque Cardinalibus, vel demum ad ipsum solum, si reliqui omnino absint.

Ita decernit Pius IX tum in Bulla « *In hac sublimi* », tum in alia « *Consulturi* ».

Leo XIII in Constit. « *Praedecessores Nostri* » diei 24 maii 1882 fere iisdem verbis confirmat quae a Pio IX statuta fuerunt:

« Mandamus itaque et decernimus, si Nos in hac Urbe Roma vita fungi accidat, ut *Cardinales,* qui tum praesentes in Curia erunt, vix dum Nos diem contigerit clausisse supremum, antequam vel ipsae exequiae in suffragium animae Nostrae persolvantur... rerum ac temporum circumstantiis serio perpensis, *deliberent an in eadem Urbe, vel extra eam comitia pro novo Pontifice eligendo haberi debeant* ».

Decernit insuper ut, adveniente Romani Pontificis obitu extra Urbem, « Cardinalis Decanus, vel ipso impedito, Cardinalis dignitate potior, vix dum huiusmodi nuncium (de obitu) acceperit, vel quovis alio modo Apostolicae Sedis vacationem certo explorátam habuerit, una tribus antiquioribus Cardinalibus ex uno quoque Ordine et cum Cardinali Sanctae Romanae Ecclesiae Camerario, si una simul erunt, vel, ipsis absentibus, cum aliis quibusvis Cardinalibus, vel demum ipse solus, si reliqui omnino absint, *locum alicuius regionis, quaecumque demum ea sit, eligant, qui ad habenda comitia magis opportunus videbitur* ».

In adiecta porro Constitutioni Instructione haec leguntur: « Quod si in prima Congregatione generali *S. Collegium constituerit Conclave extra Italiam celebrare,* id Cardinalibus, qui in Curia non adsint, subito nuncietur » (n. 30). « In eodem nuncio *certus locus,* et tempus, *quo simul conveniant, significetur* » (n. 31).

11. **Ius hodiernum.** — Pius X in Constit. « *Vacante Sede Apostolica* » nihil de loco electionis expresse statuit. Implicitae saltem non desunt allusiones, v. g. in tit. II, cap. I, n. 35, ubi

in virtute sanctae obedientiae Cardinalibus praecipit ut *ad locum designatum pro perficienda Pontificis electione statim se conferre debeant;* et in eod. tit. cap. III, n. 44 mandat ut, exsequiis defuncti Pontificis persolutis, et interim Conclavi opportune praeparato, Cardinales in Basilicam S. Petri, *vel alio pro temporis et loci opportunitate conveniant.*

Cum vero Constit. « *Praedecessores Nostri* » Leonis XIII cum adiecta Instructione, ut explicite declarat Pius X in proemio suae Constitutionis, vim legis pergat habere, praeter ea quibus derogatum est, prono alveo sequitur ius hodiernum quoad electionis locum desumendum esse ex Constit. Leonis XIII cum adiecta Instructione.

Itaque canonica lex, quae hodie viget, haec est:

1° Si Papam Romae diem supremum obire, contigat electio fieri potest sive in alma Urbe sive extra eam. *Per se* melius est ut Romae comitia pro novo eligendo Pontifice habeantur; *per accidens* tamen opportunius quandoque erit, ut extra Urbem electio fiat, si peculiares rerum ac temporum circumstantiae occurrant.

2° Cardinales, qui in Curia praesentes tempore obitus Pontificis adsunt, nondum etiam persolutis exsequiis aliisque Cardinalibus non expectatis, deliberare debent an, singulis adiunctis maturo consilio perpensis, in Urbe vel extra eam comitia pro electione habenda sint.

3° Si Papam extra Romam vita fungi accidat, Cardinalis Decanus vel, ipso impedito, alius dignitate potior, una cum tribus antiquioribus ex unoquoque Ordine Cardinalibus, et cum Cardinali Camerario, vel, ipsis absentibus, cum aliis Cardinalibus, aut ipse solus, si reliqui absint, designare tenetur locum, qui magis opportunus videtur, pro electione peragenda. Ex quo patet comitia haberi posse sive in loco, ubi Pontifex diem supremum obierit, sive in alio quocumque territorio, pro Cardinalis Decani aliorumque Cardinalium prudenti iudicio.

4° Si extra Italiam Sacrum Collegium constituerit Conclave celebrare, id Cardinalibus, qui in Curia non adsunt, statim nunciari debet; simulque certus locus significandus est, quo simul convenire teneantur.

ARTICULUS V.

De materiali forma Conclavis.

Bibliographia: Berardi, *Comm. in ius eccl. univ.* to. I, pag. 91 ss.; Devoti, *Ius can. univ. in tit. 6. lib. I Decret.*, n. 30 ss.; Camarda, l. c.; Fagnanus, *Comm. ad cap. « Licet de vitanda ». 6 X. de elect.* n. 77 ss.; Bonacina, l. c.; Lottini I. F. *Dissertatio de sacris Cardinalium comitiis sive de conclavi*, p. 18 ss.; Fueslinus, *Conclavia romana reserata*, p. 25 ss.; Schönmann, *De electione Romani Pontificis, Roma non libera, iuxta constitutiones apostolicas valide peragenda*, op. 12 s.; Thomassinus, *Vet. et nov. eccl. disc.* p. II, lib. 2. c, 1 ss.; Wernz, l. c.

Cancellieri F., *Notizie istoriche delle stagioni e dei siti diversi, in cui sono tenuti i conclavi*, p. 24 s.; Ceccaroni A., op. cit. p. 12 ss.; *Cerimonial del conclave o esposizione di ciò che si suol praticare per l'elezione del Sommo Pontefice;* Novaes I., *Il sacro rito antico e moderno della elezione, coronazione e possesso del Sommo Pontefice*, p. 32 ss.; Sterzi, *Storia de' conclavi*, p. 45.

Lector, *Le conclave*, p. 15 ss.; Cartwright W. C., *De la constitution des conclaves pontificaux*, p. 23 s.; Sirmier, *Le conclave*. Paris, 1905.

Häberlin F. D., *Romisches Konklave*, p. 16 ss.; Sägmüller, l. c.

Summarium: 1. Ante Gregorium X. — 2. Post Gregorium X. — Hodierna disciplina.

1. **Ante Gregorium X.** — Nulla peculiaris forma aderat Conclavis ante Gregorium X, quin imo ne Conclave quidem stricto sensu habebatur. Etenim prioribus Ecclesiae saeculis in catacumbis aut alio pio sacello electio Pontificis Romani celebratur. Inde a saeculo IV Papa creari coepit in Basilica Constantiniana seu Lateranensi. Non desunt tamen Pontifices qui extra templorum septa creati sint, v. g. Stephanus III electus fuit in *Foro* die 7 aug. 768; Gelasius II in *Palladio* die 24 ian. 1118; Caelestinus II 30 mart. 1191, Innocentius III 8 ian. 1198, Gregorius IX 19 mart. 1227, Caelestinus IV 25 oct. 1241, electi fuerunt in *Septizonio*, nimirum in quodam amplo ac tuto aedificio a Septimio Severo constructo in Palatino monte.

2. **Post Gregorium X.** — Gregorius X primus fuit, qui disciplinam de Conclavi vero proprioque induxit per saepius citatam Constit. « *Ubi periculum* », in qua decernit: « Omnes

(Cardinales) conveniant in Palatio, in quo idem Pontifex habitabat.... In eodem autem Palatio unum Conclave nullo intermedio pariete, seu alio velamine, omnes habitent in communi, quod reservato libero ad secretam cameram aditu, ita claudatur undique ut nullus illud intrare valeat vel exire ».

Tria hisce verbis clare distincteque statuuntur, scilicet: *a*) quod omnes Cardinales unum ac idem Conclave ingredi tenentur; *b*) quod in communi, nullo intermedio pariete seu velamine, vitam agere debent; *c*) quod Conclave ita claudendum est, ut nemo ingredi aut exire valeat.

Clemens VI in Bulla « *Licet* » nimium praedictae Constitutionis rigorem mitigavit, quatenus permisit Cardinalibus ut haberent in Conclavi velamina simplicium cortinarum ex decentiae causa.

Decursu temporis vero adhuc mitior disciplina facta est. Siquidem Urbanus V, qui palatium pontificium Avenione affabre construi iussit, aedes peculiares etiam in eodem aedificandas duxit pro comitiis de Pontificis electione. Cum autem Pontifices Summi Romam fausto numine reversi sunt, electio fieri coepit in aedibus Vaticanis. Mos inde invaluit ut singulis Cardinalibus Conclave ingredientibus singulae cellae assignarentur. Eiusmodi tamen cellae non stabili modo construi solitae fuerunt, at solummodo ad tempus, nimirum pro singulis vicibus.

Formam topographicam et artisticam quod attinet Conclavis ac cellarum earumdem, id unum animadvertere praestat, eam scilicet variam fuisse pro temporum et circumstantiarum varietate.

3. **Hodierna disciplina.** — Pius X Constit. « *Vacante Sede Apostolica* » ne verbum quidem habet de materiali forma Conclavis. Tamen in tit I, cap. II, n. 11, decernit, in Congregatione generali nominandas esse singulares duorum vel trium Cardinalium Commissiones pro *constructione et clausura Conclavis, ac pro cellarum dispositione*; et dein subiugit *cellas Conclavis sorte Cardinalibus esse distribuendas.* Item in tit. II, cap. IV, n. 47 expresse statuit ut *electio Summi Pontificis fiat in Conclavi clauso;* mandat insuper (l. c. n. 48) ut Cardinales deputati per se vel alios, *cellas Cardinalium* saepius visitent et diligenter perquirant, ne *Conclavis clausura ullo modo violetur*. Nullum dubium proinde

quin disciplina de clausura Conclavis ac de cellis adhuc vigeat. Cum autem in iure cautum minime sit quanam forma seu structura sint cellae construendae, consuetudo, longo saeculorum inducta ac firmata usu, servari debet.

In codice Vaticano, quem ipsi naviter perspeximus, sic describitur conclavis (1):

« Dum Pontifici defuncto iusta peraguntur, Camerarius sanctae romanae Ecclesiae, et qui Camerae praesunt, curam instruendi ornandique conclavis diligenter gerant, ad quem ascensum, aditumque unum tantum dimittant, qua ad S. Petrum per ianuam in principio primae aulae meridiem versus descenditur. In ipsa prima aula, quae regia appellatur, eo quod ibi publica consistoria pro regibus, regiisque legatis suscipiendis celebrari solent, fenestrae portaeque omnes muro, calceque firmentur, praeter illas, quibus ad sacella et ad secundam aulam itur.

« Porta prima in principio aulae ferreis vectibus et serris quatuor muniatur. In medio porticulum habeat, quo esculenta et poculenta clausis Patribus ministrentur, in angulo ad sinistram intrante camerula aperiatur pro latrinis, quae nullum exitum nullamque habeat fenestram; in ea sedulo ardeant lampades, ibique caeremoniarum ministri dormiant. In sacello, sive capella minori ad dextram, quae divo Nicolao dicata est, conveniant Patres ad divina peragenda, et ad electionem celebrandam. In maiori cappella ad sinistram, parentur cellulae pro Patribus tot, quot sunt numero Cardinales electioni interfuturi. In capite huius capellae ad sinistram intranti, camerae sunt in quibus sacrista Palatii Apostolici habitat; harum prima pars, quae latrinas habet, pro conclavi reservetur; cetera omnia muro claudantur, ita ut tenebrosa fiat pars illa. Et ideo, ut de prima camerula diximus, lampadibus accensis continue illustretur.

« Cellulae in ipsa capella maiori hinc inde constituantur, non muro aut materia distinctae, sed cortinis lineis aut laneis tennioribus separatae. Ériguntur namque ipsae cellulae lignis quaternis a superiore parte, a quibus cortinae dependent, firmanturque ipsa ligna aliis lignis transversis, ita ut locus non

(1) *Sacrarum caeremoniarum sive ritum ecclesiasticorum sanctae romanae Ecclesiae libri tres,* eto, lib. I. § V.

maculetur, et inter cellulam et cellulam spatium dimittitur palmi vel circa. Famuli Cardinalium, ut primum distributio cellularum facta est, illas ornare properent, quae per literas alphabeti signantur. Inde non ordine, sed sorte Patribus distribuantur pridie, quam ingrediantur conclave; ut cortinis lectis et opportuna supellectili in tempore possint ornari. Locus ipse conclavis ita undique claudendus ac muniendus est, ut aditum nullum nisi unum tantum (ut diximus) habeat, nemoque inclusos alloqui, videre, seu quippiam ad eos clam mittere queat; sed advertendum est maxime, ne supra aut infra, sive a lateribus habitationum conclavis ire, stare, habitareve quispiam possit, ne voce, signo, sono, aut aliquo alio ingenio perscrutari quae intus fiunt valeat.

« Interea Patres crebro conveniant, vel in sacristia ecclesiae, ubi exequiae defuncti Pontificis celebrantur, finita Missa, vel in domo domini Camerarii (si ea est idonea, et si is est ex numero Cardinalium). Nam et extra Collegium potest esse Camerarius. Administratio enim temporalium et Urbis ac romanae Curiae gubernatio, vacante sede, ad sacrum Collegium et precipue ad ipsum Camerarinm spectat. Et ideo apud nullum alium Cardinalem, sed apud eum tantum aut apud aliquam aedem sacram (si magis id libet) convenire solent. Inter alia ibi constituunt quadruplices custodes futuri conclavis. Primae portae palatii custodia alicui magno Praelato, vel nobili potenti, ut primum obiit Pontifex, committitur, qui armata cohorte die noctuque palatium, Patresque tueatur, cui ducenti sive trecenti pedites assignantur. Secunda custodia est in prima porta, qua ad locum conclavis ascenditur. Et haec demandatur conservatoribus et capitibus regionum Urbis, qui adiunctis sibi aliquibus nobilibus civibus portam ipsam custodiant. Tertia custodia in secunda porta ali quando superius demandari solet oratoribus laicis, sive non Praelatis regum aut principum, aut etiam aliquibus magnis et potentibus proceribus, numero ad id idoneo. Quarta autem custodia, quae est in ipso aditu unico conclavis, committi consuevit Praelatis dignioribus romanae Curiae sex aut octo, sive sint oratores, sive non: et si commode fieri potest, et aliquin idonei censeantur, curandum, ut ex diversis nationibus eligantur, ut omnium studiis tractetur quod ad omnes pertinet.

« Sed haec omnia, quoad custodiarum distinctionem, et custodum numerum et qualitatem, in arbitrio sacri Senatus, qui pro temporis et pro loci commoditate ac conditione opportune providere consuevit.

« Custodes primae portae palatii cum armatis, ut primum obiit Pontifex, locum servant ; alii vero cum Patres intrant conclave. Et quidem porta, quatuor, ut diximus, servis munitur, extra una, supra porticulum duabus, infra porticulum ipsum etiam una, et similiter interiore parte idem porticulum una. Custodes ipsius loci claves duas portae, et clavem porticuli retinent; clerici caeremoniarum aliam portae clavem, et clavem, porticuli interioris, ita ut neque porta, neque porticulum aperiri possit sine consensu illorum, qui sunt intus, et qui sunt extra.

« Aulae sive duae sint sive tres, reservantur pro deambulatione Patrum. Et in una ex eis, remotiori scilicet aliquando, simul convenire ad ea statuenda quae sunt praeter electionem Pontificis. Quamquam secundum sacrorum canonum constitutionem fas non sit Patribus aliud tractare in conclavi, nisi de providendo manfesto et urgenti periculo terris Ecclesiae, et de substituenda pro tempore Poenitentiario summo, et Camerario S. R. E., si interea vacarent, non est tamen inconveniens, et a maioribus nostris frequentatum est tractare aliqua, quae etsi ipsum actum electionis praecise non respiciant, tamen laudabile regimen futuri Pontificis concernunt, et ipsius Pontificis religiosam administrationem honestiori quodam vinculo temperant.

« Caeterum si aliquando contingeret ut alibi celebranda esset Pontificis electio, hinc esset sumendum exemplum, et curandum in primis, ut locus ipse idoneus et tutus ac fideli militum manu munitus sit; deinde ut aditus ad conclave triplici custodia firmari possit; tum aulam quandam ita capacem habeat, ut in ea cellulae omnes pro Cardinalibus commode constituantur. Inde ut sacellum contineat pro re divina et electione celebranda idoneum: demum aulas aliquas pro deambulatione, et latrinas ad partem; et ita claudendum est ipsum conclave, ut nemo inclusos videre, nemo eos alloqui ut ad eos quippiam latenter transmittere, jacereve nullo modo queat. In eum locum supellex opportuna convehenda est pro Cardinalibus

et eorum famulis, esculenta et poculenta nulla, praeter aquam et confectiones, et quae ad medicinam pertinent.

« Quae vero ad cibum et potum attinent, portantur vespere et mane singulis diebus ».

ARTICULUS VI.

De expensis Conclavis.

Bibliographia: Fueslinus, *Conclavia romana reserata*, p. 43 s.; Ingoli F., *Caeremoniale continens ritus electionis Romani Pontificis*, p. 29 s.; Lottini, op. cit. p. 16; Thomassinus, l. c. Camarda. op. cit. pag. 48 ss.

Cancellieri F. op. cit. p. 38; Novaes, I., l. c.;

Summarium: 1. Consuetudo vetus. — 2. Decretum Alexandri VIII. — 3. Chirographum Clementis XII. — 4. Praxis hodierna.

1. **Consuetudo vetus.** — Impensae tum exequiarum tum Conclavis inde a Gregorio X « in immensum excreverunt », ut merito asserit Pius IV in Constit. « *In eligendis* », § 2. Singuli enim officiales, magistratus, conclavistae ac servientes, qui uno aliove modo negotia gerebant, Sede Apostolica vacante, sibimet emulumenta inusitata et extraordinaria omnino vindicabant. Ita quidem ut progressu temporis haec praxis de emolumentis inusitatis et extraordinariis Conclavistis aliisque solvendis usu recepta fuerit, ac veluti in ius consuetudinarium quodammodo transierit. Consulto diximus *quodammodo*; nam verum propriumque ius consuetudinarium minime aderat. Compertissimum sane est, consuetudinem legitimam haudquaquam esse, nisi honesta, rationabilis et legislatoris consensu sit firmata ac per actus continuos societatis inducta.

Quae conditiones in casu nostro procul dubio desunt. Etenim Romani Pontifices neque explicite neque implicite ratas habuerunt praedictas expensas, quin imo, data occasione, protestati sunt; praeterea sermo esse non potest de consuetudine, sed potius de praescriptione, nam subiectum seu societas non habetur. Praescriptio vero item deest, cum non habeatur possessio dominativa cum aliis titulis a lege statutis, ut cuique sedulo perpendenti suapte natura innotescit. Iure meritoque proinde Cle

mens IX, Clemens X et Innocentius XI saepius cogitarunt de expensis imminuendis; quem ad finem peculiarem Cardinalium Congregatio plura reapse de hac re edidit decreta.

2. **Decretum Alexandri VIII.** — Alexander VIII, ut viam occluderet tot tantisque quoad expensas abusibus, optimo sane consilio edi iussit italico idiomate Decretum diei 29 nov. 1629 per modum epistolae ad Cardinalem Camerarium Paluzzo Altieri transmissae.

« *Reverendissimo Cardinal Paluzzo Altieri nostro Camerlengo.*

« Avendo Noi sino dal principio del nostro Pontificato applicato l'animo a sollievo della nostra Camera, e alla riforma di molte spese eccessive e superflue, e considerato particolarmente che la sa. me. di Clemente IX, Clemente X et Innocenzo XI, Nostri Predecessori, per rimediare a vari abusi circa le spese solite farsi nella Sede vacante, havevano istituita una Congregazione particolare di Cardinali e Prelati sopra la riforma di quelle, e che sebbene da detta Congregazione erano stati fatti diversi decreti, ad ogni modo la detta riforma non era mai stata perfezionata; però noi conosciuta la necessità di perfezionarla, ordinassimo a Voi, che con il parere di alcuni Prelati et altre persone informate vedessino di ridurla a perfezione, et havendoci poi riferito, che dopo essersi questa nuova Congregazione unita più e più volte, e dopo haver maturatamente esaminato, tanto i Decreti fatti dalle passate Congregazioni, quanto tutte le altre cose necessarie a considerarsi, habbia stabilito diversi ordini e Decreti con i quali si dia in gran parte rimedio a detti abusi e disordini, del tenore infrascritto, cioè: *Restrictum resolutionum, et decretorum factorum in Congregationibus habitis coram Eminentissimo Domino Cardinali Camerario super reformatione expensarum Conclavis . . . Resolutum fuit, quod loco prandii die quolibet fieri soliti pro Illmis Clericis Cam. Apost. augeantur scuta centum quolibet mense gubernatori Conclavis ultra solitam provisionem scutorum ducentorum, quodque nullae aliae expensae fiant... Quod Illmi DD. Clerici deputati ad custodiam Sacri Palatii, durante vacatione Sedis, nullam regaliam seu emolumentum quodcumque recipere debeant causa et occasione eiusdem custodiae...*

« *Quod provisiones infrascriptorum officialium Conclavis reformentur, ut infra: aromatarius a scutis 60 ad scuta 40 quo-*

libet mense; duo substituti illius a scutis 20 ad 15; quatuor barbiton ores duo a scutis 40 ad 30, alii duo a scutis 36 ad scuta 20. Architectus a scutis 20 ad scutis 12; faber murarius a scutis 12 ad scuta 9; faber lignarius a scutis 12 ad scuta 9...

« *Quod omnia panna, lanea, sericea, et alia cuiusvis qualitatis inservientia pro baldacchinis, altaribus, porteriis, stratis, cortinis, spalloriis, et similibus conservari debeant pro Floreria Apostolica, et de illis Sacrista ac Magistri caeremoniarum teneantur reddere rationem...*

« *Quoad quantitatem et qualitatem pannorum lineorum inservientium pro altaribus utriusque cappellae dictum fuit: posse deputari aliquem ex Eminentissimis Cardinalibus, qui dignetur superintendere, ne fiant tam circa praedicta quam circa alia supellectilia cappellae expensae excessivae...*

« Noi havendo letto, e sentito de verbo ad verbum detti Decreti, riputandogli giusti e necessarii per il sollievo della nostra Camera, habbiamo risoluto di approvarli, e di ordinare, che in avvenire debbano eseguirsi e inviolabilmente osservarsi... ».

3. **Chirographum Clementis XII.** — Clemens XII in Chirographo diei 24 dec. 1732 expensas Conclavis fieri solitas, cum excessivae adhuc essent, expresse ac distincte reformavit.

« Avendo Noi in detta Bolla (« *Apostolatus officium* », 5 octobr. 1732) espressamente proibito al Sacro Collegio de' reverendissimi Cardinali ed alla Congregazione dei capi d'Ordini ogni e qualunque spedizione di mandati straordinarî a favore di qualsivoglia persona a titolo di rimunerazione, premio, fatica, supplemento di mercedi e ricognizioni; perciò, a fine quelli, i quali attualmente servono necessariamente in Conclave, e che solevano avere simili premi, o sussidî straordinarî da Noi aboliti, abbiano un congruo assegnamento, confermando primieramente le provisioni di scudi cento il mese assegnati ai due medici, e di altri scudi cento il mese al chirurgo, ed altre provisioni o assegnamenti fissamente somministrati finora a diversi altri ministri o persone, vogliamo inoltre, che:

« Al segretario del Sacro Collegio si paghino parimente scudi cento il mese, col peso di dover somministrare il vitto alli due aiutanti che gli abbiamo permesso con detta nostra Bolla di condurre in Conclave, ai quali vogliamo inoltre che si paghino scudi

dieci il mese per ciascheduno, in ricompensa delle non ordinarie fatiche alle quali soccombono;

« Ai maestri di cerimonie non partecipanti, che entreranno in Conclave, assegniamo e vogliamo che si paghino scudi venticinque il mese per ciascuno; ed alli maestri di cerimonie soprannumerari, quando a tenore di detta nostra Bolla ne vengano ammessi due o uno di loro in conclave, altri scudi venti il mese similmente per ciascuno; proibendo di nuovo espressamente, che, nè a titolo del peso di suonare il campanello, nè per qualunque altro motivo, possa spedirsi a loro favore alcun altro mandato; dichiarando però, che, quando si trovino, come presentemente sono, tre maestri di cerimonie non partecipanti, s'intende che il terzo dei medesimi debba preferirsi per essere introdotto in Conclave a qualunque degli altri maestri di cerimonie soprannumerari, de' quali in tal caso non si possa introdurre al più che un solo, acciocchè non eccedano mai il prefisso numero di sei;

« Al confessore del Conclave assegniamo e vogliamo che si paghino scudi trenta il mese, et altri simili scudi trenta al sottosagrista;

« Alla persona che s'introdurrà col sagrista per servire le messe, assegniamo scudi sei il mese;

« Occorrendo il caso che il primo maestro di cerimonie sia decorato del carattere vescovile, come accade presentemente, vogliamo che al medesimo sia permesso di condurre in Conclave un sacerdote che gli assista, conforme suole praticarsi con il sagrista, e che a ciascuno di essi loro assistenti si paghino scudi sei il mese . . . .

« Vogliamo ed ordiniamo che alli trentacinque scopatori si debbano dare due stramazzi con capezzale, due lenzuoli e una coperta, quando entrano in Conclave, e che in fine del primo mese debbano loro darsi due altri lenzuoli, oltre de' quali, per qualunque durazione quantosivoglia lunga della Sede vacante, non possano essi pretendere alcun'altra cosa, nè per il servizio del letto, nè per qualunque altro titolo, per lo che proibiamo espressamente ed individualmente il concedere loro, conforme è stato praticato negli ultimi Conclavi, li camini ed ogni altra ricognizione di ferri, legni, stigli, cementi, e cose simili, le quali tutte vogliamo che rimangano a beneficio della nostra Camera, e che

detti scopatori debbano restare contenti de' salari a loro assegnati, e delle ricognizioni che sogliono ricevere dai reverendissimi Cardinali...

« Ordiniamo... in oltre che qualunque quantità di legna, la quale rimanga inconsunta in tempo di detta elezione, debba questa intieramente riservarsi a beneficio del palazzo apostolico, ed a tale effetto debbano i prefetti *pro tempore* di detto palazzo avere il peso e cura di farsene render conto da chi ne ha la custodia, subito terminato il Conclave...

« Essendo dalle Costituzioni d'Innocenzo XII, confermate e rinnovate in detta nostra Bolla, stati tolti al Cardinal Camerlengo, all'Uditore generale della nostra Camera, tesoriere parimente generale, alli dodici chierici e presidente di detta Camera, tutti e qualsivoglia emolumenti sì ordinarî come estraordinari, anche a titolo di regalie e giocali, dichiariamo che tra questi si intendano compresi e tolti anche li panni lugubri, e qualunque altra cosa di qualsiasi specie, sotto qualsivoglia titolo e denominazione, che si pagava in tempo di Sede vacante dalla Camera Apostolica, Camera Capitolina e Palazzo Apostolico.

« Di più espressamente ordiniamo e vogliamo che a niun altro ministro camerale si amministri nel tempo della Sede vacante veruno di quegli emolumenti, che altre volte in detto tempo distribuivansi loro sotto nome e titolo di regalie, regali e panni lugubri; ed inoltre proibiamo che a chiunque si sia dalla Camera Apostolica e dalla Capitolina, o sia a nome dell'una o dell'altra, si diano panni lugubri, corrucci e veli, e l'equivalente in denaro, dichiarando che in questa disposizione sono comprese ancora tutte e singole persone, alle quali venivano accordati dal Chirografo di Alessandro VIII segnato li 29 novembre 1690, a cui in questa parte espressamente deroghiamo. Non intendiamo però che in questa ordinazione siano compresi quegli emolumenti, che sotto anche un tal titolo sono soliti a pagarsi a coloro che godono qualche vacabile o altro ufficio acquistato *titulo oneroso* collo sborso effettivo di denaro...

« A fine poscia di prevenire le istanze degli stessi conclavisti per qualche altro aiuto in congiuntura di dovere colla mutazione della stagione rinnovare le suddette zimarre, espressamente ordiniamo che tali istanze non si ammettano in veruna maniera dal

sagro Collegio, che nel primo giorno di novembre e nel primo di luglio, e dopo che siano passati due mesi almeno di Conclave; sperando però nella divina assistenza, e nella pietà dei reverendissimi Cardinali, che impediranno i gravissimi pregiudizi della Chiesa colla pronta elezione di un nuovo Pontefice. Venendo poi il tempo ed il caso di ammettere la mentovata istanza, saranno somministrati scudi 30 per ogni cella di Cardinale che si troverà in Conclave... ».

Hae sunt praecipuae dispositiones in chirographo Clementis XII contentae, quae Conclavis respiciunt expensas.

4. **Praxis hodierna.** — Constitutio « *Praedecessores Nostri* » Leonis XIII de expensis tantum loquitur occasione exsequiarum in suffragium animae defuncti Pontificis faciendis, decernens ut eaedem, praetermisso consuetu apparatu a Constitutionibus et consuetudine invecto, modesto ritu ac forma peragantur. At expensas quod attinet Conclavis, nihil determinatum fuit.

Neque Pius X Constit. « *Vacante Sede Apostolica* » quidquam de expensis statuit. Id unum praescribit (1), nimirum ut in generali Cardinalium Congregatione « proponantur atque approbentur expensae Conclavis ». Quibus ex verbis perspicue patet singulis vicibus eiusmodi expensas proponendas approbandasque esse. Mensura vero earundem computari debet adiunctis loci ac temporis naviter perpensis. Quolibet in casu autem haec regula adamussim servanda est, ut scilicet eae omnes eaeque solae fiant expensae, quae manifesto necessariae sint comitiis habendis, quin ultra necessitatem quidquam solvatur.

ARTICULUS VII.

De privilegiis et pensionibus seu emolumentis quae concedi aut solvi solent Conclavistis.

Bibliographia: Lavorius I., *Variae lucubrationes canonicae, ubi etiam de conclavi, conclavistis et eorum privilegiis;* Camarda, l. c.; Meuschen, Op. cit. p. 15 ss.; Lottini, op. cit. p. 21 s.

Ceccaroni A., op. cit. p. 11; Cancellieri, op. cit. p. 26 ss.; Novaes I., op. cit. p. 18 ss.

Lector, op. cit. p. 450; Simier, l. c.

---

(1) Tit I, cap. II, n. 11, *b*).

Summarium: 1. Origo primaeva historica. — Origo iuridica. — 3. Leo X. — 4. Sixtus V. — 5. Clemens VIII. — 6. Leo XI. — 7. Gregorius XIII. — 8. Paulus V. — 9. Gregorius XV. — 10. Urbanus VIII. — 11. Clemens XII. — 12. Pius VI. — 13. Leo XIII, Pius VIII, Gregorius XVI, Pius IX et Leo XIII. — 14. Pius X.

1. **Origo primaeva historica** — Quo tempore primum mos invaluerit ut Pontifex Summus recens electus Conclavistis quaedam privilegia ac emolumenta tribuat aut solvat, determinare haudquaquam valemus, cum res sub tenebris adhuc delitescat. Mentio de eiusmodi praxi primitus occurrit in electione Leonis X (1513). Nihilominus antea quoque eam viguisse, quamvis non sat determinate, nemo est qui ignoret. Primaeva vestigia repetenda videntur inde ab aevo Gregorii X, id est a tempore, quo Conclavis disciplina inducta fuit. Aetatum decursu vero consuetudo firmior sensim facta est magisque determinata, ita ut eandem iamdiu invaluisse asserere non dubitemus.

2. **Origo iuridica**. — Nullum documentum extat, quo Romani Pontifices privilegia et emolumenta Conclavistis tribui seu solvi solita rata primitus habuerint ac confirmaverint. Ab initio siquidem Papa statim post electionem summam quamdam pecuniae inter singulos Conclavistas distribuendam elargire solebat. Progressu temporis, praeter pecuniam, alia quoque privilegia, facultates, nec non pensiones Pontifices concessere, ut ex infra dicendis manifesto patebit.

Porro si agnoscere velis vestigia iuridica vel melius historico-iuridica praedictae praxis solvendi nimirum quamdam pecuniae summam Conclavistis, candide fatemur eadem non sat pulcra honestaque esse. Cum Conclavistae olim, illico post factam electionem, cellam Cardinalis in Pontificem electi ingrederentur ac omnia bona mobilia, gr. v. vestes, vasa pretiosa aliaque id genus abripere auderent, consulto cautum fuit ut summa quaedam pecuniae inter Conclavistas distribuenda concederetur, eo pacto sane ne quidquam iidem e cella Pontificis recens designati surriperent (1).

Hac de causa Cardinales Conclave ingredientes promittere solebant se Conclavistis tributuros gratias, concessiones et indulta

(1) Cfr. *Storia de' Conclavi dei Pontefici Romani*, p. 136.

tribui solita; Conclavistae singuli vero spondebant sodalibus seu Conclavistis aliis summam pecuniae determinatam (1500 scuta aurea) soluturos fore.

Nihilominus tanta quandoque fuit animi gravitas Conclavistarum, ut cellam Cardinalis ad Summum Pontificatum evecti, impio ausu depraedari non omiserint; ideo non defuerunt Pontifices qui id iure merito prohibuerint sub poena excommunicationis ac suspensionis.

3. **Leo X.** — Occasione Conclavis pro Leone X eligendo primum mentio explicite occurrit de facultatibus ac privilegiis Conclavistis tributis.

1° Singulis Cardinalibus reservatio 1500 ducatorum conceditur, ea conditione ut nonnisi in favorem Conclavistarum de praedicta summa disponere valeant.

2° Conclavistis ius tribuitur quatuor beneficia obtinendi, licet incompatibilia, nec non parochialem praebendam.

3° Facultas iisdem datur disponendi per testamentum de bonis beneficialibus usque ad summam 1000 ducatorum.

4° Tandem privilegio donantur *remissionis*, uti vocant, quoad annatas ac provisiones ab aliis Pontificibus iam prius obtentas.

4. **Sixtus V.** — Sixtus V clarius determinavit facultates et privilegia Conclavistarum, simulque nonnullas conditiones adposuit ut iisdem frui valerent.

1° Decem millia scuta aurea inter Conclavistas aequaliter distribuenda assignavit.

2° Pensiones quoque ac fructuum reservationes ex beneficialibus concessit.

3° Facultatem tribuit plura assequendi beneficia.

4° Ius agnovit transferendi pensiones vel fructuum reservationes usque ad summam scutorum centum.

5° Privilegium elargitus est disponendi de fructibus beneficiorum sive per actum *inter vivos*, sive per actum *mortis causa*.

6° Iussit porro ut ipsi quoque conclavistae habitum clericalem ac tonsuram deferrent, si ecclesiasticae iam essent initiati militiae.

5. **Clemens VIII.** — In Constit. « *Aequitati consentaneum* » diei 9 nov. 1592 Clemens VIII plura eaque maximi momenti indulta ac privilegia Conclavistis tribuenda censuit.

1⁰ Conclavistae Papae familiares declarantur ac Sedis Apostolicae notarii.

2⁰ Comites ac milites nominantur sacri Palatii Apostolici ac aulae Lateranensis, nec non nobiles cives vel Urbis vel « alicuius alterius ex aliis civitatibus, temporali dominio nostro et dictae Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiectis, cives, esse voluerint ».

3⁰ Conclavistae omnibus privilegiis ac iuribus pollent, quibus fruuntur Sedis Apostolicae notarii, quamvis habitum et rocchetum notariorum non deferant.

4⁰ Eximuntur « a solutione et exactione decimarum et cuiuscumque pedagii, subsidii, gabellae et cuiusvis alteris oneris, tam ordinarii quam extraordinarii, ubicumque locorum, et ex quacumque, quantumvis gravi et urgentissima ac excogitabili causa et occasione impositorum ».

5⁰ Remissionem Conclavistis tribuit fructuum indebite perceptorum ob horas canonicas omissas, eosque dispensat seu absolvit ab inhabilitate id est irregularitate quocumque modo contracta.

6⁰ Conclavistae illegitimi habiles declarantur (modo ex coitu presbyteri procreati non sint), ad omnia officia tum ecclesiastica quum civilia, nec non ad sacros Ordines suscipiendos.

7⁰ « Et insuper eisdem Conclavistis omnibus et singulis, quod ratione quarumcumque pensionum ipsis et eorum cuilibet (non tamen ultra summam centum ducatorum auri de Camera pro quolibet nunc et pro tempore reservatarum et reservandarum) in habitu et tonsura per Constit. felicis recordationis Sixti Papae V, Praedecessoris Nostri, desuper etiam declaratis et praescriptis incedere, illosque minime deferre teneantur, et ob non delationem habitus et tonsurae huiusmodi, amissionis earumdem pensionum vel alias poenas in dicta Constitutione contentas, nullatenus incurrant aut incurrisse censeantur, dummodo tamen alias habitum decentem et honestum deferant, concedimus et indulgemus ».

8⁰ Litterae Apostolicae quae gratias, provisiones, commendas aliaque id genus continent gratis expediri debent.

9⁰ Pensiones percipere Conclavistae valent ex quibusvis fructibus, redditibus ac proventibus quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum cura et sine cura, saecularium et quorumvis

Ordinum et militiarum, etiam S. Ioannis Hierosolymitani, regularium, usque ad summam centum ducatorum auri de Camera.

10° Conclavistae Litteras Apostolicas in eorumdem favorem editas admittere ac registrare non tenentur, quae nihilominus plenarios effectus sortiri debent.

11° Privilegia huc usque recensita « revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus » non subiiciuntur.

6. **Leo XI.** — Leo XI qui die 1 april. 1605 ad Supremum evectus fuit Pontificatum, vestigia Praedecessorum premens, Conclavistis privilegia, indulta ac emolumenta concedi solita tribuenda et ipse curavit. Re quidem vera summam decem millium scutorum aureorum eis elargitus est, simulque iisdem omnia beneficia concessit, quae post obitum Clementis VIII vacua remanserant, modo redditus beneficiales summam ducentorum scutorum non excederent.

7. **Gregorius XIII.** — Card. Hugo Boncompagni - Gregorius XIII - fausto sane numine post unum dumtaxat diem ab ingressu Cardinalium in Conclave, Pontifex Romanus renuntiatus fuit, idib. maii 1572. Quam ob rem renuit Conclavistis scuta aurea de more tribuere; attamen pecuniae summam duplo maiorem in favorem egenorum elargiri iussit. Quod optimo consilio factum fuisse, nemo est qui inficietur.

8. **Paulus V.** — Paulus V Bullam « *Romanum decet* » die 31 iulii 1605 edidit, qua privilegia a Clemente VIII Conclavistis concessa rata habuit et confirmavit; quin imo nonnullas immutationes induxit.

1° Decrevit summam decem millium scutorum aureorum aeque distribuendam esse inter Conclavistas tum clericos quum laicos.

2° Statuit Conclavistas illegitimos seu ex iniustis progenitos nuptiis habiles fieri indiscriminatim sive ad sacros Ordines suscipiendos sive ad ecclesiastica assequenda beneficia.

3° Omnia beneficia quae, Sedis Apostolicae viduitate durante, vacare contigerat, Conclavistis attribuit, modo redditus eorumdem ducenta aurea non excederent scuta.

9. **Gregorius XV.** — Hic Pontifex die 9 febr. 1621 electus, per Bullam « *Romanus Pontifex* » diei 15 mart. 1621, omnia ac singula privilegia et indulta quae Paulus V Conclavistis tribuenda censuerat, ipse quoque confirmavit ac concessit.

10. **Urbanus VIII.** — Urbanus VIII in Bulla «*Circumspecta*» die 6 aug. 1623 edita, privilegia a Praedecessoribus, scilicet a Clemente VIII, Paulo V et Gregorio XV Conclavistis concessa, suprema sua auctoritate plane confirmavit. Haec praecipua:

1⁰ Conclavistas in primis ab omnibus censuris quas forte incurrerint ob violatas leges de clausura Conclavis ac de secreto servando absolvit.

2⁰ Eosdem Conclavistas exemptos declarat a vectigalibus quibuscumque tum ordinariis quum extraordinariis.

3⁰ Bona a Conclavistis possessa immunia fore decernit a spolio Camerae Apostolicae.

4⁰ Collationes seu provisiones beneficiorum quacumque de causa nullas, simoniacis tamen exceptis, validas in favorem Conclavistarum ac pro foro dumtaxat conscientiae statuit.

Quae in citata Bulla Urbanus VIII decernenda censuit quoad Conclavistas, singuli eiusdem successores usque ad Clementem XII exacte observarunt.

11. **Clemens XII.** — Clemens XII in motu proprio diei 14 iulii 1730 non modo omnia ac singula privilegia a suis Praedecessoribus concessa Conclavistis rata et confirmata decrevit, at praeterea quaedam alia adiuncta voluit, nimirum:

1⁰ Facultas testandi tribuitur conclavistis, etiamsi alicui religioni aut militiae nomen dederint, excepta tamen militia S. Ioannis Hierosolymitani.

2⁰ « Conclavistis... qui S. Ioannis Hierosolymitani, seu cuiusvis alterius militiae regularis, etiam expresse professi sunt, etiamsi ab eorum conventu absentes existant, dummodo tamen quinquennalem seu aliam debitam residentiam in conventu fecerint, et consueta servitia praestiterint, quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, ac quarumvis pensionum et commendarum eorum militia seu religionis capaces existant, perinde ac si in eadem militiae seu religione antianitatem de iustitia consequuti fuissent, similiter indulgemus ».

3⁰ Privilegia recensita et alia universa extenduntur ad procuratorem Conclavistarum, nec non ad Sacristam, ad magistros caeremoniarum atque ad S. Collegii secretarium.

Nulla immutatio habita fuit usque ad Pium VI, nam quae a Clemente XII decreta fuerant, Successores confirmarunt.

12. **Pius VI.** — In Bulla diei 20 mart. 1775, cuius initium « *Admirabili sane* », Pius VI confirmanda curavit privilegia, concessiones ac indulta a Romanis Pontificibus aetatum decursu Conclavistis tributa; praeterea titulo *nobilitatis* Conclavistas donavit, ita ut valide ac licite *nobiles* ipsi nuncuparentur et nuncupari deberent non modo in privatis sed in publicis etiam documentis; simulque iure stemmatis figendi gauderent. Hanc concessiomem ex peculiaribus temporum adiunctis repetendam esse, nemo est qni ignoret.

13. **Leo XII** et **Pius VIII.** — Leo XII in Motu proprio diei 12 oct. 1823 privilegia Conclavistarum restrinxit aliquantisper; cuius Pontificis vestigia secutus quoque est Pius VIII. Ipse sane Motu proprio « *Nos volentes* » die 26 iunii 1829 edito, haec privilegia et indulta Conclavistis tribuenda censuit:

1⁰ Conclavistae Papae familiares eiusque commensales declarantur.

2⁰ Cives fiunt vel Urbis vel alicuius alterius ex aliis civitatibus ditionis pontificiae pro eorumdem arbitrio; quod privilegium ad ipsos quoque descendentes protenditur.

3⁰ Notarii Apostolicae Sedis consentur ad tramitem Constit. Pii VII « *Cum innumeri* » id. dec. 1818.

4⁰ Gratiae, provisiones, commendae ac quaevis Apostolicae Litterae gratis in favorem eorumdem expediri debent.

5⁰ Quamvis beneficium simplex sint adepti, nihilominus habitum ac tonsuram deferre non tenentur, modo redditus beneficiales summam centum ducatorum auri de Camera non excedant.

6⁰ Eximuntur a spolio Camerae, licet religiosi sint, iis dumtaxat exceptis qui militiam S. Ioannis Hierosolymitani gerant.

7⁰ Habiles sunt ad pensiones percipiendas ex quolibet ecclesiastico beneficio, sive curam animarum adnexam habeat, sive non.

8⁰ Litteras Apostolicas admittere ac registrare non tenentur; quae nihilominus in sua vi suoque robore plane perseverant.

9⁰ Testamentum conficere valent, licet professi religiosi sint, modo ad militiam S. Ioannis Hierosolymitani non pertineant.

10⁰ Equites alicuius Ordinis, quibus de iure incompatibile connubium non sit, nubere valent virgini, quin pensiones amit-

tant; simulque ipsis fas est habitum clericalem ac tonsuram deferre.

11° Conclavistae pensiones sibi tributas in alias personas transferre possunt, laicis non exceptis; hac tamen lege ut per obitum earumdem personarum ipsae omnino cessent.

14. **Gregorius XVI, Pius IX et Leo XIII.** — In Motu proprio « *Nos volentes* » decimo Kalendas ianuarii 1832 edito Gregorius XVI omnia ac singula privilegia quae a Pio VIII concessa fuerant Conclavistis, confirmavit, ac praeterea oratorii privati adiunctum voluit, nonnullis tamen sub conditionibus ac restrictionibus Conclavistis fruendum.

Pius IX et Leo XIII vestigia Praedecessorum quoad hanc rem, potissimum vero Gregorii XVI, apprime secuti sunt, ita ut haud necessarium sit ad litteram referre eorumdem Constitutiones.

15. **Pius X.** — In Motu proprio « *Peculiaria quaedam* » decimo nono Kalendas ianuarii 1904 dato, Pius X gratia ac privilegia in favorem Conclavistarum coarctanda iure meritoque censuit.

« Peculiaria quaedam benevolentiae Nostrae argumenta dilectis filiis, ecclesiasticis viris daturi, qui Nobis et Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus in Conclavi, quo divina favente clementia ad summum Pontificatum assumpti fuimus, operam adhibuere, aut variis ibidem muneribus sunt perfuncti, traditam a Decessoribus Nostris consuetudinem sic sane tenuimus, quemadmodum per temporum conditionem licuit. Quapropter id maxime gratiarum privilegiorumque genus animo spectantes, quod esset cum eorumdem Conclavistarum praesenti utilitate coniunctum, haec auctoritate Nostra Nostroque Motu proprio decrevimus:

« I. Clericis Conclavistis S. R. E. Cardinalium in Urbe commorantium aut Italiae dioecesibus praesidentium libellae centum et quinquaginta singulos in annos, pensionis nomine, erunt;

« II. Gratiae, provisiones aut commendae quorumvis beneficiorum ecclesiasticorum, Litteraeque Apostolicae de hisce conficiendae, gratis iisdem semel tantum impertientur;

« III. Si quando infirma valetudine utantur, Sacrum per se facere, servatis servandis, in suo cuiusque Oratorio quod ipsorum Ordinarius probaverit, ius eisdem erit. Ceteris vero Clericis Conclavistis, qui Venerabiles fratres Nostros S. R. E. Cardinales

dioecesibus extra Italiam regendis praepositos sunt secuti, memoratae expertes conditionis, servatisque ut supra servandis, Oratorii privati ius erit;

« IV. Expediendae de his privilegiis ac Litterae gratis omni ex causa concedantur;

« V. Declaratae modo gratiae aliis gratiis quovis ex capite habitis vel assequendis detrimento ne sint: omnis tamen efficacitas praescriptis maneat, quae a Leone XIII fel. rec. Decessore Nostro, die XXIV Maii a. MDCCCIC sunt edita.

« Non obstantibus Constitutionibus, Ordinationibus Nostris ac Cancellariae Apostolicae Regulis; aliisque licet speciali et individua mentione dignis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis specialis et individua habenda mentio eorumque tenores inserendi forent, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse Motu proprio derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis.

« Et cum absolutione a censuris ad effectum etc. Et cum declaratione quod *reliqua privilegia et indulta contenta in similibus Motus proprii schedulis a nonnullis Romanis Pontificibus praedecessoribus Nostris favore Conclavistarum alias editis* ob hodiernas rerum ac temporum circumstantias *pro nunc in suspenso remaneant...* ».

Vi Motus proprii Pii X feliciter regnantis quam maxime imminuta fuerunt privilegia ac indulta Conclavistarum, ut satis luculenterque apparet. Nullum dubium quin congrua ac peropportuna fuerit haec imminutio ob temporum rerumque mutata adiuncta. In posterum, si nostris annuendum sit votis, optemus ut privilegia Conclavistis tribui solita, imminuantur potiusquam augeantur, imo pensio quaevis plane eliminetur. Id enim postulant hodiernae circumstantiae: id ipsamet Sedis Apostolicae dura infaustaque conditio, qua heic Romae potissimum premitur, manifesto exposcit.

ARTICULUS VIII.

De Conclavistis ac de aliis in Conclavi partem habentibus.

Bibliographia: Bonacina, op. cit. disp. III, quaest. II ss.; Camarda, op. cit., p. 28 s.; Lavorius, *Variae lucubrationes* etc., p. 45 ss.; Panvinius, l. c.; Passerini, *De electione Summi Pontificis*, p. 45 s.; Lottini, *Dissertatio de sacris Cardinalium comitiis sive de conclavi*, p. 13 s.; Schönmann, op. cit., p. 6 ss.

BERTHELET, *La elezione del Papa*, p. 53 ss.; CANCELLIERI, op. cit., p. 25 ss.; CECCARONI, op. cit., p. 146; MORONI, op. cit., v. *Conclavisti*.

CARTWRIGHT, *De la constitution des conclaves pontificaux*, p. 86 ss.; LECTOR, *Le conclave*, p. 365 ss.

Summarium: 1. Ius antiquum. — 2. Ius novum. — 3. In quanam aetate conclavistae aliique servientes constituti sint oporteat. — 4. Num laici inservientes teneantur praestare iuramentum. — 5. Num viri religiosi munere fungi valeant conclavistarum vel inservientium. — 6. Quinam Praelati munus conclavistarum obire prohibeantur. — 7. Num conclavistis liceat e conclavi exire. — 8. Quomodo inservientes sint eligendi.

1. **Ius antiquum.** — Gregorius X in Constit. « *Ubi periculum* » decernit ut singulis Cardinalibus singuli servi sint, clerici vel laici, nisi evidens intercedat necessitas; quo in casu duo permittuntur.

Clemens VI in Constit. « *Licet* » indulget ut Cardinales duos servos clericos vel laicos in Conclavi habeant. « Quia tamen, ipse Pontifex ait, sicuti frequenti multorum assertione et in Cardinalatu constitutorum percepimus, nonnulli ex Cardinalibus in observatione Constitutionis ipsius (Gregorii X) gravati alias nimium extiterunt, multi quoque ex ipsis duos in dicto Conclavi habuerint servientes, non absque scrupolo conscientiae, propter ambiguitatem verborum dictorum, videlicet, quibus ex patenti necessitate duo permittuntur haberi, in dicta Constitutione, ut praemittitur contentorum; Nos providere super his cupientes, ex his, et certis aliis causis rationabilibus, quae nostrum ad id animum induxerunt, rigorem Constitutionis ipsius, et etiam ad Fratrum nostrorum supplicationem, in his providimus temperandum, auctoritate Apostolica statuentes, quod Cardinales... singuli duos servientes tantum clericos vel laicos possint habere ».

Pius IV Constit. « *In eligendis* » praescriptionem confirmat Clementis VI de duobus tantum servis habendis, at insimul permittit ut infirmis Cardinalibus et graviter affectis, a maiori parte Collegii per suffragia secreta tertius ad summum indulgeri possit.

Idem Pius IV in citata Constitutione requirit ut Conclavistae sint « familiares domestici, et continui commensales » Cardinalium ab anno et tunc etiam tales reapse existant; insuper prohibet quo-

minus hoc munere fungantur mercatores, ministri principum, domini temporales et iurisdictionem habentes, fratres aut nepotes Cardinalium, licet eorum vivant expensis. Cardinalibus vero deputatis ius tribuit de qualitatibus Conclavistarum ante Conclavis ingressum diligenter inquirendi.

Tandem Pius IV statuit Conclavistas e Conclavi egredientes ex infirmitate manifesta et notabili medicorum iuramento probata ac de consensu deputatorum, nullo modo reverti posse, sed alios statim in eorum locum substituendos esse.

Id quoque valet si aliquem Cardinalem in Conclavi vita fungi contingat, prout expresse mandat Clemens XII in Chirogr. « *Avendo noi* »; Conclavistae scilicet statim e Conclavi exire tenentur, quin assumi ullo modo valeant ad alterius Cardinalis famulatum.

Haec de Conclavistis stricto sensu. Alios quod attinet inservientes, Pius IV (cit. Constit. § 18) statuit ut Conclave ingrediantur etiam sacrista cum uno clerico coadiutore, duo magistri caeremoniarum, unus religiosus pro confessionibus audiendis, unus Collegii secretarius, duo medici, unus chirurgus, unus aromatarius cum uno aut duobus inservientibus, unus faberlignarius, unus cementarius, duo barbitonsores cum uno aut duobus servientibus, octo aut decem servientes publicae utilitati seu commoditati omnium. Isti servientes a Collegio Cardinalium per schedulas secretas sunt eligendi, non tamen ex familia alicuius Cardinalis.

Clemens vero XII in Constit. « *Apostolatus officium* », § 14, immutationem induxit quoad numerum inservientium. Re quidem vera indulsit ut sacrista, praeter clericum coadiutorem in officio sacristae, alium clericum habeat qui missis celebrandis adsistat; ut magistri caeremoniarum in Conclave unum famulum admittant non quidem pro eorum singulis, sed pro omnibus; ut secretarius S. Collegii duos adiutores ac unum famulum secum ducat; ut triginta quinque (dictis tamen duobus famulis pro magistris caeremoniarum ac secretario collegii in eo numero comprehensis) et non plures servientes a Collegio Cardinalium eligantur.

Praescriptio statuta a Pio IV (1) quoad Conclavistas, nimirum quod semel egressi, infirmitatis causa legitime per medicorum sententiam probatae, Conclave denuo ingredi nequeant, inservientibus

(1) Constit. « *In eligendis* », § 24.

quibuscumque aliis applicatur, ut ex verbis ipsius Pontificis manifesto patet.

2. **Ius novum.** — Constit. Pii X (1) de hac re sic decernit:

« Quilibet Cardinalis in Conclavi duobus servientibus clericis, vel laicis, vel uno clerico et uno laico, contentus sit; infirmis autem et graviter affectis, a maiori parte S. Collegii, vel a Cardinali Camerario una simul cum Cardinalibus Capitibus Ordinum, de consensu maioris partis S. Collegii, tertius indulgeri potest.

« Conclavistae praelati esse non possunt, neque consanguinei vel affines in primo et secundo gradu Cardinalium, etiamsi expensis eorum viverent, aut eiusdem Ordinis seu Congregationis religiosae. Et de qualitatibus Conclavistarum, Cardinales deputati ante Conclavis ingressum diligenter inquisitionem habere, et eos approbare, ac post ingressum denuo diligenter inquirere debent.

« Conclavistae iusiurandum, quod ab ipsis iuxta statutam formam edi debet, serio ac religiose, pro rei gravitate, praestent. Quam ob rem S. R. E. Camerarii erit cavere, ut ab ipsis praedictum iusiurandum saltem una vel altera die ante ingressum in Conclave emittatur, postquam unusquisque eorum eiusdem iurisiurandi momentum ac formulae sententiam probe intellexerit.

« Conclavistae vero et quicumque alii servientes, e Conclavi, ex causa infirmitatis manifestae et notabilis a medicis iuramento probatae, et de consensu deputatorum, quorum etiam conscientiam oneramus, et non aliter exituri, nullo modo reverti possunt, sed eorum loco, alii eodem prorsus tempore, quo infirmi exibunt, ingrediantur.

« Item si aliquem Cardinalem in Conclavi vita fungi accidat, ipsius Conclavistae statim e Conclavi exire debent, neque ad alterius Cardinalis famulatum in eodem Conclavi assumi poterunt.

« Sacri Palatii Apostolici Sacrista quoque cum uno vel pluribus (ad S. Collegii arbitrium) clericis coadiutoribus in officio sacristae, itemque magistri caeremoniarum non plures quam sex Conclave ingrediantur, muneribus quae ad ipsos pertinent vacaturi. Adsit praeterea unus S. Collegii Secretarius tantum, unus religiosus pro confessionibus excipiendis, duo medici, unus chi-

---

(1) Tit. II, cap. II.

rurgus, unus aromatarius cum uno aut duobus inservientibus, qui omnes a maiori parte Cardinalium vel a Cardinali Camerario una simul cum Cardinalibus Capitibus Ordinum, de consensu maioris partis Cardinalium, erunt eligendi; aliique Conclavis utilitati atque commoditati servientes qui tamen plures esse non debent quam quod necessitas postulaverit ».

1° Iure proinde, quo nunc regimur, haec de conclavistis ac inservientibus prae oculis habeantur: Conclavistae duo, clerici vel laici, aut unus clericus et unus laicus, non vero plures, singulos Cardinales Conclave ingredientes comitari valent famulatus gratia.

2° Cardinalibus infirmis aut graviter affectis tertius Conclavista indulgetur; at nonnisi a maiori parte Sacri Collegii, vel a Cardinali Camerario una cum Cardinalibus Ordinum Capitibus id permitti potest, et quidem de consensu maioris partis Sacri Collegii.

3° Prohibentur conclavistarum munere fungi *praelati*, et *consanguinei* vel *affines* in primo ac secundo gradu Cardinalium.

4° Conclavistae a Cardinalibus deputatis approbandi sunt; ipsis enim incumbit diligenter inquirere tum ante quum post Conclavis ingressum de qualitatibus Conclavistarum, ita ut, si iisdem careant, nulla interiecta mora reiiciendi sint.

5° Singuli Conclavistae iuramentum praestare tenentur iuxta hanc formulam: « Ego... constitutus coram te... tactis per me SS. Dei Evangeliis coram me positis, iuro et promitto me inviolabile servaturum esse secretum in omnibus et singulis, quae de novi Pontificis electione deque iis, quae in Conclavi seu in loco electionis aguntur, quovis modo cognoverim, adeo ut nec directe, nec indirecte, neque nutu, neque verbo, neque scriptis, vel alias quomodolibet. ipsum mihi violare liceat, et hoc nedum sub poena excommunicationis latae sententiae, futuro Pontifici speciali modo reservatae, privative etiam quoad S. Poenitentiariam, sed etiam sub poena privationis cuiuscumque beneficii, pensionis. officii vel muneris ipso facto incurrendae in casu transgressionis. Quod secretum accuratissime ac religiose servabo etiam post peractam novi Pontificis electionem nisi ab eodem Pontifice peculiaris facultas aut expressa dispensatio mihi concessa fuerit ».

6° Iuramentum in manibus Cardinalis Camerarii vel alterius personae ab eodem deputatae una vel altera die ante ingressum Conclavis praestandum est.

7° Conclavistae e Conclavi exire absolute prohibentur, excepto casu de infirmitate, modo tamen tres copulative concurrant circumstantiae, scilicet *a*) quod infirmitas sit manifesta et notabilis; *b*) quod medicorum iuramento probetur; *c*) quod consensus Cardinalium deputatorum accedat.

8° Si quis e Cardinalibus diem supremum in Conclavi obeat, ipsius Conclavistae statim exire debent e Conclavi, nec ab altero Cardinali in eodem Conclavi assumi possunt.

9° Praeter Conclavistas aliae quoque personae Conclave ingrediuntur, nimirum *a*) Sacrista Sacri Palatii Apostolici cum uno vel pluribus clericis coadiutoribus; *b*) magistri caeremoniarum non plures quam sex; *c*) S. Collegii Secretarius; *d*) religiosus vir pro confessionibus audiendis; *e*) duo medici; *f*) chirurgus; *g*) aromatarius cum uno aut duobus servientibus; *h*) aliique servientes utilitati atque commoditati Conclavis.

10° Omnes praedictae personae a maiori parte Cardinalium, vel a Cardinali Camerario una cum Cardinalibus Capitibus Ordinum eligendae sunt, accedente consensu maioris partis Cardinalium.

11° Quod superius diximus de Conclavistis e Conclavi exeuntibus ob infirmitatem, dicendum quoque de aliis servientibus.

12° Ex iis quae breviter exposita fuere, manifesto patet triplicem immutationem inductam esse a Pio X:

a) Ius vetus sane a munere Conclavistarum exclusos decernebat ministros principum, mercatores, dominos temporales aliosque iurisdictionem habentes, fratres et nepotes Cardinalium; ius novum contra excludit dumtaxat praelatos, et consanguineos vel affines in primo ac secundo gradu Cardinalium.

b) Iure antiquo vigente, Conclavistae officio praestandi iuramentum minime ligabantur; ius novum e converso eiusmodi obligatione conclavistas devincit.

c) Lex vetus octo aut decem dumtaxat servientes utilitati seu commoditati Conclavis permittebat iuxta Constit. « *In eligendis* » Pii IV, vel triginta quinque iuxta Constit. « *Apostolatus officium* » Clementis XII; Pius X contra decernit plures esse non debere quam quod necessitas postulet, quin tamen numerum eorumdem determinet.

3. **In quanam aetate conclavistae aliique servientes constituti sint oporteat.** — Lex hac de re silet omnino. Quapropter

manifesto patet quamcumque aetatem congruam per se sufficere. At simul indubie constat id requiri, nimirum ut conclavistae aliique servientes annos saltem pubertatis attigerint, cum obligatio eis incumbat iuramentum praestandi. Neminem sane latet ius tum canonicum quum civile iurisiurandi religione eos tantum ligare qui sufficientem discretionem seu pubertatem assecuti sint. Impuberes enim iuridicam ac religiosam vim iuramenti probe intelligere nequeunt.

4. **Num laici inservientes iuramentum praestare teneantur.** — Nonnulli auctores contendunt laicos iuramentum praestare haud teneri. At perperam omnino. Cum lex minime distinguat inter clericos et laicos, nullum dubium quin laicis ipsis obligatio incumbat iuramenti praestandi.

Ecclesiastici viri illud praestare debent iuxta formulam latino idiomate concinnatam; laici iuxta formulam italica lingua expressam.

5. **Num viri religiosi munere fungi valeant conclavistarum vel inservientium.** — Lex religiosos viros nullo pacto excludit; ideoque dicendum est, nil vetare quominus et ipsi, servatis tamen servandis, Conclavistarum aut servientium munere fungantur. Nequaquam nos latet quosdam auctores adversam profiteri sententiam, quam, pace eorumdem dixerimus, nedum putamus dubiam, sed plane falsam.

6. **Quinam Praelati munus conclavistarum obire prohibeantur.** — Praelati in sex classes dividuntur: 1° Protonotarii Apostolici ex numero participantium, uti vocant; 2° Protonotarii Apostolici supranumerarii; 3° Protonotarii Apostolici ad instar participantium; 4° Praelati Auditores S. Romanae Rotae; 5° Praelati clerici Camerae Apostolicae; 6° Praelati cubiculares, vulgo *domestici.*

Omnes isti Praelati comprehundur sub exposita legis praescriptione, seu omnes singulique prohibentur Conclavistarum officio fungi. Lex enim nullam distinctionem peragit. Id incunctanter adfirmamus, contra quosdam auctores.

7. **Num conclavistis liceat e conclavi exire.** — Ob infirmitatem exire profecto valent; ceteris in casibus *per se* haudquaquam licet, cum lex dissertis verbis de infirmitate dumtaxat loquatur. At id minime prohibet quominus benignae legis interpretationi

locus sit, quavis intercedente gravissima causa, v. gr. si mors patris aut matris unius alteriusve e Conclavistis occurrat, aut si publica Ecclesiae vel rei civilis utilitas egressum postulet. In iis enim aliisque id genus casibus ius ipsum naturale ac divinum benignam suapte natura exigit legis interpretationem.

Si contigat aliquem conclavistam aut inservientem vita in conclavi fungi, alius defuncti loco vocari potest, cum lex id nullo pacto vetet. Qua in re tamen animadvertendum est, ne plures admittantur quam quod Constitutiones pontificiae permittant aut necessitas ipsa postulet.

8. **Quomodo inservientes sint eligendi.** — Secretarius S. Collegii, religiosus pro confessionibus excipiendis, medici et chirurgi aliique servientes sunt eligendi per secreta suffragia a maiori Cardinalium parte, vel a Cardinali Camerario una cum Cardinalibus Ordinum Capitibus, accedente consensu maioris partis Cardinalium. Constitutio Pii X (1) decernit: « Qui omnes a maiori parte Cardinalium vel a Cardinali Camerario una simul cum Cardinalibus Capitibus Ordinum, de consensu maioris partis Cardinalium, erunt eligendi ».

Porro nil dicit utrum per secreta schedularum suffragia eligi debeant, aut alio modo.

Pius IV Constit. *In eligendis*, § 18, praecipit ut praedictae personae secretis suffragiis deputentur. Quae praescriptio, implicite saltem, retenta fuit a Pio X, ut eruitur ex verbis Constitutionis ipsius (2).

ARTICULUS IX.

De gubernatore, de marescallo ac de praelatis, quibus Conclavis custodia concreditur.

Bibliographia: Camarda, op. cit. p. 45 ss.; Lavorius, l. c.; Lottini, op. cit., p. 18 s.; Sarnellius, *De conclavis gubernatore*, Romae, 1628.

Berthelet, op. cit., pag. 93; Ceccaroni, op. cit., p. 51; Moroni, op. cit., p. 411.

Lector, op. cit. p. 411.

---

(1) Tit. II, cap. II, n. 43.
(2) Cfr. tit. I, cap. II, n. 8-11.

Summarium: 1. Gubernator. — 2. Marescallus. — 3. Praelati, quibus Conclavis custodia concreditur.

1. **Gubernator Conclavis.** — Olim custodia Conclavis committebatur magistratibus urbis seu civitatis, in qua comitia pro Pontifice eligendo habebantur. Id clare eruitur ex Constit. « *In eligendis* » Pii IV, §§. 6, 14. Dein mos invaluit ut, vacatione Apostolicae Sedis adveniente, peculiaris gubernator designaretur, cui ius officiumque incumberet libertati Cardinalium electorum seu incolumitati Conclavis in re tanti momenti, utpote electionis negotio, contra quaevis obstacula ex parte populi vel principum consulendi.

Clemens vero XII Constit. « *Apostolatus officium* » IV nonas oct. 1732. § 21, officium gubernatoris suppressit; gubernium autem Conclavis Praefecto Palatii Apostolici pro tempore existenti commisit. « Insuper iustis et rationabilibus causis – ait Pontifex – Nobis notis animumque nostrum moventibus adducti, *officium gubernatoris Conclavis*.... cum eiusdem officii titulo, denominatione, essentia ac iuribus, privilegiis, facultatibus, iurisdictione, stipendiis honoribusque et oneribus universis ei annexis, ipsarum tenore praesentium, *perpetuo supprimimus, tollimus, extinguimus et abolemus, ac suppressum, sublatum, extinctum et abolitum esse et perpetuo fore, declaramus*.... *Gubernium* autem *Conclavis*, una cum cohorte militum, sumptibus Camerae Apostolicae alenda.... ceterisque iuribus, privilegiis, facultatibus, iurisdictione.... honoribus et oneribus, qui et quae dicto gubernatori Conclavis quomodocumque competebant ac incumbebant respective, aut competere et incumbere poterant, *Praefecto palatii Apostolici* pro tempore existenti sede vacante similiter *in perpetuum demandamus et committimus*.... ».

Custodia Conclavis Praelato Pontificiae Domui praeposito hodiedum competit, ut implicite saltem eruitur ex Const. Pii X, tit. II, cap. IV, n. 45. Animadvertendum sane est olim unam eamdemque personam tum Praefecti Apostolici Palatii tum Praelati Pontificiae Domui praepositi munus copulative gessisse. At dein (1) distinctio seu divisio munerum facta fuit, ita ut alius fuerit Praefectus Palatii Apostolici et alius Antistes Domui Pontificiae prae-

(1) Cfr. *La Gerarchia Cattolica*, anno 1910, pag. 349, 419.

positus. Quod tamen nostra hac aetate haud haberi videtur (1). Optandum est ut dictio *Annuarii* clarior sit, ne ulla dubitandi supersit ratio.

Officium quod attinet, generatim dicimus gubernatori munus incumbere exterius Conclave custodiendi, ne quidquam contra clausurae legem ullo modo agatur.

In specie autem ipsius est, comitante militum cohorte ac Praelatis adstantibus custodiae praepositis, *rotas*, uti vocant, Conclavis mane ac sero adaperire nec non singulos Praelatos designare qui easdem *rotas* statis infra diem horis custodire teneantur. Praeterea vi Constit. « *Apostolatus officium* » Clementis XII ad eumdem Antistitem Pontificiae Domui praepositum cura spectat asservandi ac custodiendi pontificios annulos, illamque supellectilem argenteam, quae pro futuro Pontifice concinnari et aptari debet.

Gubernator ipsamet die, qua ingressus fit in Conclave, iuramentum iuxta statutam formulam praestare tenetur.

2. **Marescallus Conclavis.** — Marescallus Conclavis est semper vir laicus; quin imo de iure principi Chigi eiusmodi munus competit (2).

Marescallo cura incumbit ianuas exteriores Conclavis occludendi et claves summa diligentia custodiendi usque ad earumdem aperitionem post expleta comitia.

Ius ad ipsum spectat numismata argentea, mixta et aurea imprimendi hac inscriptione « *Princeps Chisius S. R. E. Mareschallus perpetuus* ».

Iuramentum praestare ipse tenetur. Formula vero statuta haec est: « Ego N. princeps Chisius, Mareschallus perpetuus Conclavis Capitaneus ad custodiam Palatii Apostolici deputatus, promitto et iuro quod fidelis ero Sacro Collegio Eminentissimorum et Reverendissimorum DD. Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, et diligenter ac fideliter custodiam dictum Palatium et Conclave pro electione futuri Pontificis ordinatum, neque permittam vel consentiam Eminentissimos et Reverendissimos DD. Cardinales aut aliquem eorum vel cum eis existentes

(1) Cfr. *Annuario Pontificio*, anno 1913, pag. 411. 515.
(2) Cfr. *Osservatore Romano*, 1 aug. 1903, n. 171.

ullo modo gravari ultra tenorem Constitutionum sanctorum Patrum de electione Romanorum Pontificum editarum. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia ».

Qua ex formula manifesto patet, ad Marescallum, utpote militiae pontificiae ducem, custodiam spectare, Sede vacante, Palatii Apostolici.

3. **Praelati quibus Conclavis custodia concreditur.** — De his praelatis, quibus custodia demandatur Conclavis, mentio occurrit in Constit. Pii IV « *In eligendis* », § 23 : « *Praelati quoque ad custodiam Conclavis deputati* sub poena periurii, et suspensionis a divinis, maxima et exquisita diligentia utantur in inspiciendis et perscrutandis epulis et aliis rebus ac personis Conclave intrantibus, et de eo exeuntibus, ne sub earum rerum velamine litterae, aut notae, vel signa aliqua transmittantur ».

De ipsis diserte loquitur etiam Constit. « *Vacante Sede Apostolica* » Pii X (1), decernens. eos quoque teneri iuramentum iuxta statutam formulam emittere prima die, qua ingressus fit in Conclave.

Hi vero Praelati, quibus de iure competit Conclavis custodia, sunt: 1. Patriarchae, archiepiscopi et episcopi Solio Pontificio adsistentes; 2. Auditores Rotae; 3. Clerici Camerae Apostolicae; 4. Votantes Signaturae Papalis.

Cum autem Pius X Constit. « *Sapienti consilio* » (2) antiquam ordinationem suppresserit Tribunalium *Signaturae papalis gratiae et iustitiae* novumque supremum Signaturae Apostolicae tribunal instituendum censuerit, votantes Signaturae Papalis inter Praelatos, quibus custodia Conclavis demandatur, recenseri hodiedum non debent. Quod indubie, iure inspecto, putamus, etsi nonnulli auctores aliter opinari videantur.

ARTICULUS X.

De ingressu in Conclave.

Bibliographia: Bonacina, *De legitima Summi Pontificis electione*, Venetiis, 1638; Camarda, *Constitutionum Apostolicarum, una cum caeremoniali gregoriano et pertinentibus ad electionem Papae, synopsis accurata et plana, nec non elucidatio omnium fere difficultatum, quae evenire possunt circa ele-*

(1) Tit. II, cap. III, n. 45.

(2) Cfr. *De Curia Romana*, vol. I, p. 365.

ctionem R. Pontificis, Reate 1737; LAVORIUS, l. c.; LOTTINI, *Dissertatio de sacris Cardinalium comitiis sive de conclavi*, Romae, 1784; PASSERINI, op. cit., p. 25 ss.; MARCELLI, op. cit., 12 ss.; CATALANUS, l. c.

BERTHELET, op. cit. p. 93 ss.; CECCARONI, op. cit. p. 141 ss.; DARDANO, *Diario dei Conclavi*, Firenze, 1872; MORONI, l. c.; BIGNON, op. cit., p. 15 ss; DERS, op. cit., p. 23 ss.; L. LECTOR, op. cit., p. 335 ss.

CARTWRIGHT, *On papal conclaves*, 1868; PENNINGTON, *The papal conclave*, 1897.

Summarium: 1. Missa de Spiritu Santo. — 2. Oratio de Pontifice eligendo. — 3. Ingressus in Conclave. — 4. Constitutiones pontificiae legendae ac iuramentum Cardinalibus praestandum. — 5. Sermo Cardinalis Decani. — 6. Distributio seu assignatio cellarum. — 7. Iuramentum. — 8. Occlusio Conclavis — 9. Perquisitio Camerario ac tribus Cardinalibus Ordinum Capitibus facienda. — 10. Recognitio Conclavistarum. — 11. Conclavis structura. — 12. Cellae Cardinalium. — 13. Rotae Conclavis. — 14. Cappella. — 15. Victus pro Cardinalibus. — 16. Habitus Cardinalium. — 17. Cardinales pro custodia Conclavis deputati. — 18. Colloquia cum Cardinalibus aut aliis in Conclavi partem habentibus. — 19. Epistolae, ephemerides aliaque cuiusvis generis scripta. — 20. Secretarius S. Collegii Cardinalium.

1. **Missa de Spiritu Sancto.** — Exsequiis pro anima defuncti Pontificis per novem continuos dies persolutis, Cardinales in Basilicam S. Petri convenire debent, aut alio pro temporis ac loci opportunitate. Decano Sacri Collegii Missa de Spiritu Sancto solemniter est celebranda, universo Eminentissimorum adstante Patrum coetu aliisque Praelatis Urbis adsistentibus, pro divino lumine in gravissimo electionis negotio impetrando.

Si Cardinalibus Decanus aliquo detineatur impedimento, alius ex antiquioribus Cardinalibus Sacrum fecere tenetur.

2. **Oratio de Pontifice eligendo.** — Statim post finem Missae de Spiritu Sancto, aliquis Praelatus aut alius ecclesiasticus vir doctrina ac religione praestantissimus coram Sacro Cardinalium Collegio sermonem latino idiomate concinnatum recitare debet *de Pontifice eligendo*. Monentur hac oratione Eminentissimi ac Reverendissimi Cardinales ut, quibusvis privatis affectibus sepositis, solum Deum prae oculis habentes, Sanctae Romanae ac universali Ecclesiae de idoneo Pastore providere omni qua possunt brevitate ac diligentia curent.

3. **Ingressus in Conclave.** — Cardinales Conclave ingredi possunt vel mane statim post Missam de Spiritu Sancto ac ora-

tionem *de Pontifice eligendo*, vel vespere eiusdem tamen diei. Id ipsorum arbitrio plane remittitur. Hoc ordine vero ingressus fit:

a) Clericus caeremoniarius procedit crucem papalem deferens;

b) familiares Cardinalium Crucem praecedunt, et immediate sequentur Cantores qui elata voce Hymnum *Veni Creator Spiritus* canunt;

c) Cardinales Crucem sequuntur, Episcopi primum, dein Presbyteri, postremo Diaconi cum suis cappis violaceis;

d) post Cardinales sequuntur Praelati.

Cum ad Cappellam dicto ordine procedentes pervenerint, Decanus Cardinalium apud altare orationem *Deus qui corda fidelium* etc. dicit.

4. Constitutiones Pontificiae legendae ac iuramentum Cardinalibus praestandum. — Finita oratione *Deus qui corda fidelium*, Cardinalibus in eadem Cappella adstantibus, statim leguntur Constitutiones Pontificiae quae hodiernum ius constituunt quoad Romani Pontificis electionem, nimirum Constit. Pii X « *Vacante Sede Apostolica* » 25 dec. 1904, Constit. eiusdem Pii X « *Commissum Nobis* » de civili veto 20 ian. 1904 et Constit. Leonis XIII « *Praedecessores Nostri* », 24 maii 1882. In his Constitutionibus legendis ea praetermitti debent, quae nonnisi res iam peractas respiciunt.

Quaeri opportune potest utrum legenda sit etiam Instructio adiecta Constitutioni Leonis XIII. Pius X (1) tres dumtaxat memoratas Constitutiones legendas esse decernit; ideoque, cum nulla de citata Instructione mentio occurrat, necesse haudquaquam est ut eadem legatur. Sane quae praecedunt Conclave ipsa respicit, saltem excepto art. 13, non autem quae illud comitantur aut sequuntur.

Semel ac iterum Cardinales iuramentum praestare tenentur; primum quidem in primis generalibus Congregationibus; secundo statim post ingressum in Conclave.

Formula vero iuramenti in utroque casu haec est:

« Nos Episcopi, Presbyteri et Diaconi S. R. E. Cardinales promittimus, vovemus et iuramus, inviolabiliter et ad unguem

(1) Constit. *Vacante Sede Apostolica*, tit. II, cap. III, n. 45.

omnes et singulos Nos esse observaturos contenta omnia in Constitutione Summi Pontificis Pii Decimi *De Sede Apostolica vacante* et *De Romani Pontificis electione*, quae incipit " *Vacante Sede Apostolica*, " data die vigesima quinta Decembris anno millesimo nongentesimo quarto; necnon in Constitutionibus " *Commissum Nobis* „ de civili *Veto* seu *Exclusiva*, uti vocant, in electione Summi Pontificis, ab eodem Pio X data die vigesima Ianuarii eiusdem anni millesimi nongentesimi quarti, ac Leonis XIII " *Praedecessores Nostris* „ cum adiecta Instructione, data die vigesima quarta Maii anno millesimo octingentesimo octogesimo secundo. Item promittimus, vovemus et iuramus, quod quilibet ex Nobis in Romanum Pontificem, Deo sic disponente, erit assumptus, iura etiam temporalia, praesertim de civili Romani Pontificis principatu, libertatemque Sanctae Sedis integre ac strenue adserere et vindicare numquam desistet, atque eamdem hanc promissionem et iusiurandum, post eius ad Summi Pontificatus fastigium assumptionem, rursus praestabit.

« Praecipue autem promittimus et iuramus, sub poenis in praedicta Pii Decimi Constitutione " *Vacante Sede Apostolica* „ statutis, Nos accuratissime et quoad omnes, etiam familiares seu Conclavistas nostros secretum esse servaturos in iis omnibus, quae ad electionem Romani Pontificis quomodolibet pertinent, et in iis quae in Conclavi seu in loco electionis aguntur, neque secretum praefatum quoquomodo violaturos, sive ipso Conclavi durante, sive etiam post novi Pontificis electionem, nisi peculiaris facultas aut expressa dispensatio ab eodem futuro Pontifice Nobis tributa fuerit; itemque nullo modo a quavis civili potestate, quovis praetextu, munus proponendi *Veto* sive *Exclusivam*, etiam sub forma simplicis desiderii, esse recepturos, ipsumve hoc *Veto*, qualibet ratione Nobis cognitum, patefacturos, sive universo Cardinalium Collegio simul congregato, sive singulis purpuratis Patribus, sive scripto, sive ore, sive directo ac proxime, sive oblique ac per alios, sive ante Conclave sive ipso perdurante; nullique interventui, intercessioni, aliive cuilibet modo, quo laicae potestates, cuiuslibet gradus et ordinis voluerint sese in Pontificis electione immiscere, auxilium vel favorem praestituros ».

Hanc formulam Cardinalis Decanus coram omnibus Cardinalibus iubeat a Praefecto Caeremoniarum elata voce legi. Dein

singuli Cardinales dicent: « *Et Ego N. Cardinalis N. spondeo, voveo ac iuro* ». Et imponentes utramque manum super Evangelium, adiungent: » *Sic me Deus adiuvet, et haec Sancta Dei Evangelia* ».

5. **Sermo Cardinalis Decani.** — De sermone per Cardinalem Decanum habendo, mentio occurrit in Caeremoniali Gregorii XV ac expresse etiam in Constit. Pii X (1).

Decanus, utpote qui Sacro praeest Cardinalium Collegio, Eminentissimos Patres opportunis verbis ad electionis negotium rite recteque peragendum hortari debet, eos enixe commonens ut nulla propensione animi vel aversione commoti, nullius inclinati gratia aut obsequio, sed fixis in solam Dei gloriam et Ecclesiae utilitatem oculis, eum citius eligere contendant, quem prae ceteris dignum et sedulum universi gregis Christi Pastorem futurum esse existimaverint.

Quo vero idiomate sermo sit habendus determinatum in iure minime est; quapropter stricte loquendo haberi potest tum latino idiomate, tum etiam italico aut gallico. Convenientius tamen est multiplici de causa ut latino idiomate oratio concinnetur.

6. **Distributio seu assignatio cellarum.** — Post sermonem Decani, singuli Cardinales ad propriam cellam divertere debent, quin e Conclavi exire ullo pacto valeant. Cellae sorte distribuuntur, habito tamen respectu ad aetatem ac infirmam Cardinalium valetudinem, prout factum fuisse nobis constat in postremo Conclavi an. 1903.

Pius IV Constit. « *In eligendis* », § 13, iussit primus cellas sorte inter Cardinales distribui. « Mandamus quoque - ait Pontifex - quod cellae Conclavis, Cardinalibus sorte distribuantur, nec liceat eas etiam infirmitatis praetextu mutare, aut desuper aedificare, vel illas dilatare: sed quilibet, etiam Decanus, sit sua sorte contentus» .

Quae praxis sorte cellas distribuendi apostolica auctoritate inducta ac longo saeculorum usu firmata, retenta quoque fuit a Pio X.

Siquidem in cit. Constitutione (2), sic decernit: « Cellae Conclavis Cardinalibus sorte distribuantur ».

---

(1) Tit. II, cap. III, n. 45.
(2) Tit. I, cap. II, n. 11 m.

Distributio autem cellarum fit antequam Conclave Cardinales ingrediantur, seu in primis Congregationibus generalibus, quas Sacrum Collegium habet pro negotiis expediendis maioris momenti. Distributione vero sorte peracta, Cardinalibus haudquaquam licet cellas ad invicem mutare aut easdem dilatare.

Eiusmodi cellae ordinario tribus constant cubiculis, quorum unum alterumve ipsimet Cardinali inservit, alia vel aliud Conclavistis. Cardinali porro Conclave ingredienti cum tribus Conclavistis, de consensu maioris partis S. Collegii, cella assignatur, quae quatuor constet cubiculis, ut liquido patet.

7. **Iuramentum Conclavistis aliisque Conclavis Officialibus praestandum.** — Omnes qui uno aliove modo partes in Conclavi agunt, iuramentum praestare tenentur. Et in primis quidem: *a*) Praefectus Caeremoniarum et S. Collegii Secretarius iurare debent coram Cardinali Camerario, *ante* – sedulo animadvertatur – *ingressum in Conclave*, iuxta formulam praescriptam; *b*) dein Conclavistae aliique Conclavis Officiales et singuli inservientes coram Praefecto Caeremoniarum aut Sacri Collegii Secretario ad rem deputatis a Cardinali Camerario, una vel altera die ante ingressum in Conclave; *c*) Praelatus Pontificiae Domui praepositus et Marescallus coram Cardinali Decano, praesentibus omnibus Cardinalibus eadem die ante qua fit ingressus in Conclave; *d*) Praelati, quibus Conclavis custodia committitur, coram Praefecto Caeremoniarum vel S. Collegii Secretario rite deputatis, item ipsamet die qua ingressus in Conclave fit. Quae regula tamen, diem respiciens, mutari profecto potest quavis iusta de causa.

8. **Occlusio Conclavis.** — Postquam Cardinales in cellas suas ingressi fuerint, caeremoniarii latebras et angulos Conclavis perquirunt, elata voce « *extra omnes* » dicentes. Praefectus ipse Caeremoniarum aut alius ex caeremoniariis, ter hora convenienti campanulam pulsat, iussu Cardinalis Decani, ut, si qui sint, extranei, nulla mora interiecta, e Conclavi illico exeant. Ter diximus campanulam esse pulsandam, id est triplici vice singulis, iuxta morem, dimidiis horis.

Dein Conclave tum intus tum extra clauditur; intus quidem a S. R. E. Camerario, extra a Marescallo. Claves vero ianuae interioris ipsemet Camerarius una cum Magistro Caeremoniarum

custodit; claves ianuae exterioris Marescallo ac Praelatis custodibus assignantur.

De clausura porro Conclavis actum authenticum per Caeremoniarum Praefectum scripto conficiendum est.

9. **Perquisitio S. R. E. Camerario ac tribus Cardinalibus Capitibus facienda.** — Ter pulsata campanula ac intus et extra clauso Conclavi, tres Cardinales Capita Ordinum et Camerarius, una cum Caeremoniarum Magistro, accensis fanalibus, singulas latebras singulosque angulos diligenter perquirere tenentur, ne quis extraneus bona malave fide in Conclavi remanserit. Id expresse iubet Caeremoniale Gregorii XV ac iisdem verbis praecipit Constit. Pii X (1).

10. **Recognitio Conclavistarum.** — Officiales seu ministri qui Conclave ingredi valent ita sunt a iure taxative determinati ut nullus, supra numerum praescriptum, quovis praetextu admitti valeat, ideoque ipsa rerum necessitas ac praecepti gravitas iubet exacte recognitionem fieri Conclavistarum, ne quis forte inter illos sit ex iis, qui in Conclavi esse prohibentur. Quae porro recognitio ut certius fiat, Conclavistae Cappellam ingredi tenentur, ibique singillatim sunt recensendi.

Haec omnia statuta inveniuntur in Caeremoniali Gregorii XV et in Constit. Pii X (2).

11. **Conclavis structura.** — Descriptio antrii Conclavis varia est pro varietate loci, ubi electio Pontificis fit, nec non pro diversitate temporum et circumstantiarum. De postremo Conclavi haec est authentica descriptio:

« Il recinto del Conclave comprende gli appartamenti del pianterreno e dei tre piani che circondano il cortile di San Damaso, da cui sono stati fatti sloggiare tutti gli abitanti. Comprende dunque le stanze sotto l'appartamento pontificio e il Torrione, le abitazioni intorno alla sala Ducale; al secondo piano gli appartamenti posti lungo le Loggie di Raffaello, quello dell'Elemosiniere pontificio al terzo piano. È incluso anche nella clausura tutto l'appartamento del Segretario di Stato. Così ogni Cardinale ha una piccola abitazione composta di tre o quattro

(1) Tit. II, cap. III, n. 46.
(2) L. c.

stanze, dove può alloggiare con il suo conclavista e col suo domestico. Nel cortile di San Damaso sono installate le cucine e le altre dispense. La Cappella Sistina serve da sala di scrutinio, la Cappella Paolina serve per la Messa Conventuale, nella sala Ducale s'installarono degli altari, dove i Cardinali possono celebrare la S. Messa » (1).

12. **Cellae Cardinalium.** — Cellae tribus vel quatuor constant singulae cubiculis; aliae ab aliis sunt distinctae seu sciunctae decentique supellectili exornatae.

Cellas quod attinet postremi Conclavis haec habet citata romana ephemeris:

« Le celle ove risiedono i Cardinali durante il Conclave sono dei piccoli appartamenti, composti almeno di tre camere ciascuno, di cui una è occupata dall' Eminentissimo, l'altra dal Conclavista, e la terza dal domestico. Le celle sono completamente separate le une dalle altre ed il loro arredamento è decoroso, ma abbastanza modesto, cominciando dal letto ch'è formato da un piano elastico e di un materasso. Ai Cardinali è lasciata la scelta di farsi servire il pasto nella propria stanza o di prendere in comune. A questo scopo, cioè ad uso di sala per la refezione, è stata adattata una delle prime sale delle Congregazioni, al primo piano della Loggia. Dei 62 Cardinali che prenderanno parte a questo Conclave, 42 hanno espresso il desiderio di essere serviti nelle loro camere ed altri 20 anderanno nella sala comune » (2).

13. **Rotae Conclavis.** — Rotae ea foramina ad instar ianuarum sunt, per quae extra Conclave degentes cum iis qui intus commorantur communicare valent, et vicissim.

Numerus rotarum in iure determinatus minime est; ideoque pro loci ac temporum adiunctis nil vetat quominus plures aut pauciores sint. Ita v. gr. in Conclavi an. 1878 rotae octo habebantur, contra in Conclavi an. 1903 nonnisi quatuor.

Rotas quod attinet haec animadvertere praestat:

1° Singulae rotae statis diei horis, id est post meridiem ac vespere claudi debent; aperiuntur vero a Gubernatore Conclavis, seu ab Antistite Pontificiae Domui praeposito, militum cohorte adstante.

---

(1) *Osservatore Romano*, 31 luglio 1903, n. 170.

(2) *Osservatore Romano*, num. cit.

2° Per integrum diem, horis meridianis dumtaxat exceptis (quibus rotae occludi solent), ab iis, ad quos spectat, diligenter custodiendae sunt; nimirum extra Conclave a Praelatis superius recensitis, intus vero ab inservientibus.

3° Unaquaeque rota duplicem habet campanulam, aliam scilicet extra et aliam intus pro personis advocandis.

4° Colloquia ad rotas, voce elata ac idiomate intelligibili fieri debent, ita quidem ut Praelati, quibus Conclavis concredita fuit custodia, verborum sonitum ac sensum percipere valeant.

14. **Cappella.** — Duplici in Conclavi Cardinales ordinarie utuntur Cappella, alia scilicet pro scrutinio, alia pro Conventuali Missa. Cum in Palatio Vaticano habetur Conclave, Cappella Sixtina scrutinio inservit agendo, Paulina vero Sacro faciendo, prout in postremis Conclavibus evenisse omnibus compertum est.

« La Cappella Sistina è destinata alle riunioni generali degli Eminentissimi Cardinali per lo scrutinio dei voti. Intorno intorno alla parete della detta Cappella, ad una certa distanza dal muro per non offendere il monumento, sono collocati i seggi degli Eminentissimi Padri, sopra dei quali è collocato il rispettivo baldacchino. Sono tutti coperti di panno violaceo all'infuori di quello dell' Eminentissimo Cardinale Oreglia Decano del Sacro Collegio, che per essere la sola creatura superstite della s. m. di Pio IX, è ricoperto di panno verde.

« Sopra l'altare è posto un arazzo rappresentante la discesa dello Spirito Santo; è sormontato da un baldacchino violetto: il davanti dell'altare è rosso, ornato di ricami in oro. Sul gradino più alto dell'altare, di cui i sei ceri sono accesi durante lo scrutinio, è posta la poltrona papale dove si siederà l'eletto per ricevere la prima adorazione dei Cardinali. Lungo le pareti del presbiterio e lungo la cortina che lo chiude, sono messi in fila i seggi degli elettori. Questi seggi hanno spalliera e un baldacchino di seta. Davanti è una piccola tavola, ornata dello scudo dell'elettore col suo nome in latino. Il primo seggio dalla parte del Vangelo appartiene al Cardinale Decano, gli altri sono occupati dai Cardinali Vescovi, Preti e Diaconi, secondo l'ordine di precedenza. Davanti all'altare è posta una gran tavola che serve allo spoglio dello scrutinio. Non lungi dall'altare è stato

installato il piccolo camino, nel quale verranno bruciate le schede del voto. Finalmente all'ingresso della Cappella si trova un piccolo gabinetto, nel quale sono posti i bianchi vestimenti che indosserà il nuovo Papa, subito dopo la sua elezione » (1).

En descriptio Cappellae Sixtinae in postremo Conclavi.

15. **Cibus pro Cardinalibus.** — Gregorius X in Constit. « *Ubi periculum* », § 1, quoad victum Cardinalibus tempore Conclavis ministrandum decernit: « Verum si, quod absit, intra tres dies postquam Conclave praefatum iidem Cardinales intraverint, non fuerit ipsi Ecclesiae de pastore provisum ; per spatium quinque dierum immediate sequentium, singulis diebus tam in prandio quam in coena uno solo ferculo sint contenti : quibus (provisione non facta) decursis, ex tunc tantummodo panis, vinum et aqua ministretur eisdem, donec eadem provisio subsequatur ».

Clemens VI in Bulla « *Licet* », § 2, nimium rigorem aliquantisper mitigavit, Cardinalibus scilicet praeter panem, vinum et aquam unum ferculum concedens. « Ac etiam singulis – ait Pontifex – praeter panem, vinum et aquam in prandio et in coena, unum dumtaxat ferculum, seu missum carnium unius speciei tantummodo, aut piscium seu ovorum, cum uno potagio de carnibus vel piscibus principaliter non confectis, et decentibus salsamentis habere valeant, ultra carnes salitas, et herbas crudas ac caseum, fructus, sine electuaria. Ex quibus tamen nullum specialiter ferculum conficiatur, nisi ad condimentum fieret, vel saporem ».

Pius IV Constit. « *In eligendis* », § 22, eandem praeceptionem tulit, auctoritate sua plane confirmans quae a Clemente VI statuta fuerant. « Cardinales autem – Pontifex decernit – primo ipso die, quo Conclave ingressi fuerint, tam in prandio quam in coena uno solo ferculo unius speciei tantum, eoque moderato, et alias iuxta Constitutionem Clementis VI qualificato contenti sint, et esse debeant ».

Lapsu temporis eiusmodi lex de quantitate ac qualitate cibi durante Conclave Cardinalibus ministrandi, in desuetudinem prorsus abiit, ita ut iamdiu obsoleta dici debeat.

Id unum quoad cibum hodie animadvertendum est, nimirum ut frugalis ac moderatus sit.

---

(1) *Osservatore Romano*, 31 luglio 1903, n. 170.

Cardinalibus tam in prandio quam in coena cibum sumere licet vel in communi vel singulis in suis respective cellis.

Olim mos erat ut per rotas Conclavis cibus Cardinalibus subministraretur; at inde a Conclavi Leonis XIII, an. 1878, praxis invaluit ut in ipsomet Conclavi cibus praeparetur.

16. **Habitus Cardinalium.** — Habitum quod attinet, pontificiae Constitutiones formam et colorem eiusdem minime determinant; qua de causa consuetudini standum est seu praxi praecedentium Conclavium. In postremo autem Conclavi Praefectus Caeremoniarum sequentem tradidit normam:

« Abito eguale alla Cappella dell'*Avvento*. Scarpe nere. Rocchetto liscio con piccole frangie. Non cappello rosso: cappello nero con fettuccia rossa *senza oro*. Rocchetto sempre scoperto nell'abito cardinalizio. Cappa di lana come nelle *Cappelle del Venerdì Santo*. Nel Conclave, non *croccia*, ma sottana di panno *paonazzo, mozzetta* con mantellone paonazzo di seta. I religiosi conserveranno lo stesso vestiario e faranno uso della cappa di lana del colore dell'Ordine. I cappellani caudatarii la solita sottana paonazza con fascia simile e con la *croccia*. Nella processione del Conclave i suddetti con sottana di panno con ferraiolone simile ».

Haec norma in posterum etiam observari potest. Nil vetat autem quominus Sacrum Cardinalium Collegium eas immutationes inducat, quas pro temporum rerumque adiunctis inducendas opportune existimaverit.

17. **Cardinales pro custodia Conclavis deputati.** — In primis Congregationibus generalibus quae tempore Sedis vacantis habentur ante ingressum in Conclave, deputari debent tres Cardinales, quibus custodia incumbat clausurae, Conclavi durante.

Hi Cardinales pro tempore deputati, per se vel per alios, cellas Cardinalium et alia Conclavis loca saepius visitare ac diligenter perquirere tenentur, ne ullo modo clausura Conclavis violetur. Si quis vero eam uno aliove modo violare ausus fuerit, nulla interiecta mora e Conclavi expellendus est gravibusque poenis arbitrio futuri Pontificis plectendus. Eiusmodi poenae non sunt latae sed ferendae dumtaxat sententiae, plus minusve graves pro rata culpae admissae.

Poena ipso facto incurrenda statuta expresse invenitur contra eos qui Conclave ingredi audent; privantur scilicet omni honore, gradu, atque officio et beneficio. Hanc poenam statuit Gregorius X Constit. « *Ubi periculum* », eamque renovavit Pius IV Constit. « *In eligendis* »; tandem Pius X Constit. cit. tit. II, cap. IV, n. 49 eamdem ratam habuit et confirmavit.

18. **Colloquia cum Cardinalibus aut aliis in Conclavi partem habentibus.** — Clauso Conclavi, nemo ad colloquium cum Cardinalibus aut Conclavistis vel aliis in Conclavi partem habentibus admitti debet, nisi praesentibus Praelatis, quibus custodia Conclavis est demandata. Colloquia vero elata voce ac intelligibili idiomate facienda sunt, ne uno aliove praetextu clausuram aut secretum in iis quae in Conclavi aguntur violari contingat. Qua in re Praelatis custodibus summa diligentia adhibenda est.

19. **Epistolae, ephemerides aliaque cuiusvis generis scripta.** — Gregorius X Constit. « *Ubi periculum* », § 1, decernit: « Nulli etiam fas sit, ipsis Cardinalibus, vel eorum alicui, nuncium mittere, vel scripturam. Qui vero contra fecerit, scripturam mittendo, vel nuntium . . . ipso facto sententiam excommunicationis incurrat ».

Pius IV Constit. « *In eligendis* », § 20, statuit: « Litteras vero, aut cuiusvis generis scripta ad eos, qui in Conclavi erunt, seu nuncium, vel notam, aut signum mittere, seu recipere aut contra, e Conclavi ad eos, qui foris erunt, nullo modo liceat: qui contra fecerint, quacumque dignitate, etiamsi Cardinalatus honore praefulgeant, poenae excommunicationis latae sententiae subiaceant, absolvendi facultate, praeterquam in mortis articulo, soli Pontifici Maximo reservata ».

Clemens XII Constit. « *Apostolatus officium* », § 11, haec habet: « Scrutinia etiam, quae pro electione Pontificis bis in die a Cardinalibus fiunt, sive manuscripta sive impressa fuerit, e Conclavi ad eos, qui foris sunt, mitti ac renunciari, et ab eis recipi, proferri aut evulgari omnino prohibemus sub poenis adversus mittentes e Conclavi, ac exinde respective recipientes litteras, scripta, nuncios, notas, aut signa, etiamsi Cardinalatus honore praefulgeant, a dictis Praedecessoribus expresse sancitis, eo ipso per transgressores incurrendis ».

Hae omnes iuris sanctiones veterem dumtaxat respiciunt disciplinam. Novam quod attinet, Constit. saepius citata Pii X recolenda est. In ea porro tit. II, cap. IV, n. 50, Pontifex expressis verbis haec decernit:

« Volumus item ut epistolae, aut cuiusvis generis scripta, etiam typis edita, tum ad eos qui in Conclavi sunt (non exceptis ipsis S. R. E. Cardinalibus), tum praesertim e Conclavi ad eos, qui foris sunt, mitti nullatenus possint, nisi prius omnia et singula S. Collegii Secretarii, ac simul Praelatorum, qui ad custodiam Conclavis deputati sunt, examini atque inspectioni subiiciantur. Absolute autem omnibus interdicimus, ne ephemerides quotidianae vel periodicae extra Conclave mittantur. Qui vero contra fecerint, poenae excommunicationis latae sententiae subiaceant ».

Epistolae igitur aliaque cuiusvis generis scripta, etiam typis aut alio quocumque modo impressa, nec ad eos qui in Conclavi sunt, nec e Conclavi ad eos, qui foris sunt, mitti possunt, nisi prius omnia ac singula tum Sacri Collegii Secretarius, tum Praelati, quibus custodia Conclavis concredita est, diligenter examinaverint atque inspexerint.

Huic praescriptioni ipsimet Cardinales subiiciuntur.

Epistolas et alia scripta, quae sint occlusa, Secretario S. Collegii aut Praelatis ad custodiam deputatis fasne est adeperire? Nullo modo. Examinare ac inspicere summa diligentia summoque studio quidem possunt et tenentur; attamen epistolas aliaque scripta occlusa aperire seu resignare minime licet. Ad summum, si maturo praemisso examine ac sedula facta inspectione, suspicio aliqua supersit, Secretarius S. Collegii ac Praelati custodes praecipere valent ut, ipsis praesentibus, ii ad quos epistolae aliaque scripta mittuntur, eadem aperiant ac legenda praebeant.

Ephemerides quotidianae vel periodicae ad eos, qui in Conclavi sunt, mitti quidem possunt; non autem e Conclavi ad eos, qui foris sunt. Prohibitio haec ideo inducta fuit, ut vitentur abusus, communicationes et alia id genus, quae sub velamine ephemeridum facillime possunt occurrere.

Violatores harum praescriptionum excommunicatione latae sententiae percelluntur. Quaeri opportune heic potest utrum agatur de excommunicatione reservata, vel minus; et si primum, utrum reservata sit simpliciter aut speciali modo Romano Pontifici.

Constitutio Pii X nihil dicit; attamen, cum Gregorii X, Pii IV et Clementis XII Constitutiones citet ad easque sese referat, et cum in eiusmodi Constitutionibus sermo occurrat de excommunicatione latae sententiae uni Pontifici maximo, praeterquam in mortis articulo, reservata, nullum dubium quin censura, etiam iure novo vigente, speciali modo Romano Pontifici reservata dici debeat.

20. **Secretarius S. Collegii Cardinalium.** — Hoc munere ex officio fungitur Adsessor S. Congregationis Consistorialis. Ipsius est, scripta conficere de mandato Patrum Purpuratorum; communicare, ubi opus fuerit, cum Coetu Diplomatico; relationes tradere seu transmittere quae Sacri Collegii intersint; ac alia id genus agere. Nedum, Conclavi durante, Secretarius munere fungitur, sed statim post obitum Papae, imo, eo quoque vivente, a secretis S. Collegii est. Attamen, vita functo Antistite Romano, procul dubio amplior fit eiusdem potestas et excellentius munus. Verum potestas nulla ipso iure ei competit, quemadmodum constat de Cardinali a secretis Pontificis Maximi.

ARTICULUS XI.

De secreto servando.

Bibliographia: Bonacina, l. c.; Camarda, op. cit., p. 45 ss.; Lavorius, l. c.; Lottini; op. cit., p. 31 s.; Passerini, op. cit. p. 42 ss.

Berthelet, op. cit. p. 74 s.; Ceccaroni, op. cit. p. 146; Moroni, l. c.

Lector, l. c.

Summarium: 1. Quinam lege servandi secreti ligentur. — 2. In quibusnam rebus secretum servari oporteat. — 3. Quamdiu obligatio de secreto servando perduret. — 4. Poena contra transgressores statuta.

1. **Quinam lege servandi secreti ligentur.** — Omnes ac singuli, qui in Conclavi partem habent, lege secreti servandi strictissime devinciuntur. Hinc Cardinales haec obligatio afficit, Conclavistas, Secretarium S. Collegii, Caeremoniarios, Sacristam eiusque adiutorem, et inservientes. Id clare eruitur ex ipsiusmet Pii X verbis in cit. Constit. tit. II, cap. IV, n. 51: « Praeterea, uti iam in supra relatis, tam pro S. R. E. Cardinalibus quam

pro Conclavistis, iurisiurandi formulis expressum est, *severe praecipimus et mandamus ut ab omnibus in Conclavi partem habentibus secretum religiosissime servetur . . . »*.

2. **In quibusnam rebus secretum servari oporteat.** — Generatim dicimus in iis omnibus secretum servandum esse quae ad electionem Romani Pontificis pertinent, et in iis quae in Conclavi, seu in loco electionis aguntur. In specie vero animadvertimus Cardinales prohiberi, ne suis familiaribus seu Conclavistis aut aliis quibusvis ea pandant, quae directe vel indirecte scrutinium respiciant, nec non quae in Cardinalium Congregationibus sive ante Conclave sive ipso durante habitis acta vel decreta sint.

Ita religiosissime secretum servari debet ut quaecumque directe vel indirecte illud violare possint, sive verba, sive scripta, sive signa, aut alia quaevis, omnia vitare et cavere omnino teneantur qui partem uno aliove modo in Conclavi habent.

3. **Quamdiu obligatio de secreto servando perduret.** — Verba Constit. Pii X clara perspicuaque sunt (1): « Insuper praecipimus, graviter onerata ipsorum conscientia, S. R. E. Cardinalibus ut secretum huiusmodi servetur etiam post peractam novi Pontificis electionem, neque ullo modo ipsum violari liceat, nisi ab eodem Pontifice peculiaris ad hoc facultas aut expressa dispensatio concessa fuerit. Quod praeceptum extendi volumus ad alios omnes, qui in Conclavi partem habuerunt, si quid forte, bona vel mala fide, de iis, quae in Conclavi gesta sint, cognoverint ».

Secretum igitur servandum est sive ante sive post peractam novi Pontificis electionem, nisi peculiaris facultas aut expressa Papae dispensatio intercedat; cum hoc tamen discrimine quod ante electionem Pontificis, obligatio urget sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae; post electionem vero nonnisi onerata conscientia seu cum culpa, at sine ulla censura, saltem latae sententiae.

4. **Poena contra transgressores statuta.** — Qui uno vel alio modo secretum violant in iis, quae ad electionem Romani Pontificis pertinent, et in iis quae in Conclavi seu in loco electionis aguntur, excommunicationem ipso facto incurrunt, a qua, ne a Maiori quidem Poenitentiario, cuiuslibet facultatis vigore,

---

(1) Tit. II, cap. IV, n. 53.

sed ab uno Pontifice Summo dumtaxat absolvi possunt, praetrequam in articulo mortis.

Haec gravissima poena tum Cardinales afficit tum alios quoscumque Conclavistas, ministros Conclavis ac inservientes; verum ut incurratur oportet violatio contingat ante peractam novi Pontificis electionem. Si quis secretum postea violet, peccat quidem, at nulla ipso iure poena percellitur.

Cardinales sub praedicta etiam poena prohibentur, quominus Conclavistis aut aliis quibusvis personis ea pandant, quae directe vel indirecte scrutinium respiciunt, et quae in Congregationibus, sive ante Conclave sive eo durante, ipsi Cardinales egerint aut decernenda censuerint.

Obligatio de secreto servando, ut liquido patet ex ipsamet substrata materia nec non ex manifesta legislatoris mente, gravis procul dubio est.

Si quaeras porro utrum quaevis secreti violatio excomunicationis poenae subiiciatur, *per se* affirmative, *per accidens* vero negative respondendum remur. Siquidem principia quae traduntur in scholis theologiae moralis ac iuris canonici de causis excusantibus a censuris incurrendis, in mentem revocari debent. Quibus principiis sedulo attentis, satis constat in quibusdam casibus censuram non incurri.

CAPUT IV.

De electoribus Romani Pontificis.

ARTICULUS I.

De historica ac iuridica origine Sacri Cardinalium Collegii.

Bibliographia: Albanus, *De Cardinalatu*, q. 3 ss.: Barbatia, *De praestantia Cardinalium*, n. 4 s.: Bonacina, l. c.: Bouix, *De Curia Romana*, p. 10 ss: Brancaccius, *Dissertationes*, p. 15 ss.: Buddaeus, *De origine Cardinalium*, p. 3 ss.: Busenelli, l. c.: Camarda, l. c.; Catharius, *Notitia Cardinalatus*, p. 6 ss.: Cohellius, *Notitia Cardinalatus*, p. 5 s.: Cortesi, *De Cardinalatu*, q. VI s.; Kleiner, *Dissert. de origine et anti-*

quitate S. R. E. Cardinalium, p. 10 ss.; LUPUS M., op. cit., dissert. III, cap, 6 s; MANFREDI, *De sacrosancto Collegio Cardinalium*, p. 7 ss.; eiusdem auctoris, *Tractatus de Cardinalibus* n. 5 ss.; MASSARELLI, *De modis seu formis eligendi RR. Pontificis*, n. 22; NOVAES, *De Cardinalium dignitate*, p. 21, s.; PANVINIUS, *De Cardinalium origine*, n. 40 ss.; PETRA, l. c.; THOMASS., op. cit., p. I, lib. 2°, cap. 1 ss.; GUNDISALVUS DE VILLADIEGO, *Tract. de origine, dignitate et potestate S. R. E. Cardinalium*, q. VI; LAUDENSIS, *Tractatus alter de Cardinalibus* etc. q. VII; MARINUS, *De Cardinalium origine*, disp. XI; WERNZ, op. cit. II, 619 ss.

BOTERO G., *Dell'ufficio del cardinale*, p. 6 s.; OLIERI, *Origine dei Cardinali*, p. 8 ss.; TAMAGNA, *Origine e prerogative dei Cardinali*, p. 22 ss.; VALIERI, *Della dignità del Cardinalato*, p. 15 s.

AN., *Traité de l'origine des cardinaux du St. Siège*, p. 9 ss.; AUBERT, op. cit., p. 5 s.

PHILLIPS, *KR. VI*, § 264 ss.; SÄGMULLER, *KR.* § 88; SCHERER. *KR.* § 83

Summarium: 1. Origo iuridica Cardinalium. — 2. Origo historica. — 3. Quonam tempore Cardinales suffragium distinctim ferre coeperint in R. P. electione.

1. **Origo iuridica Cardinalium.** — Quamplurimae sunt auctorum sententiae de Cardinalium origine. Non desunt in primis theologi et canonistae qui putent Cardinalatum saltem figurative esse de iure divino, ceu tradit Martinus Laudensis (1); imo quidam expresse contendunt esse de iure divino, ut Marinus (2), qui sic ait: « Non est cur dubitetur, num Cardinales de iure divino dicendi sint aut minus; nam sicut Ecclesia habet Dominum nostrum Papam qui est ostium Dei vel Ecclesiae, sic Cardinales sunt cardo super quem fundatum est tale ostium ».

Hieronymus Albanus (3) haec habet: « Cum apertissime liqueat Cardinales eos esse, qui Papae uti eius coadiutores assistunt, iuxta *text. not. in cap. Fundamenta*, § *Decet. de elect. in 6°*, idque diuturni mores optimi legum interpretes non obscure doceant, quippe cum diebus singulis eos ad Ecclesiae regimen summo Pontifici assidere videamus, consequenter ambigendum non videtur, quin hi sint qui in sacerdotibus leviticis instituti fuere...

---

(1) *Tractatus alter de Cardinalibus admodum singularis*, quaest. VII.
(2) *De Cardinalium origine*, disput. XI, n. 15.
(3) *De Cardinalatu*, quaest. II.

Successive autem post Christi adventum purpuratos Patres etiam Apostolorum vices gerere satis exploratum est... Et si forte obiiceretur Apostolos Christi non astitisse ut cum eo ardua iudicarent, imo Christum solum quaeque difficillima expedisse et Apostolos illum magistrum et dominum appellasse; responderetur id ratione divinitatis factum fuisse, cuius virtute iudicium Christi decipi non poterat; consequenterque in eo habendi consilii ratio non suberat, quae quidem potissimum viget in Pontifice maximo, quem falli posse non ignoramus. Quod autem de Cardinalibus superius traditum est, id latissime probat Rom. in dicto consilio et beatus Anton. in loco praememorato, et Ioannes de Turrecremata, ubi etiam in c. 83 ait, ex historiis liquere, post Apostolorum quoque divisionem Petrum sibi nonnullos collaterales coadiutoresque retinuisse, videlicet Linum, Cletum et Clementem... Ex quibus omnibus colligi potest Ecclesiam numquam fere sine Cardinalibus rectam fuisse ».

Dein idem auctor probat (1) cardinalitiam dignitatem esse de iure divino, ita concludens: « Ex his igitur constare videtur Cardinalatus substantiam de iure divino institutam fuisse ».

Cardinalium ordinem quoad suam primordialem originem et adumbrationem iuris esse divini, tenent S. Antonius (2), Turrecremata (3), Augustus Triumph. (4), Duen. (5), Diana (6), Barbosa (7), Azorius (8), Camillus Borr. (9), Machado (10), Lorich. (11), Lancellotti (12), Felinus (13), Cuchius (14).

In hac tamen sententia exponenda auctores neve plane con-

---

(1) Op. cit., quaest. III.
(2) Op. cit., part. III, tit. 21, cap. 1.
(3) *Sum.* lib. I, cap. 80 et 83.
(4) *Tract. de potest. Eccles.*, quaest. 102.
(5) Op. cit., reg. 72, vers. *tertio limita.*
(6) *Mor. resolut.*, part. V, tract. 2, resolut. 2.
(7) *Ius eccl. univ.* lib. I, cap. III, n. 5.
(8) Op. cit., part. II, lib. IV, cap. 1, quaest. 2.
(9) *Summa omnium decision.* tit. 5, n. 8.
(10) Op. cit., to. II, lib. IV, p. 7.
(11) *Thes. theol.* v. *Cardinalis*, § 10.
(12) Op. cit., lib. II, cap. 2, § 3, n. 27.
(13) *Iuris institutiones*, part. I, sect. IV, n. 18
(14) *Instit. can.* lib. II, tit. IV, n. 52.

cordes sunt neve satis perspicui, cum haud liquido constet num stricto vel lato sensu Cardinalatus iuris dicatur divini, necne (1).

Exinde Lancellotti (2) et Cuchius (3) inferunt Cardinalatum semper extitisse in Ecclesia Dei nec ullo modo a Papa auferri seu supprimi posse.

Andreas Barbatia (4) egregie disserens, contendit Cardinalatum nonnisi de iure ecclesiastico seu humano esse, non autem de iure divino.

Auctores, qui de hac quaestione loquuntur, quos naviter ipsi perspeximus, verbis inter se differunt potiusquam re, ita ut haud immerito remur inutilem seu plane otiosam quaestionem de iuridica Cardinalium origine.

Cardinalatus formaliter sumptus ex Romanorum dumtaxat Pontificum constitutionibus ortum habet, qui nedum iura ac privilegia Cardinalium ampliare vel restringere valent, verum etiam dignitatem nomenque ipsum Cardinalatus summo iure penitus supprimere.

Haec doctrina, natura Primatus atque Ecclesiae organica constitutione inspecta, certa omnino est, cum neve Scriptura neve Traditio de Cardinalatu loquatur.

At si consideretur officium Cardinalium, quatenus R. Pontifex in universa Ecclesia regenda necessario indiget ope et consiliis aliquorum, cum ipse minime valeat negotiorum molem totius dominici gregis unus agere, Cardinalatum latissimo quodam sensu ex iure divino profluere dici potest. Sane Pontifex universam Ecclesiam ex mandato divino regere et gubernare tenetur; proinde omnia ea media adhibere debet, eadem divina impellente lege, quae necessaria utiliave sunt fini rite assequendo.

Porro cum Papa nequaquam valeat ex se ipso universa negotia agere, iure divino cogente, cum aliis dicta negotia necessario communicare partirique tenetur, ne Ecclesiae regimen damnum patiatur. Verum Pontifex nedum Cardinales in partem dominicae sollicitudinis vocare potest, sed alios quoscumque pro suo arbitrio,

---

(1) Cfr. Barbatia, l. c.

(2) L. c.

(3) L. c.

(4) *De praestantia Cardinalium*, n. 5 ss.

sive ad tempus sive in perpetuum, quibus maiorem aut minorem auctoritatem seu plura aut pauciora iura et privilegia tribuere profecto valet.

Re quidem vera, prioribus saeculis, Pontifex graviora Ecclesiae negotia, convocatis Episcopis, agere solebat; dein vero, necessitate cogente, maxime postquam civilis accessit romanae Ecclesiae principatus, necesse fuit aliquos Pontifici perpetuo assidere, quibuscum de gravissimis rebus quotidie occurrentibus deliberaret, idque absque detrimento particularium Ecclesiarum, quibus Pastorum absentia perniciosa erat. Omissis ergo Episcoporum consiliis, Pontifices ad amplissimum Cardinalium senatum occurrentia quotidie negotia referre coeperunt, eorumque opera uti ad legationes instituendas penes reges et principes pro communi Ecclesiae bono, ad generalia convocanda Concilia, ad principum dissidia componenda, nec non ad alia quamplura negotia pertractanda.

2. **Origo historica Cardinalatus.** — Quidam auctores dicunt Cardinales primum creatos fuisse a Pontiano papa (231-235); alii referunt Marcellum (308-309) propter baptisma ac sepulturas martyrum quindecim in Urbe elegisse Cardinales (1).

Alii docent Fabianum papam (236-250) septem Cardinales diaconos creasse, qui septem scribis Apostolicae Sedis praeessent, ut martyrum gesta memoriae hominum sempiternae commendarent (2).

Demum communior sententia veterum auctorum tenet sub Silvestro papa (314-335) Cardinales delectos fuisse.

Constantinus imperator, aiunt, quarto die sui baptismatis, cuncto populo romano approbante, Urbem Silvestro concessit eiusque successoribus ac utriusque ditionis principatum et imperii insignia largitus est. Idem Silvester in conventu Romae habito quosdam presbyteros Cardinales nuncupari publice decrevit et ritu quodam servato propriis nominibus ipse appellavit ac ita in posterum eos nominari voluit (3). At perperam id asseritur.

---

(1) Cfr. c. *Fundamenta*, *de elect.* in 6; Sylv. *De benef.* q. 4. part. I, n. 47.

(2) Hier. Manfredi, *Tractatus de Cardinalibus*, cap. III.

(3) Cfr. Azor. op. cit., part. II, cap. I, quaest. 8; Alban. l. c.; Iacob. *De concilio*, lib. I, art. I, n. 244; Sopran. *De electione*, lib. I, cap. 18, § 3; Bonacina, *De legitima summi Pontificis electione*, q. I, punct. I, § 2. n. 1.

Barbosa sic refert (1): « Cardinalis autem nomen ante tempora B. Silvestri extitisse non constat, unde ab ipso creditur adinventum, qui in sexta Synodo Romana, quam post Constantini imperatoris conversionem celebravit, ita legitur statuisse: *a subdiacono usque ad lectores omnes subditi sint diacono Cardinali, viro reverendissimo in Ecclesia*, etc. Et iterum in eadem synodo: Praesul (inquit) non damnetur nisi cum septuaginta duobus testibus; presbyter vero Cardinalis nisi cum sexaginta quatuor; diaconus vero Cardinalis Urbis Romae, nisi cum viginti septem » (2).

Quidam, seposita quaestione de cardinalitia dignitate ac vocem dumtaxat *cardinalis* inspicientes, autumant omnes clericos Ecclesiae romanae iam ab initio Cardinales indiscriminatim vocatos fuisse (3); alii censent Evaristum papam in varios titulos Urbis ecclesias distribuisse indeque putant nomen Cardinalatus ortum habuisse (4). Demum alii contendunt tempore Hygini primum consuevisse clericos Cardinales vocari (5).

Qua in re, si quid nobis liceat adfirmare, minus recte procedere videntur nonnulli auctores, cum minime distinguant inter unam aliamque quaestionem.

Aliud enim est inquirere quo tempore vox *cardinalis* usu primum recepta fuerit, et aliud est inquirere quo tempore huiusmodi vox ad significandam exclusive amplissimam senatus Romanae Ecclesiae dignitatem adhibita sit.

Prioribus Ecclesiae saeculis certo constat cardinales vocatos fuisse omnes clericos praecipuis ecclesiis intitulatos seu incardinatos, ceu tradit S. Gregorius (6).

Imo, teste Gelasio I papa, ipsimet Episcopi, utpote dioecesibus suis perpetuo adscripti, vocari solebant Cardinales (7).

Dubitandum haud est quin vox Cardinalis etymologice inspecta, clericos intitulatos, hoc est ecclesiis adscriptos, primum

(1) L. c., n. 6.
(2) Cfr. c. 5. D. 93; c. 2. C. II. q. 4.
(3) Bellarminus, lib. I *De clericis*, cap. XVI.
(4) Cfr. Panvin. *De 7 eccl.* cap. 2.
(5) Pighius, op. cit., II, p. 164.
(6) Cfr. c. 5. D. 71; c. 6. D. 74.
(7) Cfr. c. 3. D. 24.

significaverit, ita ut quaevis alia vocis explicatio historico fundamento destituatur.

Certum est plures presbyteros seculo IV vel V incardinatos fuisse titulis seu ecclesiis praecipuis Urbis, e quibus princeps nomen Cardinalis est assecutus (1); item certum est diaconos Cardinales praefuisse septem Urbis diaconiis (2); certum pariter est ab exeunte saeculo V nomen Cardinalium presbyterorum et diaconorum Romanae Ecclesiae in publicis monumentis occurrere (3), et sub initium saeculi VIII huiusmodi nomen ex officio receptum fuisse (4).

Porro temporis progressu officium Cardinalatus sensim sine sensu magis ac magis distinctum in dies factum est. Romani Pontifices illud privilegiis et honoribus cumularunt; v. gr. Innocentius IV ius Cardinalibus tribuit gestandi galerum rubrum, et Paulus II ius deferendi habitum purpureum.

Nomen tamen *Cardinalis* passim usurpari perrexit clericis sive romanae sive aliis ecclesiis adscriptis usque ad Sixtum V, qui die 17 febr. 1568 edita Constitutione prohibuit quominus clerici romanae Ecclesiae aut aliarum quarumcumque Cardinales nuncuparentur, dictam vocem solis adiudicans Episcopis suburbicariis, quinquaginta presbyteris et quatuordecim diaconis certis titulis vel diaconiis in Urbe praepositis (5).

Non abs re ducimus doctrinam clariss. Panvinii (6) tradere, qui brevitate et eruditione ac materiae perspicuitate alios auctores excellit, etsi ob documentorum defectum quaedam inconsiderate exponat.

Sacerdotio in orientalibus ecclesiis, praecipue Hierosolymis et Antiochiae rito instituto, Petrus apostolus catholicae Ecclesiae Pontifex primus, cum in urbem romanam venisset, ex praecipuis religionis christianae cultoribus viros quosdam seniores, bonum testimonium ab his qui foris sunt habentes, plenosque Spiritu sancto et sapientia, spectatae fidei, et rarae probitatis, hie-

(1) Cfr. PANVIN., op. cit., p. 35; PLATINA, op. cit., 65.

(2) Conc. Rom. a. 499; Conc. Rom. a. 552; cfr. HEFELE, I, p. 627; DUCHESNE, *Liber Pontif.* I, p. 126, 164.

(3) Cfr. c. 5. D. 93; c. 2. C. II, q. 4.

(4) Cfr. c. 3, 4, 5 D. 79.

(5) Cfr. c. 57, X, de elect. I, 6; c. 2, X, *de offic. archipr.* I, 24.

(6) Op. cit., n. 12 s.

rosolymitanae ceterarumque orientalium Ecclesiarum more, delegit. Hi clerici appellati sunt quos per manuum impositionem partim presbyteros, et partim diaconos consecravit; quorum opera Pontifex ipse, seu Episcopus romanus, in regenda crescente tunc romana Ecclesia uti posset; cum ei tot millibus hominum ad fidem Christi quotidie venientium consulere non esset integrum.

Petro autem presbyterorum et diaconorum munia, ut pro se quisque suum officium et nosceret et impigre faceret, dividere in primis utile visum fuit. Itaque summam rerum, animarum scilicet curandarum negotium, presbyteris commisit; ut sacramenta plebi Dei administrantes orationi et ministerio Verbi cum Episcopo vacarent. Diaconis autem viduarum, pupillorum et reliquorum pauperum fidelium subveniendorum curam commisit, eisque mandavit, ut presbyteris quoque sacra facientibus praesto essent; quorum omnium numerus, cum prius modicus et incertus esset, ei modum statuerunt Cletus et Evaristus pontifices maximi (1).

Cletus enim, ut auctor est Damasus, presbyteros ad certum numerum redegit; Evaristus vero Apostolorum more ad septenarium numerum diaconos in Ecclesia romana auxit quibus quoque praecepit, « ut Episcopum predicantem propter stilum veritatis custodirent ».

Porro ne presbyterorum administratio in promiscuo esset, idem Evaristus Pontifex romanus, qui sextus post beatum Petrum romanae Ecclesiae praefuit circa annum Christi centesimum, titulos in urbe Roma ipsis presbyteri divisit, ut singuli a se invicem secreti in sua urbis regione, confusionis vitandae causa, divina ministeria exercerent, populum erudientes, sacramenta fidelibus administrantes: singulosque presbyteros in unaquaque paroecia posuit; sufficere enim tunc visus est is numerus, propter credentium paucitatem.

Verum non longe post, fidelium quotidie crescentium multitudine permotus Hyginus pontifex romanus, cum tot fidelibus non sufficerent hi, plures in unoquoque titulo presbyteros esse voluit.

Dionysius papa, Evaristi secutus exemplum, cum iam religio christiana mirum in modum in Urbe romana crevisset, denuo presbyteris ecclesias et coemeteria seu titulos divisit, eosdemque, quo quisque suis finibus limitibusque contineretur, distribuit, pluribus per singulos presbyteris constitutos.

At non longe post, circa annum Christi 305, Marcellus XXXI post Petrum Apostolum romanus Episcopus, titulos Urbis ab Evaristo antiquitus et primitus presbyteris datos, numero limitavit, decreto statuens XXV in Urbe romana dioeceses esse ad baptismatis commoditatem, eorumque opportunitatem, qui ad fidem ex gentibus quotidie veniebant, immo etiam ut martyrum sepulcris consuetum esset, sicut auctor est Damasus. Titulos romanos seu paroecias cessatis persecutionibus adauxere, presbyterosque plurimos in singulis constituere Silvester, Marcus, Iulius, Liberius, Damasus, et reliqui Pontifices romani. Cum enim infinita poene gentilium multitudo, fidem Christi

(1) De hoc tamen ex historia absoluta certitudine haud constat.

amplexa esset, non sufficientibus XXV titulis, nec his qui in eiusdem residebant presbyteris, et titulorum et presbyterorum in unoquoque titulo numerus auctus fuit. Primus autem, ut diximus, Hyginus romanus Pontifex decimus post Petrum Apostolum circa annum Christi 140 in unoquoque titulo, seu paroecia urbana, plurimos presbyteros esse voluit, cum unus, ut prius erat, tantae multitudini non sufficeret: hincque eorum presbyterorum Romanae Ecclesiae, quos postea Cardinales appellatos fuisse constat, origo atque principium manavit, ut inferius demonstrabo.

Diaconis autem, quos Evaristus papa ad septenarium numerum constituerat, cum ante praescriptum sibi locum non haberent, sed eorum munia in promiscuo essent, primus regiones singulis divisit Fabianus circa annum Christi 240, ut unusquisque in suis regionibus fidelium primo necessitatibus ex Ecclesiae thesauris atque Christianorum oblationibus a subdiaconis collectis, et ab ipsis custoditis, quantum in se esset, suppeditarent; presbyteris deinceps in sua regione constitutis ministrarent. Ex ipsis autem primum seu antiquiorem archidiaconum appellari voluerunt Pontifices, sicut et presbyterorum primum, archipresbyterum.

Cessantibus persecutionibus sicut presbyterorum et paroeciarum, ita et diaconorum numerus auctus est. Cum enim prius tantum essent septem singulique diaconi duabus regionibus praessent: (in XIV enim regiones Roma tunc dividebatur) postea statutum est, ut in singulis Urbis regionibus singuli diaconi essent, atque ita XIV diaconi facti sunt.

Crescente vero in dies christiana religione, his non sufficientibus, plures in unaquaque regione diaconi creati fuere; locaque ipsis assignata *diaconiae* sunt appellata.

Haec autem erant fana seu templa, domos et mansiones adiunctas habentia, sicut et aliae Urbis basilicae titulique, in divorum honorem dedicata; verum sine tituli praescriptione, hoc est absque animarum cura; idcirco tituli minime dicebantur.

Ab iisdem postea diaconi ipsi regionarii, antiquata regionis appellatione, nomina ac distinctiones sortiti sunt: prius enim vocari solebant diaconi primae, tertiae aut quintae regionis; dein nuncupati fuere diaconi huius vel illius diaconiae, v. gr. SS. Cosmae et Damiani, SS. Sergii et Bacchi, sanctae Mariae novae et similia.

Id autem presbyterorum more factum fuisse videtur, qui semper cum adiectione illius tituli, cui praeerant, se nominabant.

Haec est igitur origo presbyterorum et diaconorum romanae Ecclesiae, qui postea cum aliquibus circa Urbem vicinis episcopis Cardinalium nomine insigniti sunt.

Triplicem quod attinet Cardinalium ordinem, referunt Martinus Polonus et Bernadus Guil. in principio suorum librorum, quos de Romanis Pontificibus conscripsere, quod sicut auctor humani generis summus sacerdos et pontifex in coelesti Ecclesia tres angelorum ordines constituit, qui sibi obsequerentur; ita

eiusdem consilio factum est, ut apud homines in Ecclesia, ad coelestis illius Hierosolymae exemplum, circa Romanum Pontificem Christi vices in terris gerentem, essent tria Cardinalium genera, quae illi adhaererent.

Quidam igitur sunt Cardinales Episcopi, quidam Cardinales presbyteri, et alii Cardinales diaconi.

« In primo gradu habentur Cardinales Episcopi, quorum ordo dignitate excellit; nam Episcoporum status inter ceteros divinas virtutes pandit et tamquam Deo proximior dignitatibus quibuslibet praestantior est. Secundum locum in collegio tenent presbyteri, ut illa agant quae sacerdotum ordo efflagitet ac praecipui coadiutores Pontifici assistant in iis quae Ecclesiam Dei concanunt. Diaconi veniunt tertio loco, ut continue praesto sint Summo Pontifici ac opera et consilio universae Ecclesiae Sanctaeque Sedi assistant » (1).

3. **Quonam tempore Cardinales suffragium distinctim ferre coeperint in R. Pontificis electione.** — Documenta hac de re plane desiderantur, ita ut absoluta certitudine nil profecto statui potest.

Quidam auctores putant id contigisse in electione Gregorii II; alii in electione Adriani I; alii in electione Paschalis I (2).

Panvinus (3) id evenisse tradit in electione Damasi II, a. 1048.

Variis auctorum sepositis sententiis, remur Cardinales iam inde a saeculo VIII, hoc est ab electione Adriani I (a. 772), partem praecipuam habuisse in Antistite maximo eligendo; ab initio vero saeculi XII, seu ab Innocentio II proprium et exclusivum ius ipsis adiudicatum fuisse, ceu tradunt Panvinius (4) et Massarelli (5), quam usu praxim receptam Alexander III ratam habuit confirmavitque.

Quaeri potest num ius eligendi R. Pontificem Cardinalibus competens sit ordinarium vel potius delegatum.

---

(1) Cfr. MANFREDI, *De Cardinalibus*, cap. IV; DIONYS. *De eccles. hier.* c. 7.

(2) Cfr. CORTESI, op. cit. p. 18,

(3) Op. cit., n. 38.

(4) Op. cit., n. 42.

(5) *De modis seu formis eligendi RR. Pontifices*, n. 22.

Duplici sub respectu aliquod ius considerari potest, nempe quoad originem et quoad exercitium. Quoad originem, ius eligendi est plane delegatum, quippe quod ex benigna dumtaxat R. Pontificis concessione profluit. Haec sententia citra haeresis suspicionem negari minime potest.

Quoad exercitium autem, aliter dicendum. Cum ius Papam deligendi Cardinalibus ex officio competat, utpote Cardinalatui adnexum, dubitandum haud est quin ordinarium dici possit ac revera sit.

Nonnulli auctores eiusmodi ius ministeriale vocant, sic ratiocinantes: « qui facultatem habet eligendi ad aliquam dignitatem et officium quod ipsorum eligentium dignitatem excedit, non possunt hoc iure ordinario seu ex propria facultate praestare, sed ex facultate sibi a superiore collata; nihil enim ultra vires suas agit, nisi aliunde vires acquirant. Atqui dignitas Pontificis excedit dignitatem Cardinalium; ergo Cardinales non possunt Pontificem facultate ordinaria eligere, sed tantum delegata et ministeriali » (1).

Haec ratiocinatio falso innititur supposito. Supponit siquidem Cardinales dignitatem pontificiam electo Papae tribuere seu iura Primatus eidem conferre; quod absonum omnino est, ut alibi probandum erit. Id tamen nequaquam prohibet quominus vel nos in ipsorum sententiam conveniamus, putantes ius eligendi Cardinalibus competens ministeriale aliquo sensu nuncupari posse.

ARTICULUS II.

De iure proprio ac exclusivo Cardinalium.

Bibliographia: Albanus, l. c.; Azorius, l. c., n. 12: Barbatia, op. cit., p. 8; Barbosa, op. cit., lib I, cap. 2°, n. 40 ss.; Bargilliat, op. cit., n. 376 ss.; Bonacina, l. c.; Bouix, op. cit., p. 127 ss.; Brancaccia, op. cit., p. 21; Buddaeus, op. cit., pag. 15 ss.; Busenelli, l. c.; Camarda, op. cit. p. 18 ss.; Catharius, *Notitia Cardinalatus*, p. 12 s.; Cavagnis, op. cit. II, p. 140 ss.; Cohellius, l. c.; Cortesi, *De Cardinalatu*, q. VII; Deshayes, op. cit. n. 538; Fagnanus *in cap. 6 X de elect. I*, VII; Ferraris, op. cit., v. *Cardinalis*; Gonzales, *in cap. 6 X de elect. I*, VI; Pirhing,

(1) Bonacina, op. cit., § 3, prop. I, n. 3; Sopranus, op. cit., lib. IV, cap. 6, n. 45.

in cit. cap. sect. 9; PETRA, *Comm. in Const. 5 Clementis VI*, to. IV; PIGNATELLI, *Consult. LXVII*, to. IX; KLEINER, op. cit., p. 21 ss; MANFREDI, l. c.; MASSARELLI, *De modis seu formis eligendi RR. Pontifices*, n. 20 ss.; PANVINIUS, l. c.; ABBAS PANORMITANUS, *in cap. 6 X de elect.*, I, VI s.; NOVAES, *De Cardinalium dignitate*, p. 22 s.; BELLARMINUS, l. c.; SUAREZ, *Disp. X de Summo Pontifice*, sect. IV, n. 6 ss.; IOANNES DE LIGNANO, in cap. cit. n. 3 ss.; GUNDISALVUS DE VILLADIEGO, op. cit. q. VIII; THOMASS., l. c. cap. 114 s.; LOMBARDI, op. cit., I, p. 193 s.; SANTI, op. cit. in I. 1. tit. 31, n. 25 ss.; OIETTI, op. cit. ,I, v. *Cardinalis;* WERNZ, l. c.

BOTERO, op. cit. p. 10 ss.; OLIERI, *Origine dei Cardinali*, p. 15; SANTINELLI, *Della dignità dei Cardinali*, p. 18 s.; TAMAGNA, op. cit., p. 28 ss.; VALLIERI, l. c.

HAHN, op. cit. p. 13 s.; AUBERY, *De la dignité de cardinal*, p. 10 ss.; SIRMIER, *Le conclave*, p. 12 s.; L. LECTOR, l. c.

BANGEN, *Die romische Curie*, p. 45 ss.; PHILLIPS, l. c.; SÄGMÜLLER, *KR.* § 388; SCHERER, *KR.* § 383.

Cfr. *etiam bibliographiam art. I, II, III et IV capitis praec.*

Summarium: 1. Disciplina vetus et nova quoad electores Romani Pontificis. — 2. Num ius ad Cardinales spectans Papam eligendi sit divinum vel humanum. — 3. Num eiusmodi ius auferri valeat. — 4. Num Cardinales possint munus sibi commissum detrectare aut aliis oxercendum committere. — 5. Num Cardinalibus liceat suffragium ferre per procuratorem aut per epistolam. — 6. Num Cardinalium sacrum Collegium electionis formam immutare valeat. — 7. Quid sit iuris si vacatio Apost. Sedis contingat perdurante celebratione generalis Concilii. — 8. Quid iuris sit, si omnes Cardinales dispersi, vel infirmi, aut praemortui sint.

1. Disciplina vetus et nova quoad electores Romani Pontificis. — Neminem latet primis tribus saeculis Romani Pontificis electionem eodem modo factam fuisse ac reliquorum occidentalium Episcoporum, scilicet clero et populo interveniente. Pace Ecclesiae reddita per Constantinum, pristina electionis forma retenta ac servata fuit.

Inde tamen a saeculo IV, imperatores romani, et postea germanici in Italia reges coeperunt sese immiscere in electionis negotio, ita ut Symmachus Papa coactus fuerit in Romana Synodo (an. 499) novas edere leges de R. Pontificis electione.

Verum instaurata a Justiniano in Italia dominatione Romana, Imperatores adprobandi sibi vindicarunt ius electiones Pontificis Summi nec non quoddam tributum percipiendi. Saeculo VIII Romani

Pontifices, peculiari Dei Providentia, se eximere potuerunt ab imperio byzantino, principatum civilem ipsi consecuti.

Quo ex tempore electio fiebat sine ulla principum violentia; at factiones Urbis habebantur, quae libertatem eiusdem plus minusve praepediebant. Hac de causa Stephanus III in Concilio Romano (an. 769) novas edidit leges de Summi Pontificis electione, quibus, exclusis laicis, electio soli clero reservatur, et nullus laicus, imo ne clericus quidem eligendus dicitur, nisi presbyter fuerit vel diaconus Ecclesiae Romanae (1).

Inde a saeculo IX seu a Carolo M., ob relationes quae aderant inter Pontifices Summos et reges Francorum vi officii advocatiae, electio, saltem post consecrationem, imo paulatim iam ante consecrationem, regi notificanda erat.

Abusus autem principum usque eo devenerunt, imperio Romanorum instaurato, sub Othone I, ut sibimet vindicarent provisionem Apostolicae Sedis; imo ipsi Romanos Pontifices nominarent. His tantisque incommodis viam praecludere exoptans, Nicolaus II in Concilio Lateranensi (an. 1059) praecipuam partem in electionis negotio Cardinalibus Episcopis reservavit, ita tamen ut aliorum quoque Cardinalium consensus accederet, nec non cleri populique romani. « Quapropter instructi praedecessorum nostrorum aliorumque Sanctorum Patrum auctoritate, decernimus atque statuimus, ut obeunte huius Romanae Ecclesiae universalis Pontifice, in primis Cardinales Episcopi diligentissime simul de electione tractantes, mox Christi clericos Cardinales adhibeant, hisque reliquus clerus et populus ad consensum novae electionis accedant ». Nicolaus privilegium quoddam imperatoris integrum manere voluit: « salvo-inquit-debito honore et reverentia dilecti filii nostri Henrici, qui in praesentiarum rex habetur, et futurus imperator Deo concedente speratur, et iam sibi concessimus, sicut successoribus illius, qui ab hac Apostolica Sede personaliter hoc ius impetraverint ».

Paulatim vero mos invaluit ut Cardinalibus dumtaxat sine ullo discrimine ordinum demandaretur electionis negotium, sublato Imperatoris privilegio atque cleri et populi romani excluso interventu; qui mos, consuetudine iam inductus, ratus habitus

(1) Cfr. c. 3, 4, 5, D. 79.

fuit atque suprema Apostolica auctoritate firmatus ab Alexandro III in Concilio Lateranensi III (an. 1179) (1).

Sedulo animadvertendum est, Alexandrum expresse Cardinalibus electionem minime reservasse, prout immerito affirmant plurimi auctores, sed tacite tantum. « Statuimus ergo – ipse ait – ut si forte (inimico homine superseminante zizaniam) *inter Cardinales* de substituendo Summo Pontifice non potuerit esse plena concordia, et duabus partibus concordantibus, pars tertia concordare noluerit, aut sibi alium praesumpserit nominare, ille absque ulla exceptione ab universali Ecclesia, Romanus Pontifex habeatur, qui a duabus partibus electus fuerit et receptus ».

Quae electionis forma ad nostra usque tempora iugi consuetudine recepta ac servata fuit.

Pius X in cit. Constit. (2) decernit: « Ius eligendi Romanum Pontificem ad S. R. E. Cardinales unice et privative pertinet, excluso prorsus atque remoto quolibet cuiuspiam alterius Ecclesiasticae dignitatis, aut laicae potestatis cuiuslibet gradus et ordinis interventu ». Haec verba fere ad litteram deprompta fuere e Const. Leonis XIII « *Praedecessores Nostri* », in qua sic legitur: « Ius iamdiu firmatum et praescriptum eligendi Romanum Pontificem Successorem Nostrum ad Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales unice et privative pertinere declaramus et dicimus et, quatenus opus sit, hac Nostra Constitutione approbamus et confirmamus, excluso prorsus atque remoto quolibet cuiuspiam alterius Ecclesiasticae dignitatis, aut laicae potestatis cuiuslibet gradus et Ordinis interventu, quovis quaesito colore aut praetextu etiam supplendi munus et vices Cardinalium, casu quo iidem per orbem dispersi aut deportati aut alio quolibet obstaculo praepediantur comitia habere pro canonica Successoris Nostri electione ».

Item Pius IX in Constit. « *In hac sublimi* » 23 aug. 1871: « Quae quidem (electio) pleno iure ad S. R. E. Cardinales Apostolica Praedecessorum Nostrorum auctoritate, universalis Ecclesiae consensu, totque saeculorum possessione constabilito ac firmato, unice pertinet, illudque in suo robore privative manere volumus ac praecipimus, excluso prorsus atque remoto quovis

(1) Cfr. cap. 6, X. *De elect. I. 6.*
(2) Tit. II, cap. I, n. 27.

laicae potestatis cuiuslibet gradus et conditionis interventu ».

Nullum dubium proinde quin Cardinalibus unice ac privative ius Romanum eligendi Pontificem competat.

2. **Num ius ad Cardinales spectans Papam eligendi sit divinum vel humanum.** — Ius praedictum est humanum prorsus, quippe quod consuetudine receptum fuit ac Romanorum Pontificum auctoritate firmatum. Sane Christus ne verbum quidem habuit de modo Successorem Petri designandi, sed illum constabiliendum ac moderandum Ecclesiae potestati reliquit; ideoque agitur de iure humano, minime vero de iure divino.

3. **Num eiusmodi ius auferri possit.** — Cum ius eligendi Summum Pontificem Cardinalibus competens humanum sit, nihil prohibet, rigorose loquendo, quominus mutetur. Compertissimum sane cuique est, iugi mutationi subiici quae iure humano constituuntur. Id vero hypothetice dumtaxat dictum volumus; nam opportunior aptiorque quavis alia electionis forma haec videtur.

4. **Num Cardinales munus sibi concreditum detrectare valeant aut aliis exercendum committere.** — Cardinales nequeunt iuri eligendi Romanum Pontificem nuncium mittere; nam illud concessum ipsis fuit non in privatam uniuscuiusque utilitatem, sed in universalis Ecclesiae bonum. Re quidem vera Cardinales statim post habitam notitiam de obitu Papae tenentur *in virtute sanctae obedientiae* ad Successoris electionem accedere. Pius X enim in cit. Constit. (1) decernit: « Omnibus autem Cardinalibus in virtute sanctae obedientiae praecipimus et mandamus, ut, postquam per Cardinalem Decanum vel, ipso impedito, per alium Cardinalem, de vacatione Sedis Apostolicae certiores facti, atque ad novi Pontificis electionem advocati fuerint, nisi legitimo impedimento detineantur, indictionis litteris obtemperare, et ad locum eisdem designatum pro perficienda Pontificis electione *statim se conferre debeant* ».

Neque Cardinalibus licet munus aliis exequendum committere; nam agitur de iure quod *unice* ac *privative* ad eos spectat, seu de iure stricte *personali*.

5. **Num Cardinalibus ius sit suffragium per procuratorem vel per epistolam ferre.** — Nullo pacto licet, cum obstet, implicite saltem, mens legislatoris, prout liquido patet ex Constit. « *Ubi pri-*

(1) Tit. II, cap. I, n. 35.

mum » Gregorii X, « *Praedecessoris Nostri* » Leonis XIII; « *Vacante Sede Apostolica* » Pii X.

6. **Num sacrum Cardinalium Collegium electionis formam immutare valeat.** — Sacrum Cardinalium Collegium, Sede Apostolica vacante, ea dumtaxat pollet potestate, quae ipsi per Pontificias Litteras tribuitur. Iamvero Constitutiones (Pii X et Leonis XIII) que ius vigens efformant quoad S. Sedem vacantem, facultatem immutandi minime tribuunt; quin imo manifesto iubent ne quidquam Cardinales contra mandata pontificia in ipsis Constitutionibus contenta peragant.

7. **Quid iuris sit, si vacatio Apost. Sedis contingat perdurante celebratione generalis Concilii.** — Electio Pontificis in casu proposito ad Cardinalium Collegium spectat. Defuncto enim Papa, ipso facto Concilium suspensum remanet, donec novus Pontifex illud reassumi et continuari praeceperit. Id clare eruitur ex Constitutionibus Pontificiis, nimirum « *Aeterni Patris* » Gregorii XV, « *Ad Romani Pontificis* » Urbani VIII, « *Consulturi* » Pii IX, ac tandem ex Constit. saepius citata Pii X (1), in sic qua decernitur:

« Si quando contingat ut Romanus Pontifex decedat, perdurante celebratione alicuius Concilii generalis, sive Romae illud habeatur, sive in alio quovis orbis terrarum loco, electio novi Pontificis ab uno S. R. E. Cardinalium Collegio semper et exclusive fieri debet, minime vero ab ipso Concilio, atque etiam exclusis omnino ab eadem electione peragenda quibuslibet aliis personis cuiusvis, licet ipsius Concilii, auctoritate forte deputandis, praeter Cardinales praedictos ».

8. **Quid iuris sit, si omnes Cardinales dispersi, vel infirmi, aut praemortui sint.** — Si Cardinales per orbem dispersi vel deportati aut quovis obstaculo praepediantur, ius eorumdem neve cessat neve ad alios pro ea vice transit, ceu expresse decernit cit. Constit. Leo XIII. Porro si, hypothetice, nullus superstes habeatur Cardinalis, electio R. P. haud spectat ad Concilium generale, ut communis tenet veterum auctorum sententia (2), sed contra ad Capitulum Basilicae Lateranensis.

---

(1) Tit. II, cap. I, n. 28.

(2) Cfr. Alban., op. cit., q. XXV; Iacob., op. cit., lib. 6 a. 4.

ARTICULUS III.

Quinam Cardinales suffragium ferre valeant in R. Pontificis electione.

Bibliographia: Albanus, op. cit., p. 13 s.; Barbatia, l. c.; Bonacina, op. cit., disp. VI, quaest. III s.; Bouix, op. cit., p. 110 ss.; Camarda, op. cit., p. 63 s.; Cohellius, op. cit. p. 12 ss.; Cortesi, *De Cardinalatu*, p. 16; Manfredi, op. cit., p. 8 ss.; Fagnanus, *in cap. 6 X de elect. I, VI*, n. 12 ss.; Platus H., *Tractatus de Cardinalium dignitate et officio*, p. 24 ss.; Pignatelli, l. c.; Pirhing, l. c.; Schmalzgrueber, *in cap. 6 X, de elect. I, VI;* Santi, in cit. cap. n. 34; Wernz, l. c.

Cfr. *Bibliographiam art. I huius capitis.*

Summarium: 1. Doctrina canonica. — 2. Quaestiones.

1. **Doctrina canonica.** — Pius X in cit. Constitutione (1) haec decernit:

« Nullus Cardinalium, cuiuslibet excommunicationis, suspensionis, interdicti aut alius ecclesiastici impedimenti praetextu vel causa a Summi Pontificis electione activa et passiva excludi ullo modo potest; quas quidem censuras et excommunicationes ad effectum huiusmodi electionis tantum, illis alias in suo robore permansuris, suspendimus.

« Postquam aliquis S. R. E. Cardinalis in Consistorio creatus fuit, is statim vocem et ius eligendi Pontificem habet et consequenter etiamsi cardinalitius galerus nondum illi traditus sit, neque os clausum, vel si clausum fuerit, nondum tamen apertum sit. Etenim huiusmodi claudendi oris ritus ad praecipuam Cardinalium facultatem, quae circa Summi Pontificis electionem versatur, non pertinet, sed caeremonia quaedam est, ea de causa introducta, ut Cardinales, antequam in Consistoriis et Congregationibus suffragium ferant, de modestia, quae ab ipsis in his et aliis actibus adhiberi debet, quodammodo admoneantur.

« Cardinales canonice depositi, vel qui dignitati Cardinalitiae consentiente Romano Pontifice, renuntiaverunt, nullum ius ad electionem habent. Immo, Sede vacante, nec potest S. Collegium restituere et habilitare Cardinales per Papam privatos seu depositos, ne quidem ad vocem.

(1) Tit. II, cap. I, n. 29-32.

« Statuimus etiam et declaramus quod si forte aliquis Cardinalis saltem in Diaconatus ordine constitutus non fuerit, is nullatenus ad eligendum admitti debeat, nisi certo et indubitato privilegio Pontificio munitus sit ».

In iure antiquo eaedem normae habebantur (1).

Omnes igitur legitimi Cardinales, modo mentis vitio non laborent seu sani mente existant, voce activa et passiva gaudent, etiamsi excommunicati, suspensi, interdicti aut alia ecclesiastica poena irretiti forte sint, nec non etiamsi insignia dignitatis cardinalitiae non acceperint vel ipsis apertum os nondum fuerit.

Iure divino inspecto voce passiva privantur haeretici et schismatici; num vero etiam voce activa ipsi privati sint censendi, videbimus infra in quaestionibus.

Iure autem naturali attento, excluduntur ab electione tum activa tum passiva ii dumtaxat qui infirmitate mentis laborant, licet temporanea sit, modo ipso electionis tempore contingat Cardinalem morbo reapse laborare.

Iure ecclesiastico excluduntur:

1° Cardinales *canonice depositi,* seu depositionis poena multati, servatis solemnitatibus a lege praescriptis;

2° Cardinales qui dignitati cardinalitiae renuntiarunt, dummodo renuntiatio acceptata fuerit a Pontifice maximo;

3° Cardinales, si forte existant, qui saltem diaconi non sint, nisi privilegium peculiare a Sede Apostolica obtinuerint.

Duo sunt animadvertenda, ne ulla suboriatur confusio: Cardinales suspensi vel interdicti aut excommunicati non pro omnibus iuris effectibus censuris liberantur, at solummodo in ordine ad electionem Pontificis; Cardinales canonice depositi nequeunt a Sacro Collegio habilitari, ut vocem assequantur in electionis negotio.

2. **Quaestiones.**

Quaest. I. *Cardinales simoniaci possuntne suffragium ferre?*

R. Nullum dubium quin valeant suffragium ferre, si agatur de simonia occulta; idipsum quoque dicendum si de notoria agatur

(1) Cfr. Clem. V, cap. 2, *Ne Romani*, § 4, de elect. I, 3 in Clement.; Pii IV, Constit. *In eligendis*, § 29: Greg. XV, Constit. *Aeterni Patris*, § 22, Pii V, decretum diei 26 ianuarii 1571; Bonif. VIII, cap. un. *de schismatic.* V, 3 in Sext.; Pii IX, Litt. *Quamquam*, 20 sept. 1867.

simonia. In utroque tamen casu graviter peccant Cardinales electores.

Quaest. II. *Haeretici et schismatici Cardinales, si qui sint (quod Deus avertat), gaudentne voce activa?*

R. De voce passiva alibi dicemus. Si haeresis vel schismatis reatus occultus sit, procul dubio voce activa fruuntur; si contra notorius sit, videretur primo obtutu negative esse respondendum. At rem intimius perpendentes, incunctanter censemus ipsos quoque iure eligendi pollere, *modo canonice depositi non fuerint.*

Quaest. III. *Cardinales idiotae, mentecapti seu hebetes ex morbo vel senio possuntne ferre suffragium?*

R. Si idiotismi seu hebetismi gradus talis sit, ut Cardinales sufficienti rationis usu destituantur, ipso naturali iure inhabiles plane censentur ad suffragium ferendum; secus veluti habiles habendi sunt.

Quaest. IV. *Cardinales degradati iure eligendi privanturne?*

R. Degradatio duplex est: *verbalis* et *realis.* Illa cum ipsa depositione confunditur; haec est solemnis privatio bonorum, privilegiorum, etiam canonis et fori, qua, solo remanente charactere indelebili Ordinis, clericus ad statum laicalem reducitur (1).

Sive igitur de verbali agatur degradatione, sive de reali, Cardinales hac gravissima prae aliis poena multati, iure ferendi suffragii procul dubio destituuntur.

Quaest. V. *Cardinalis, qui, Sede Apostolica vacante, dignitati cardinalitiae renunciaverit, gaudetne voce activa?*

R. Renunciatio, de qua in casu, nullius valoris est; nam ex iuris canonici praescripto in manibus Romani Pontificis est facienda ab eoque acceptari debet; secus irrita ac invalida omnino est.

Quaest. VI. *Cardinales* in pectore, *ut aiunt*, reservati *pollentne eligendi iure?*

R. Cardinales *in pectore reservati* canonice electi non censentur, nec ullo gaudent iure, donec in Consistorio creati non fuerint; ideoque Pius X declarat (2): « Postquam aliquis S. R. E.

---

(1) Cfr. c. 2, *de poenis* in 6°; Ben. XIV, *De Syn. dioec.*, IX, c. 6, n. 4; SUAREZ, *De censuris*, disp. 30, sect. 2, n. 6 ss.

(2) Constit. cit., tit. II, cap. I, n. 30.

Cardinalis *in Consistorio creatus fuit,* is statim vocem et ius eligendi Pontificem habet... ».

Quaest. VII. *An Cardinales sint necessario vocandi ad novi Pontificis electionem?*

R. Procul dubio sunt necessario vocandi, ut liquido patet ex Apostolicis Constitutionibus. Re quidem vera Pius X praecipit in virtute sanctae obedientiae ut, si nullo deteneantur legitimo impedimento, statim se conferant ad locum ipsis designatum pro electione Pontificis perficienda. Iamvero officium eiusmodi in Cardinalibus supponi nequit, nisi certiores necessario faciendi sint. Leo vero XIII in cit. Constit. sic statuit: « Hinc nulla interiecta mora, idem Cardinalis Decanus, vel, ipso impedito, alius Cardinalis... ceteris Cardinalibus vacationem Sedis Apostolicae *significet*, eosque ad novi Pontificis electionem *advocet,* ac de loco *certiores faciat* in quo illam peragi deliberatum fuit ».

Decani Sacri Collegi vel, eo impedito, alterius Cardinalis est, ceteros Cardinales certiores facere de obitu Pontificis eosque ad novam electionem advocare.

Quaest. VIII. *Quanam forma sunt vocandi Cardinales?*

R. Forma peculiaris haud requiritur, cum ius canonicum minime eam praecipiat; ideo quaecumque sufficit forma, modo certo constet Cardinales notitiam reapse accipere de vacatione Apostolicae Sedis. Idcirco vocari possunt sive per epistolam ope commendationis transmissam, sive per telegraphum vel telephonum, sive alio quocumque modo, pro temporum ac locorum commoditate.

ARTICULUS IV.

Quinam sit a Cardinalibus in R. Pontificem eligendus.

Bibliographia: Azorius, l. c., n. 12 ss.; Barbosa, *Iur. eccl. univ.* lib. I, cap. II; Bargilliat, op. cit., n. 378; Bonacina, l. c.; Bouix, *De Papa*, p. 45 ss.; Bald. *in cap. 6 X de elect. I,* 6, n. 3; Butz., in cit. cap., n. 5; Abbas, in cit. cap. n. 4; Ioan Andr., in cit. cap. n. 11; Bellam., in cit. cap. n. 33; Ioan. de Lignano, in cit. cap. n. 6; Pirhing, in cit. cap. n. 6; Fagnanus, in cit. cap. n. 11; *in cap. 7 X de elect. I,* 6, n. 28; Gonzales, in cit. cap. n. 5 ss.; Pezzani, *Codex*, can. 26; Pichler, in cit. cap. n. 7; Schmalzgrueber, in cit. cap. n. 23; Santi, in cit. cap. n. 35; Sebastianelli, l. c.; Deshayes, op. cit., n. 507; Wernz, l. c., n. 577.

Summarium : 1. Auctorum opiniones. — 2. Doctrina catholica. — 3. Num haereticus vel schismaticus aut excommunicatus eligi possit. — 4. Quaenam aetas requiratur et quaenam discretio in eligendo. — 5. Num laici sint valide eligibiles. — 6. Num Papa necessario e gremio Cardinalium assumendus sit. — 7. Num R. Pontifex italus sit oporteat. — 8. Num e clero saeculari vel potius e regulari assumendus.

1. **Auctorum opiniones.** — Non desunt quidam auctores, at pauci sane, qui asserant, attendendum esse non modo divinum ac naturale, sed ipsum quoque ecclesiasticum ius relate ad personam, quae ad Summum evehitur Pontificatum. Quo ex principio deducunt, in eo qui Romanus Pontifex eligitur, requiri aetatem determinatam, scientiam ac Ordinem sacrum. Quod aetatem attinet, aiunt, requiri ut eligendus attigerit trigesimum quintum annum, vel saltem trigesimum; quoad scientiam, putant omnino requiri plenam perfectamque divini ac humani iuris cognitionem; tandem quoad morum integritatem, contendunt requiri ut eligendus criminosus minime sit, ut infamia nullatenus laboret ac demum ut nulla sit censura irretitus.

Haec omnia porro ad validitatem necessaria esse affirmant.

Rationes vero quibus praedicti auctores innituntur sunt hae:

a) Omnes ac singuli homines, uno excepto Pontifice summo, subiiciuntur non tantum iuri divino et naturali, sed etiam iuri ecclesiastico, semel ac per baptismum Ecclesiae membra facti sint. Iamvero is, qui Romanus Pontifex eligendus est, donec reapse electus non fuerit, nulla fruitur exemptione a iure ecclesiastico; ideoque obnoxium esse indubie constat.

b) Si canonica lex peculiarem exigit aetatem et Ordinem aliaque id genus in iis qui eliguntur Cardinales, Episcopi, Vicarii generales et presbyteri; a fortiori haec omnia requiruntur in eo qui ad Summum Pontificatum assumitur, cum agatur de Officio prae aliis excellentissimo. Re quidem vera Cardinales ex Concilio Tridentino (1) in eadem aetate ac Episcopi esse debent, licet ex Constit. autem Sixti V « *Postquam* » 3 dec. 1586, sufficiat pro Cardinalibus diaconis annus vigesimus secundus inchoatus; praeterea requiritur ut constituti saltem sint in quatuor ordinibus minoribus, nec non ut saltem per annum tonsuram ac habitum clericalem gestarint (2);

(1) Sess. XXIV, cap. I, *de reform.*

(2) Cfr. cit. Constit. Sixti « *Postquam* », § 15.

ac tandem ut infra legitimum tempus Ordinem gradui suo competentem recipiant (1).

Episcopi trigesimum aetatis annum completum attigerint oportet (2); insuper requiritur ut sex mensium spatio saltem antea in sacro subdiaconatus ordine constituti sint (3).

Alia quod attinet officia, quin singula recenseamus, si animarum cura adnexa sit, vicesimus quintus inchoatus annus requiritur (4); secus vicesimus secundus completus, si de dignitatibus vel personatibus agatur ecclesiarum cathedralium vel collegiatarum (5); si de simplici canonicatu agatur ecclesiarum cathedralium ea aetas necessaria est, quam ordo sacer canonicatui adnexus ex iure communi vel particulari exigit (6); tandem si de canonicatibus agatur ecclesiarum collegiatarum, *per se* sufficit decimus quartus annus inchoatus, nisi ex tabulis fundationis aliter statutum sit (7).

c) Nulla peculiaris in lege canonica habetur dispensatio pro eo qui ad Summum Pontificatum evehitur, nullaque derogatio normis generalibus. Nullum dubium proinde quin regulae iuris communes seu generales applicandae sint.

d) In provisione officii ecclesiastici illa aetas ex ipsa rei natura requiritur quae ad convenienter exequendum officium necessaria est (8). Officium porro Romani Pontificis satis luculenterque ab eodem Christo in Litteris sacris statutum invenitur. « *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis* » (9); « *Pasce agnos meos... pasce oves meas* » (10); « *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* » (11).

Verum Pontifex Romanus Ecclesiam regere, agnos et oves

---

(1) Conc. Trid., Sess. XXIII, cap. 2, *de reform.*

(2) Cap. 7, X. *de elect.*, I, 6.

(3) Cap. 9, X, *de elect.*, 14.

(4) Cap. 7, § 2, X., *de elect.*: cap. 14, *de elect.* I, 6, in 6; Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 12 *de reform.*

(5) Conc. Trid., loc. cit.

(6) Conc. Trid., loc. cit.

(7) Conc. Trid., Sess. XXIII; cap. 6, *de reform.*

(8) Cap. 3. X., *de aet.* I. 6, in Clem.

(9) Matth. XVI, 13.

(10) Ioan. XXI, 15.

(11) Luc. XXII.

pascere, fratres in fide confirmare, haud posset, nisi tum doctrina esset praeclarissimus tum prudentia ac aetate maturus.

e) Pius X in Constit. « *Vacante Sede Apostolica* » (1), vestigiis Praedecessorum fideliter inhaerens (2), Cardinales enixe hortatur ut « unice Dei gloriam et Ecclesiae bonum prae oculis habentes, in eum sua vota conferant, *quem universali Ecclesiae fructuose utiliterque gubernandae prae ceteris idoneum in Domino iudicaverint* ». Iamvero persona, quae universali Ecclesiae fructuose ac utiliter gubernandae prae ceteris idonea sit, oportet aetate et scientia morumque nitore praestet, ut liquido patet.

f) Iulius II in Constit. « *Cum tam divino* » sub nullitatis poena prohibuit quominus simoniacus in Summum Pontificem eligatur. Candide fatemur nullitatem electionis simoniacae sublatam esse a Pio X in cit. Constit. (3) hisce verbis: « sublata tamen irritatione electionis simoniacae, quam Deus avertat, a Iulio II (vel alio qualicumque decreto pontificio) statuta, ut praetextus amputetur impugnandi valorem electionis Romani Pontificis ». Inde a Iulio II, usque igitur ad Pium X, simoniaci viri eligi non poterant; ideo aderat impedimentum iuris ecclesiastici, secus minime potuisset auferri a Pio X.

g) Quae huc usque exposita fuere, indubie confirmari videntur a clariss. Wernz (4): « *Valide* eligibiles (in ordine ad Pontificatum) sunt omnes, qui iure divino aut iure *ecclesiastico irritante* non impediuntur » ; nec non a Bargilliat (5) aliisque.

2. **Doctrina catholica.** — In Romani Pontificis electione quaedam validitatem attingunt, quaedam liceitatem dumtaxat. Certa ab incertis maturo consilio distinguenda sunt.

Sublata a Pio X nullitate electionis simoniacae a Iulio II

---

(1) Tit. II, cap. VI.

(2) Cfr. GREG. X, cap. 3 « *Ubi periculum* » § 4, *de elect.* I, 6 in Sext.; PII IV, Constit. « *In eligendis* » § 26; GREG. XV, Constit. « *Aeterni Patris* » § 23; CLEM. XII, Constit. « *Apostolatus officium* » § 5; PII IX, Constit. « *Licet per Apostolicas* », IV Idus septembr. 1874; LEONIS XIII, Constit. « *Praedecessores Nostri* ».

(3) Tit. II, cap. VI, n. 79.

(4) Op. cit., to. II, part. II, n. 577.

(5) *Praelectiones iuris canonici*, vol. I, n. 378.

statuta, generatim dicimus requiri ut persona eligenda nullo detineatur impedimento iuris divini et naturalis.

In specie autem ad validitatem oportet eligendus sit *a*) masculus, *b*) compos sui, *c*) membrum Ecclesiae.

Masculus; mulieres siquidem ipso divino naturali iure incapaces sunt nedum potestatis Ordinis suscipiendae, at eiusdem quoque ecclesiasticae iurisdictionis stricto sensu exercendae.

Compos sui; secus enim exercere nullatenus valeret officium Pontificatui adnexum; ideoque ipso naturali iure omnino repelluntur infantes, amentes perpetui, nec non mentecapti ac idiotae qui lucida careant mentis discretione.

Membrum Ecclesiae; nam Pontifex vi officii sui est totius Ecclesiae caput ac centrum ecclesiasticae iurisdictionis, cuius participes esse non possunt nisi qui corpori Christi iam copulati sint. Quapropter infideles seu non baptizati eligi nullo pacto valent.

Ad liceitatem electionis requiritur: *a*) aetas matura; *b*) ordo sacer; *c*) scientia debita; *d*) morum integritas; *e*) immunitas a censura et ab irregularitate.

Aetas matura; non modo scilicet eligendus compos sui oportet sit, at praeterea necesse est ut eam aetatem attigerit, qua prudenti iudicio et experientia Ecclesiam regere ac gubernare rite recteque valeat.

Ordo sacer; non sufficit nimirum tonsura vel Ordo minor, sed requiritur subdiaconatus vel diaconatus aut melius, disciplina hodierna inspecta, presbyteratus.

Scientia debita; quaenam taxative scientia in eligendo requiratur, regula certa ac universali definiri nequit, cum variae temporum morumque circumstantiae sint inspiciendae.

Id unum dicimus, candidatum scilicet tum profanis tum potissimum sacris disciplinis perbelle instructum esse oportere, quo muneri valeat rite incumbere in animarum bonum.

Morum integritas; si quemlibet presbyterum et episcopum decet sanctum esse ac virtutum nitore fidelium exemplo fulgere, id a fortiori ipsum Pontificem summum quam maxime decet. Papa siquidem est pater christifidelium, pastor universarum gentium, caput totius Ecclesiae, ipsiusmet Christi in terris vices gerens.

Immunitas a censura et ab irregularitate; persona enim Romani Pontificis omnibus qualitatibus exornata sit oportet, ac om-

nibus destituta obstaculis, ut reverentiam sibimet et existimationem mereri apud catholicum orbem valeat.

Hisce praelibatis, breviter respondendum ducimus ad argumenta oppositae sententiae.

Ad I^{um}. Nullum dubium quin omnes ac singuli homines, uno excepto Pontifice Summo (coactive non vero directive), iuri divino, naturali et ecclesiastico subiiciantur; exinde tamen nil sequitur. Nam canonica lex nullam limitationem seu restrictionem habet in hac re; ideoque eae dumtaxat limitationes seu restrictiones sunt admittendae, quae a iure divino et naturali statutae inveniuntur.

Ad II^{um}. Argumentatio minime valet. Sermo enim est de validitate electionis, non autem de liceitate tantum. Ad liceitatem ultro concedimus, prout superius clare diximus, requiri aetatem provectam; ad validitatem id non requiritur, cum nullibi in iure praecipiatur.

Contra de Cardinalibus, de Episcopis aliisque dignitatibus, personatibus ac officiis lex canonica expresse decernit quaenam aetas necessaria sit, ita ut nullitas electionis, aliter facta, ex positiva iuris dispositione repetenda manifesto appareat. Quod profecto de Romani Pontificis electione asseri nequit, cum ne verbum quidem occurrat in sacris canonibus.

Ad III^{um}. Nulla dispensatio requiritur, quia nulla lex habetur.

Dispensatio sane est exemptio a lege servanda in favorem alicuius personae in perpetuum vel ad tempus tributa.

Ad IV^{um}. Merito fatemur in provisione officii ecclesiastici illam aetatem ex ipsa rei natura requiri, quae ad convenienter exequendum officium necessaria sit. At executio officii ante vel postea pro uniuscuiusque ingenio et aptitudine haberi potest; praeterea eandem executionem plus minusve perfecte contingere, nemo est qui ignoret. Exinde sequitur nullam regulam certo statui posse.

Ad V^{um}. Verba Romanorum Pontificum, quibus Cardinales adhortantur ut eum eligant quem universali Ecclesiae fructuose ac utiliter gubernandae prae ceteris in Domino idoneum iudicaverint, intelligi debent ratione liceitatis, minime vero de validitate electionis.

Ad VI^{um}. Inde a Iulio II usque ad Pium X aderat quidem impedimentum ratione simoniae; quod hodie sublatum est. Id

autem contra doctrinam nostram minime facit, potius eam plane confirmat.

Ad VII^{um}. Doctrina clariss. Wernz et aliorum canonistarum minime differt ab ea quam huc usque tradidimus. Verba enim *ecclesiasticum ius irritans* referuntur indubie ad Constitutionem Iulii II, qua simoniaca electio irrita decernitur. Sane (1) scribit: « Arcentur tamquam inhabiles a valida electione... simoniaci, donec, Iulii II Constitutioni legitime non fuerit derogatum quoad vim *irritandi* electionem simoniacam, salvo semper iuro divino gravissimae prohibitionis ». Quae derogatio inducta fuit a Pio X. Igitur, hodierna inspecta disciplina, nullum habetur ecclesiasticum impedimentum quoad Romani Pontificis electionem.

3. **Num haereticus vel schismaticus aut excommunicatus eligi possit.** — Haeretici et schismatici *valide* nullatenus eligi valent, cum membra Ecclesiae vero proprioque sensu non sint. Sunt quidem Ecclesiae subditi eo ipso quod baptismatis aqua abluti fuerunt, at nihilominus versantur extra mysticum Christi corpus ob haeresis seu schismatis reatum (2). Haec tamen doctrina sic est intelligenda ut electus in haeresi maneat etiam post nominationem; nam si, ea facta, haeresim seu schisma abiuret, indubie putamus electionem validam fore.

Nullum dubium quin suspensi ac irregulares nec non excommunicati tolerati sint valide eligibiles. Controversia respicit excommunicatos vitandos. Primo intuitu viderentur inhabiles cum a corpore Ecclesiae seiuncti per iudicialem potestatem declarati sint; at intimius rem perpendendo, apparet eos habiles esse. Etenim haec separatio vel seiunctio a corpore mystico Christi tota pendet ab ecclesiastica auctoritate, quae eandem coarctare aut extendere valet, nec non effectus ipsos eam comitantes decernere. Iamvero cum nulla clausula irritans in iure canonico habeatur, necessario concludendum est, electionem excommunicati vitandi validam *per se* esse.

4. **Quaenam aetas requiratur et quaenam discretio in eligendo.** — Ea aetas eaque mentis discretio requiritur, quae

(1) L. c.
(3) Cfr. Wernz, l. c.; Bargilliat, l. c.

necessaria est ut eligendus agnoscat iura et officia Summo Pontificatui adnexa.

Maior hinc aetas et discretio exigitur pro Pontificatu, quam, attento naturali divinoque iure, pro episcopatu ac presbyteratu. Regula nihilominus certa et generalis exhiberi nequit, cum uniuscuiusque personae ingenium sit perspiciendum nec non mentis aptituto consideranda.

Qua in re non satis clare locutus fuisse videtur clariss. Wernz (1): « In eo qui eligendus est Romanus Pontifex, iure positivo *certa* aetas non est definita. Quare ad validam electionem sufficit ea aetas, quae ex natura rei requiritur; etenim cum electus hoc officium valide obtinere non possit, nisi electionem de se factam *acceptet*, is saltem ad annos sufficientis discretionis pervenerit necesse est ». Non sufficit ut candidatus electionem de se factam simpliciter acceptet; requiritur etiam ut iura ae officia Pontificatus intelligat et cognoscat saltem in obscuro.

5. **Num laici sint valide eligibiles.** — In triplicem sententiam abeunt auctores. Quidam affirmant numquam valide fuisse laicos electos; quidam putant olim validam fuisse eiusmodi electionem, at non hodiedum, cum diversa nunc vigeat in Ecclesia disciplina (2).

Alii tandem docent, sive iure antiquo sive iure hodierno inspecto, valide laicos, quamvis illicite, eligi posse ad Summum Pontificatum. Ita fere omnes canonistae, v. gr. Ferraris, De Luca, Hinschius, Makée, Lombardi, Bargilliat, Schulte, Wernz aliique plures.

Prima ac secunda sententia est prorsus reiicienda, utpote quae nullo historico aut iuridico innititur fundamento; imo ex historia constat, quin de Pontificibus Romanis aevi antiquioris loquamur, Ioannem XIX (an. 1024) laicum probabilius fuisse. Tertia sententia veluti unice vera retineri debet.

6. **Num Papa sit necessario e gremio Cardinalium assumendus.** — Nulla existit lex. Benedictus XIV ait « congruum omnino esse ut ex eis (Cardinalibus) S. Pontifex desumatur » (3).

---

(1) L. c., n. 295.
(2) Cfr. HERGENROETHER-HOLLWECK, l. c.
(3) *De serv. Dei beatif.*, t. III, c. 33.

Cum Cardinales sint viri ingenio ac religione praeclarissimi, qui universali Ecclesiae negotia gerenda optime norunt, conveniens procul dubio est ut ex ipsis Romanus Pontifex assumatur. Et sane inde ab Urbano VI (an. 1378) Pontifices selecti semper fuerunt ex sacro Cardinalium Collegio. Ante Urbanum novem recensentur Papae e gremio Cardinalium non assumpti.

Alexander II (an. 1061), Callixtus II (an. 1119), Eugenius III Ian. 1145), Urbanus IX (an. 1261), Gregorius X (an. 1271), Coelestinus V (an. 1294), Clemens V (an. 1305), Urbanus V (an. 1362), Urbanus VI (an. 1378).

7. **Num R. Pontifex italus sit oporteat.** — Minime. Nihil enim lex canonica decernit. Verum inde ab Hadriano VI (an. 1523) omnes Pontifices itali fuerunt. Id tamen ius consuetudinarium nullo pacto efformat neque praxim necessario servandam. Nicolaus II Constit. *In nomine Domini.* Cardinales electores commonet ut Papa « eligatur de ipsius Ecclesiae (Romanae) gremio, si reperitur idoneus, vel si de ipsa non invenitur, ex alia (sive itala sive extera) sumatur ».

Ex historia porro constat fere omnes nationes uno aliove tempore aliquem Papam habuisse.

Pontifices *Germanici* 5 numerantur: Stephanus VIII (an. 929), Gregorius V (an. 996), Clemens II (an. 1046), Damasus II (an. 1048), Leo IX (an. 1049), et Victor II (an. 1055).

Pontifices *Galli* sunt 16: Silvester II (an. 996), Stephanus X (an. 1057), Nicolaus II (an. 1059), Urbanus II (an. 1088), Callistus II (an. 1119), Urbanus IV (an. 1261), Clemens IV (an. 1265), Martinus IV (an. 1281), Innocentius V (an. 1276), Clemens X (an. 1305), Ioannes XXII (an. 1316), Benedictus XII (an. 1335), Clemens IV (an. 1342), Innocentius VI (an. 1352), Urbanus V (an. 1362), Gregorius XI (an. 1370).

Pontifices *Hispani* hi recensentur: S. Damasus (an. 367), Ioannes XXI (an. 1276), Callistus III (an. 1455), Alexander VI (an. 1492).

Pontifex *Hollandiae* unus dumtaxat, nimirum Adrianus VI (an. 1521).

Pontifex *Angliae* unus pariter, Adrianus IV (an. 1154).

Pontifex *Orientales* sunt: S. Anacletus (an. 100-103?), S. Evaristus (an. 109, 112, 113?), S. Telesphorus (an. 126, 128, 142?),

S. Hyginus (an. 136, 138-154?), S. Anicetus (an. 155, 157 vel 167), S. Eleutherius (an. 175, 177, vel 182), S. Antherus (an. 235), S. Sixtus II (an. 257), S. Denys (an. 259), S. Eusebius (an. 309 vel 310), S. Zosimus (an. 417), Theodorus (an. 642), S. Agatho (an. 678), S. Leo II (an. 682), Ioannes V (an. 685), Conon (an. 686), S. Sergius (an. 687), Ioannes VI (an. 701), Ioannes VII (an. 705), Sisinnius (an. 708), Constantinus (an. 708), S. Gregorius III (an. 731), S. Zacharias (an. 741). Fere omnes isti, electionis tempore, ad Romanam Ecclesiam pertinebant.

8. **Num e clero saeculari vel potius e regulari assumendus.** — Nullum dubium quin e gemino clero assumi valeat. Qua in re nulla regula assignari potest. Id unum prae oculis Cardinales electores habeant, nimirum ut persona eligenda idonea sit fructuose Ecclesiae regendae, seu ut honestate ac scientia omnino praeemineat.

Pluries labentibus saeculis Pontifices Summi assumpti fuerunt ex religiosis Ordinibus.

Ex Ordine *S. Benedicti:* Ioannes II, Pelagius II, Gregorius Magnus, Bonifacius IV, Adeodatus, Agatho, Gregorius II, Gregorius III, Zacharias, Stephanus IV, Paschalis I, Gregorius IV, Ioannes IX, Leo V, Silvester II, Sergius IV, Stephanus X, Victor III, Gelasius II, Gregorius VIII, Alexander IV, Gregorius VII, Pascalis II, Urbanus II, Urbanus V, Clemens VI, Pius VII.

Ex familia *Cartusianorum* unus habetur, scilicet Clemens IV.

Ex familia *Cisterciensum* recensentur: Eugenius III, Alexander III, Urbanus IV, Benedictus XII.

Ex Ordine *S. Dominici:* Innocentius V, Benedictus XI, Pius V, Benedictus XIII.

Ex Ordine *S. Francisci:* Nicolaus IV, Alexander V, Sixtus IV, Sixtus V, Clemens XIV.

Ex Ordine *Canonicorum Regularium S. Augustini:* S. Leo Magnus, Gelasius I, Felix III, Honorius I, Leo II, Sergius I, Stephanus III, Leo III, Eugenius II, Leo IV, Benedictus III, Formosus, Benedictus IV, Sergius II, Landon, Leo VIII, Alexander II, Callistus II, Honorius II, Innocentius II, Lucius II, Anastasius IV, Adrianus IV, Alexander III, Innocentius III, Honorius III, Eugenius IV.

Ex familia *Eremitarum S. Augustini,* Clemens VII.

Ex familia *Camaldulensium,* Gregorius XVI.

CAPUT V.

De forma electionis Romani Pontificis.

ARTICULUS I.

De forma electionis ante Gregorium XV.

Bibliographia: Albanus, l. c.; Azorius, l. c., n. 2; Bonacina, op. cit. p. 15 ss.; Buddaeus, op. cit., p. 19 s.; Busenelli, *De Summi Pontificis eligendi forma historica dissertatio*, p. 5 ss.; Catharius, op. cit., p. 12; Cohellius, l. c.; Cortesi, op. cit., q. VIII; Fagnanus, in cap. 6 X *de elect.* I, VI; Gonzales, in cit. cap. n. 6 ss.; Pirhing, in cit. cap. n. 5 ss.; Massarelli, *De modis seu formis eligendi RR. Pontifices;* Panvinius, *De varia creatione papae, sive Romanorum Pontificum*, I, n. 5 ss.; Passerini, op. cit., p. 25 ss.; Thomass, op. cit. part. II, lib. 2, cap. 1 ss.

Cfr. *bibliographiam art. I et II cap. II.*

Summarium: 1. Forma electionis primis Ecclesiae saeculis. — 2. Inde a Nicolao II. — 3. Bulla « *In eligendis* » Pii IV.

1. Forma electionis primis Ecclesiae saeculis (1). — Compertum est prioribus Ecclesiae saeculis morem viguisse ut Pontifex maximus a clero populoque romano eligeretur, prout fuse

(1) Clariss. Angelus Massarelli opus quoddam scripsit, cui titulus: *De modis seu formis per diversa tempora observatis in electione Pontificum Maximorum a divo Petro usque ad Iulium III.*

Viginti sex modos seu formas eximius Massarelli tradit.

Opus perquam rarum in Vaticana Bibliotheca invenire atque inspicere nobis datum fuit.

Non abs re erit, in lectorum gratiam, singulos modos seu formas recensere.

1. Modus per institutionem. — Dominus noster Iesus Christus primum Ecclesiae suae pastorem, et caput instituit Petrum (1): *Tibi dabo claves regni coelorum*, etc. et Ioan. (2): *Pasce oves meas.* Quod etiam habetur

(1) Matth. XVI.
(2) Cap. ult.

alibi exposuimus. Actus vero electionis non per suffragia, sed per acclamationem perfici solebat, quia scrutinium in publicis privatisque electionibus incognitum plane erat.

---

apud Gratianum dist. XXI. *in novo*, et *quamvis*. Item dist. XXII. *sacrosancta*. Et caus. XXIV. q. 1. *cum beatissimus*.

Atque ita tradunt Chrysostomus, Theophylactus, et alii super verba Ioan. XXI.

2. **Modus per designationem successoris.** — Petrus autem sub tempus suae passionis Clementem sibi successorem substituit, ut ipsemet Clemens testatur in epistola prima ad Iacobum fratrem Domini. Sed Clemens post Petri martyrium divino numine, ut creditur, inspiratus renunciavit papatui in manibus romani cleri, ne hic modus successu temporis corroboraretur, ut quisque romanus Pontifex sibi successorem eligeret, ut Damasus, Martinus polonus, aliique scribunt in summorum Pontificum vitis (1).

3. **Clerus romanus solus eligit.** — Cum Clemens renunciasset, clerus solus Pontificum eligere coepit, et ita electi sunt primus Linus, secundus Cletus, tertius idem ipse Clemens, qui pontificatum recepit, et hac ratione dicitur quartus a Petro; licet aliqui Linum et Cletum a pontificatu excludant, et tantummodo Episcopos eos faciant. Hic eligendi Pontificem modus cleri tantummodo romani suffragiis observatus fuit per 235 annos sine ulla intermissione usque ad tempora Antheri papae.

4. **Clerus eligit et populus consentit.** — Aucto deinde numero christianorum in Urbe, atque ideo Pontificum existimatione in dies magis roborata, etsi solus clerus eos ipsos Pontifices eligeret, coepit tamen accedere ac requiri, ad maius eligendorum testimonium, christifidelium quoque laicorum Romae residentium consensus. « Christiani enim, quum eo tempore templa adhuc non haberent, nunc hic nunc illic in privatorum domibus conveniebant. Qua sic congregata Ecclesia, cum de creatione Pontificis agebatur, clerus eligebat et populus, qui pariter praesens erat, consentiebat. Id quod postea etiam constitutionibus summorum Pontificum de omnibus Episcopis sancitum est; ne videlicet Episcopi absque populi consensu a clero eligi deberent, ut patet in decretis Gelasii, Stephani, Gregorii, Nicolai, et aliorum, quae referunt a Gratiano dist. LXIII. Id autem specialiter de Romano Pontefice habetur ex decreto Bonifacii III in cap. *nullus Pontifice romano* dist. LXXIX. Et sic primum accedente Cyriaco papatui, Antherum creatum fuisse legitur anno Domini 235, ut videre est in chronicis Bernardi Guidonis, parte prima in catalogo Pontificum: et ita scribunt Martinus ac Ptolemaeus in vitis Pontificum. Hic autem modus observatus est multis annis ».

5. **Per Spiritus Sancti revelationem.** — Neque alius modus creandi

(1) Vide hac de re quae supra tradidimus.
(2) *Hist.* lib. VI, cap. 29.

Quidam auctores, alemanni potissimum, inquirunt num electionem per compromissum aliquando fieri tunc temporis contigerit; vel melius num semper hoc modo factam fuerit. Qua in re,

---

Pontificem silentio praetereundus est, videlicet per Spiritus Sancti revelationem et ostensionem.

Sic enim anno 236 creatus est Fabianus papa. Etenim Anthero mortuo, cum clerus et populus convenisset ad faciendam novi Pontificis electionem, columba super caput eius descendit, et audita est vox dicens: tu Romae episcopus coronaberis, qui divinitus electus es, ut refert Eusebius (2), et Ptolemaeus atque alii in vitis Pontificum.

6. **Per subrogationem seu substitutionem.** — Temporibus quibus Ecclesia maxime opprimebatur et vexabatur ab imperatoribus adhuc fide Christi non initiatis, alius modus eligendi Pontificem inductus fuit, scilicet per subrogationem seu substitutionem. Sic Lucius I in exilium proficiscens iussu Volusiani imperatoris, dedit potestatem summi Apostolatus Stephano diacono qui eidem in papatu successit, ut scribit Damasus anno 252. Sic postea Liberius (qui etiam a clero et populo electus fuerat) dum iubente Constantio imperatore exul esset, Felicem II substituit. Qui Felix a clero similiter et a populo in synodo Romae congregata receptus est anno Domini 355. De quo videnda est ecclesiastica historia Rufini et quae Damasus scribit.

7. **Clerus denuo eligit cum consensu populi.** — At successu temporis modus iste eligendi Pontificem per subrogationem minime aptus ac decens visus est. Quare nonnulli Pontifices id diserte suis decretis prohibuere, ut Hilarus I a. 461 et Bonifacius II a. 530. Quin adeo Bonificius II statuit etiam ne ad electionem procederetur nisi triduo post obitum demortui Pontificis, quod refertur dist. LXXIX. cap. *nullus*.

Et licet ante hos Symmachus contrarium decrevisse videatur, scilicet Pontificem ante suum obitum debere de suo successore statuere c. *transitus* dist. LXXIX, id tamen non de successore eligendo, sed de quadam cum fratribus collocatione seu deliberatione cum futuro successore intelligi debet, prout glossatores exponunt atque intelligunt.

Et ita electio apud ipsos clerum et populum perseverabat.

8. **Electio fit iussu imperatorum.** — Primi itaque Pontifices libere a clero et populo, absque ulla imperatoris vel iussione aut auctoritate creabantur. Nam usque ad Melchiadem inclusive, qui papa fuit anno 312, Pontifices omnes martyrio coronati fuere. Namque et primi christianorum imperatores de electione R. Pontificis non laborasse videntur; id tantum curasse, ne illegitimo modo electiones fierent, circa quas etiam leges aliquando tulisse legimus.

Honorius enim statuit, si contingeret duos eligi in summos Pontifices, neminem eorum esse recipiendum. Quidam asserunt eam legem latam fuisse ad petitionem Bonifacii I, qui vivebat anno Domini 420.

Utcumque res se habeat, imperator ipse de electione Pontificis legem scripsit. Verum eo tempore ius eligendi adhuc liberum penes clerum roma

ut ordine procedamus, clare perspicueque determinare opus est, quid nomine *compromissi* veniat.

Compromissum est actus, quo electores expresse certis et determinatis personis munus committunt aliquem idoneum virum eligendi.

---

num residebat. Quod etiam Ecclesiae romanae ditione aucta, nonnisi post longum tempus turbatum fuit.

Symmachus enim qui XX. a Silvestro fuit, per solam atque liberam cleri et populi electionem creatus est. Quod eo diligentius notandum est, cum eo tempore schisma fuerit neque Theodoricus rex illud, nisi per concilium ob id indictum, definiri voluerit. Imo idem Symmachus statuit, eum solum esse Romanum Pontificem creandum et consecrandum, quem clerus elegisset. At postea Pontificum auctoritate et iurisdictione saeculari crescente, imperatores eorumdem Pontificum electiones vel ad suum nutum fieri, vel eas absque sua auctoritate firmas haberi voluerunt.

Tunc primum legitur imperatorum iussu Pontifices creatos esse: uti factum est in Silverio anno 537, qui Theodato Gothorum rege iubente Pontifex declaratus est. Etenim rex necem minatus est iis qui electioni Silverii non subscriberent; qui etiam postea iubente Antonina Belisarii uxore, a qua in insulam Pontiam deportatus fuit, pontificatu se abdicavit, ut Aimoinus in gestis Francorum scribit.

Idem etiam accidit Vigilio anno 540, qui iussu Belisarii Pontifex est factus, ut Ptolemaeus et Platina tradunt; atque ita ab eo tempore is modus invaluit, ut quos vel imperator vel principes qui in Urbe dominabantur iuberent ac vellent, Pontifices crearentur; nec propterea ius eos eligendi immutabatur, sed penes clerum et populum, uti prius perseverabat, ut in dictis Silverii et Vigilii electionibus videre est.

9. **Electio fit a clero, et a populo recipitur, absque iussu imperatoris.** — Is modus eligendi Pontificem iussu principum perduravit usque ad Pelagium II, qui anno 578 a clero creatur, et a populo recipitur, absque imperatoris iussione. Eius autem rei causa fuit, quia eo tempore Urbs a Longobardis obsidebatur, et tanta aquarum alluvio facta est, ut neque Longobardi Urbem ingredi, neque extra eam quisquam exire potuerit. Sed postea idem Pelagius Constantinopolim ad Tiberium II imperatorem, ut electionem suam ratam haberet, Gregorium qui postea ei in pontificatu successit transmisit, ut Platina et Ptolemaeus scribunt.

10. **Electio confirmatur ab imperatoribus, soluta certa pecunia.** — Ab eo autem tempore, scilicet a Pelagio II, imperatores coeperunt electiones Pontificum confirmare, ita ut nullus haberetur Pontifex, cuius electio ab imperatore confirmata non fuisset. Cuius confirmationis occasione, certa etiam pecunia imperatori ab electo persolvebatur.

Eius rei testimonium habetur in Gregorio I, qui a clero, consentiente

Ad conceptum igitur compromissi tria necessario requiruntur, nimirum *a*) *consensus expressus ac unanimis, b*) *electorum, qui, c*) *certis* et *determinatis personis* munus eligendi committant.

---

populo, Pontifex anno 590 electus, id aegre ferens, nuntium ad Mauricium imperatorem misit rogans, ut electionem non confirmaret. At litteris interceptis a praefecto urbis, is contrarium ad imperatorem scripsit.

Atque ita Mauricius (ut in gestis beati Gregorii adnotatur) primum coepit electiones Pontificum confirmare. Post Gregorium idem fecerunt alii, veluti Severinus qui anno 640 Constantinopolim ad Heraclium Constantinum imperatorem pro confirmatione misit; quam ei imperator annuit remissis pontificiis nuntiis ad Urbem muneribus onustis.

Huiusmodi consuetudo usque ad Agathonem observata est.

11. **Electionum decreta imperatoribus praesentantur, sed pecunia solvi solita remittitur.** — Agatho, qui Pontifex anno 679 creatus est, cum et ipse Constantinopolim ad Constantinum III imperatorem pro confirmatione Ioannem episcopum portuensem destinasset, non solum eam obtinuit, sed impetravit etiam remissionem illius pecuniae, quae per electos summos Pontifices imperatoribus solvi solebat in confirmatione electionum: ea tamen lege remissio ipsa facta est, ut deinceps nemo in Pontificem electus ordinaretur, nisi prius decretum suae electionis in regiam Urbem secundum antiquam (ut ipsius imperatoris verba referamus) consuetudinem introduceretur, ut cum imperatoris iussione et conscientia deberet electio prosperari, sicut habetur apud Gratianum dist. LXIII. cap. *Agatho*, et Ptolemaeus scribit.

12. **Imperatores mori confirmandi renunciant, et electio remittitur clero, populo, et exercitui romano.** — Cum autem per multos annos illemos petendi confirmationem ab imperatoribus constantinopolitanis observatus fuisset, tandem Constantinus III, cum confirmasset Benedictum II (qui Pontifex anno 683 creatus est) decretum ad ipsum Benedictum misit quo statuebat, ut exinde quem clerus, populus et exercitus romanus elegissent, eumdem statim, uti verum Christi vicarium omnes reciperent, nulla amplius aut constantinopolitani imperatoris, aut Italiae exarchae expectata auctoritate. Hic vero nequaquam omittendam arbitror causam, quae dist. LXIII. cap. *vota civium* redditur eius introductae consuetudinis, ut imperatores sua auctoritate Pontificum electiones roborarent: ait enim Gratianus « principibus vero atque imperatoribus electiones romanorum Pontificum atque aliorum Episcoporum referendas, usus et constitutio tradidit, pro schismaticorum ac haereticorum dissensionibus, quibus nonnunquam Ecclesia Dei concussa periclitabatur. Contra quos legibus fidelissimorum imperatorum frequenter Ecclesia munita legitur. Repraesentabatur ergo electio principatus, ut eorum auctoritate roborata, nullus haereticorum aut schismaticorum auderet contraire: et ut ipsi principes tamquam devotissimi filii in eum consentirent, quem sibi in patrem eligi viderent, ut ei in omnibus suffragatores existerent ».

13. **Electiones non fiunt absque praesentia legatorum imperatoris.** — Iste modus eligendi Pontificem per clerum, populum et exercitum romanum

In casu nostro nedum certo constat de expressa ac unanimi populi et cleri voluntate, at ne de simplici quidem consensu, cum historica documenta sileant omnino, quin imo expressus ac unanimis consensus tum cleri quum populi romani plurimas ob

---

multo tempore observatus fuit: atque ita inter ceteros fuerunt electi Ioannes V et Conon, in cuius electione exercitus primo discordabat a clero, ut Platina et Ptolomaeus scribunt, sed deinde concordes omnes in unum consenserunt. Item Sergius I, de cuius electione legitur quod « quum Theodorus et Paschalis cum eo concurrerent ad papatum », principes civitatis, clerus militiaeque romanae Sergium elegerunt.

Verumtamen cum fere semper in electionibus diversi tumultus orirentur, Stephanus II anno Domini 752 statuit ut electio et consecratio Summi Pontificis non deberet fieri absque praesentia legatorum imperialium ac populi et senatus romani, ut habetur dist. LXIII. cap. *quia*.

Et sic alius modus introductus est, qui etiam per multos annos perduravit.

14. **Pontifex non eligitur nisi ex presbyteris vel diaconis Cardinalibus.** — Non multo autem post (nempe Paulo I intermedio qui Stephano II successit) Stephanus III, qui anno 769 ex presbytero Cardinale tituli sanctae Caeciliae Pontifex factus est, statuit neminem in Pontificem maximum eligi debere, qui non esset presbyter vel diaconus Cardinalis; neminemque ex laico, sed tantum per gradus, videlicet vel diaconum vel presbyterum Cardinalem factum, ad summum apostolatus apicem promovendum esse, ut refert Ptolomaeus de vitis Pontificum et habetur dist. LXXIX. cap. *oportebat* et cap. *nullus*.

15. **Imperatores eligunt Pontifices.** — Cum Imperatores constantinopolitani a fide catholica et romana Ecclesia defecissent et in haeresim prolapsi, adversus Pontifices maximos hostiliter se gessissent, Gregorius III Leonem imperatorem anathematizavit. Obsidentibus autem Longorbardis Urbem sub Luitprando rege auxilium a Carolo Martello petiit obtinuitque.

Deinde mortuo Gregorio, Stephanus II (vel potius III) qui ei post Zachariam successit, cum etiam eo tempore Urbs ab Aistulpho Longobardorum rege obsideretur, Constantinopolim ad Constantinum IV imperatorem auxilii petendi causa misit; quod cum impetrare non potuisset, ad Pipinum Francorum regem confugit, qui ei omnem favorem honoremque impedendum censuit.

Perseverantibus autem Longobardis in infestatione Urbis, papa Adrianus I statim post adeptum pontificatum anno 771 Petrum Cardinalem legatum in Galliam ad Carolum M. ob implorandas suppetias contra Desiderium Longobardorum regem misit; qui Carolus in Italiam veniens Longobardos superavit, Desiderium pepulit, iura et ditionem romanam restituit, quaedam de novo Ecclesiae donavit, et pontificiam auctoritatem confirmavit.

Quae ob merita Adrianus ipse, concilio 153 episcoporum Romae cele-

causas haberi numquam poterat. Praeterea ius eligendi Pontificem Summum ad clerum ac populum romanum spectabat moraliter sumptum, seu ad ipsam communitatem tum ecclesiasticam tum civilem, non autem ad singulos individuos utriusque coetus.

---

brato, potestatem eligendi Romanum Pontificem ipsi Carolo M. inter cetera privilegia concessit (1).

Quem Carolum postea Leo III, qui Hadriano successit, imperatorem coronavit; ut Ptolemaeus, Platina et alii scribunt, et habetur in cap. *Hadrianus* dist. LXIII apud Gratianum.

16. **Imperatores potestati eligendi renunciant, et eam Romanis restituunt.** — Potestas (praetensa scilicet) eligendi Pontificem penes imperatorem extitit usque ad tempora Paschalis I anno 817. Nam Ludovicus imperator, Caroli filius, vir pietate clarus, potestatem hanc Paschali ipsi I restituit, libertatemque eligendi Pontificem Romanis concessit, ita tamen ut electo Pontifice a clero et populo, ad reges Francorum legati mitterentur, ut inter eos pax et benevolentia conservaretur. Sic historici illorum temporum scribunt, et habetur dist. LXIII cap. *ego Ludovicus*.

Sic ergo Pontifices a clero et populo universo eligi coeperunt.

17 **Imperatores denuo electiones confirmant.** — Licet Ludovicus ipse imperator potestati eligendi Pontificem renunciasset, eaque ad Romanos translata fuisset, Paschali I beati Petri cathedram tenente, ut superius dictum est, tamen post Paschalem legitur adhuc electiones Pontificum, ut ante Constantinum IV fiebat, ab imperatoribus fuisse confirmatas.

Nam, referente Vincentio bellovacensi, Lotharius imperator ipsius Ludovici filius misit ad Urbem Ludovicum filium suum ad confirmandam electionem Sergii II anno 843, qui dictum Ludovicum II imperatorem coronavit. Ac deinde, ut Platina scribit, Ludovicus II ad electionem Benedicti III anno 856 confirmandam legatos destinavit. Nec multo post, ut testatur Martinus, Ludovicus ipse II Romam profectus Nicolai I, qui creatus est anno 858, electionem sua praesentia roboravit.

18. **Absque praesentia vel auctoritate imperatoris aut eius oratorum clerus cum populo eligit.** — Etsi autem huiusmodi confirmationes proprie dici non possint, sed potius adhaesiones vel receptiones, ipsis videlicet electionibus maiorem auctoritatem et favorem praestantes; id tamen quicquid imperatoriae auctoritatis fuerit, abolitum fuit sub Hadriano II anno 867, qui absque praesentia vel assensu aut confirmatione Caesaris vel eius oratorum electus fuit: quod quidem eo maius momentum et auctoritatem habuit, quia eo tempore quo Hadrianus creatus est Pontifex, oratores Ludovici II imperatoris in Urbe aderant qui nihilominus ipsum Hadrianum uti Pontificem receperunt ac venerati sunt. Et sic iterum per multos annos electio Ponti-

(1) Hanc narrationem de Hadriani synodo ac de concessione alibi refutavimus; cfr. pagina 236 ss.

Quibus maturo consilio omnibus attentis, indubie censemus prioribus Ecclesiae saeculis electionem stricto sensu per compromissum numquam peractam fuisse neque reapse fieri stricto sensu potuisse.

---

ficis a clero et populo romano facta est, videlicet usque ad tempora Leonis VIII anno Domini 962.

19. **Imperatorem iterum eligunt.** — Cum vero in electionibus, quae a clero et populo fiebant, persaepe schisma, persaepius tumultus, dissensiones et scandala orirentur, id maxime evenit dum eligeretur Ioannes XIII. Mortuo enim Agathone II, Ioannes ipse XIII, qui romanus erat, suorum factione adiutus Pontificatum occupat. Sed non longe post ab Othone I Teutonum rege pulsus est et Leo VIII in eius locum sobrogatus.

Recedente vero ex Urbe Othone, Leo VIII a cognatis et fautoribus Ioannis sede pellitur, et Ioannes XIII revocatur. Ipso autem Ioanne mortuo, Benedictus V Pontifex creatur; quod aegre ferens Otho, Romanos Benedictum expellere et Leonem praedictum suscipere iubet. Ac deinde Benedictum secum in Germaniam ducit, qui postea Augustae moritur, ut Ptolemaeus, Platina et alii scribunt. Leo vero tot Othonis erga se meritis permotus et ut dissensiones et schismata huiusmodi auferret, Othonem imperatorem coronat, eique, convocata in Urbe synodo, potestatem eligendi Pontificem, uti Hadrianus Carolo Magno dederat, concessit; quod etiam habetur dist. LXIII, cap. *in synodo* apud Gratianum (1).

20. **Imperator potestati eligendi Pontificem iterum renunciat, et clerus denuo cum populi consensu eligit.** — Verum cum is modus contra libertatem ecclesiasticam indecens atque incongruus videretur, praesertim cum, ut plurimum evenire necesse erat, diu sedem vacare contingeret, tum denique ob religionem, quae ea, que Dei sunt Deo, quae autem Caesaris Caesari reddenda suadet, Otho ideo huic potestati Pontifices romanos eligendi in manibus Ioannis XIII, qui Leoni praedicto successit, renunciavit, eamque clero restituit ut patet ex cap. *tibi* dist. LXIII. Qui Otho et Henricus I imperatores suis constitutionibus etiam oratores caesareos electionibus romanorum Pontificum interesse prohibuerunt, ut habetur cap. *constitutio* in eadem dist. LXIII. « Ac insuper quid imperatores quandoque modum suum ignorantes, non in numero consentientium, sed primi distribuentium, imo exterminantium, esse voluerunt, frequenter etiam in haereticorum perfidiam prolapsi, catholicae matris Ecclesiae impugnare unitatem conati sunt; ideo sanctorum Patrum statuta adversus eos providerunt, ut se electioni non inserrent; et quisquis suffragio eorum Ecclesiam obtineret anathematis vinculo innodaretur » ut in ipsis summorum Pontificum constitutionibus videre est.

Quare Pontifex a clero et populo libere iterum eligi coepit.

21. **Cardinales eligunt accedente cleri et populi consensu.** — Hic

(1) Alibi probavimus huiusmodi Leonis VIII concessionem in favorem Othonis I factam quovis carere historico et iuridico valore.

2. **Forma electionis inde a Nicolao II.** — Satis compertum est, Nicolaum II in Concilio Lateranensi an. 1059 ius Pontificem maximum eligendi reservasse Cardinalibus Episcopis, ita quidem ut clericos quoque Cardinales adhiberent, ac reliquus clerus populusque ad consensum novae electionis accederet. Qua innovatione facta, mos statim invaluit ut per modum scru-

---

autem restitutus modus per clerum et populum deligendi Pontificem observatus est usque ad tempora Nicolai II anno 1059. Quo tempore dictus Nicolaus extra Urbem in civitate Senensi a solis Cardinalibus electus est absque clero et populo romano; sed postea Romam veniens a clero ipso populoque romano recipitur, ut scriptores omnes referunt; Romaeque apud Lateranum convocato concilio, statuit, deinceps electionem summi Pontificis ad solos Cardinales pertinere, accedente nihilominus cleri et populi consensu, et salvo honore et reverentia (ut eius verba referam) imperatoris. Quae constitutio refertur in cap. *in nomine Domini* dist. XXIII.

Ab eo igitur tempore Cardinales soli coeperunt eligere summum Pontificem, quod quidem, ut alios omittam, apparet in Gregorio VII, qui secundus fuit ab ipso Nicolao, de cuius electione ita in volumine epistolarum eius legitur. « Nos sanctae romanae Ecclesiae Cardinales, clerici, acolythi, diaconi, presbyteri, praesentibus Episcopis, abbatibus, multisque tum ecclesiastici tum laici ordinis, eligimus hodie X. Kal. maii in basilica sancti Petri ad vincula anno salutis MLXXIV in verum Christi vicarium Hildebrandum virum multae doctrinae, magnae pietatis, prudentiae, iustitiae, religionis, modestum, sobrium, continentem etc. » Item in Gelasio II anno 1119, quem a Cardinalibus in monasterio ad Palladium concordi consensu creatum fuisse, apud Ptolemaeum et alios legitur. Item in Callisto II, Gelasii successore, qui ab iis Cardinalibus qui in Gallia erant creatus Pontifex, ab aliis etiam Cardinalibus qui in Italia remanserant receptus fuit. Tum denique in Honorio II, Innocentio II, Coelestino II, Lucio II, Eugenio III et aliis usque ad Alexandrum III; qui fere omnes erant Cardinales.

22. **Cardinales soli absque cleri et populi consensu eligunt.** — Observatus est itaque iste ab Innocentio II, praescriptus modus per multos annos usque ad Alexandrum III anno 1179, ut superius demonstratum est. Qui Alexander, cum animadverteret nonnumquam in eligendo Pontifice discordes fuisse inter se Cardinales, ita ut omnes sicut iuxta Innocentii II constitutionem decebat, in eumdem non concordarent, nec appareret quis vel quando Pontifex canonice electus haberi deberet, praesertim cum necesse esset, ut ipsi electioni etiam cleri et populi accederet consensus, qui ut plurimum inter se haud conveniebant; statuit in concilio generali Romae habito, ut electus a duabus Cardinalium partibus concordantibus contra tertiam haberetur Pontifex, nullo amplius cleri aut populi expetito consensu; qui modus clero quoque et populo romano, uti salubris ac laudabilis receptus est

tinii electio a Cardinalibus fieret. Nullum dubium quin ab initio hic eligendi modus imperfectus plane fuerit; at decursu temporis magis magisque firmus ac perfectus evasit, ita quidem ut scrutinium iamdiu receptum usuque praescriptum fuerit.

---

atque comprobatus, ut refertur in cap. *licet de vitanda* de elect., et ibi late per Innocentium et Ostiensem.

Et sic deinceps neque clerus neque populus in electiones summorum Pontificum se ingesserunt.

Hoc vero loco et illud adiiciendum censeo, quod Stephanus PP. ait, nimirum, quod licet populus electionibus interesset, atque consentiret clerus tamen non populus eligebat; atque ideo electio populo nullo modo, sed ipsi clero adscribebatur. Eius vero Pontificis verba sunt haec: sacerdotum quippe est electio, et fidelis populi consensus adhibendus est, quia docendus est populus non sequendus, cap. *nosse* dist. LXIII.

Modus igitur ab Alexandro III constitutus observatus est per centum et amplius annos usque ad Gregorium X anno 1271.

23. **Statuitur a Gregorio X forma servanda a Cardinalibus in electione Pontificis.** — Gregorius autem X, etsi constitutionem Alexandri III supradictam sanctissimam iudicaret, in ea tamen nonnulla maiore declaratione et explicatione indigere cognovit. Quare convocato Lugduni concilio, in eo dictam sanctionem in primis confirmavit, multaque deinde addidit et declaravit. Inter cetera vero providit electioni faciendae extra Urbem, si extra eam Pontificem decedere contingeret: ut in loco ubi curia fuerit, vel longe ab ea absentes Cardinales expectentur per decem dies ab obitu Pontificis. Fiat unum conclave in palatio in quo Pontifex obiit. Cardinales singuli singulos habeant in eo servientes: omnes habitent in communi. Ad conclave non pateat aditus. Cardinales sede vacante nihil de redditibus Sedis Apostolicae percipiant, neque negotio alio quam electionis, nisi necessitas urgeret, occupentur. Quis cibus, et quod ferculum sit ipsis Cardinalibus in conclavi adhibendum. Ob Cardinalium, qui ex conclavi exierint, absentiam ab electione, non cessandum. Si egressi convaluerint, denuo intromittantur. Ordinantur executores huius constitutionis. Rogantur enixe Cardinales ut ad electionem, omni seposito humano affectu, pactionibus, et obligationibus, procedant. Monentur postremo omnes fideles ut Pontificis demortui exsequias celebrent, et pro felici et concordi electione successoris, preces in Deum effundant, ut habetur in cap. *ubi periculum* de elect. in 6°.

24. **Revocatur forma a Gregorio X constituta, et iuxta Alexandri III Constitutionem iterum Pontifices eliguntur.** — Brevi admodum tempore haec Gregorii X constitutio viguit nempe in electione tantum Innocentii V, qui mensibus sex cum biduo exactis in pontificatu obiit, nec non Hadriani V qui vix Pontifex declaratus (obiit antem quadragesimo die antequam coronaretur) dictam Gregorii constitutinem abrogavit; vel ut aliqui volunt, inter quos est Joan. Andr., suspendit: quam etiam Joannes XXI (qui ipsi Ha-

Neque desunt antiquiore aevo exempla de *compromisso* et *accessu*. Siquidem Gregorius X die 1 sept. 1271 Viterbii electus fuit per sex Cardinalium compromissum; Nicolaus III item Viterbii die 25 nov. 1277 et Honorius IV Perusiae postridie kal. april. 1285 per accessum electi sunt.

---

driano successit) abolevit atque retractavit, teste Joanne Mon., unde olim inter gregorianas constitutiones non habebatur; atque ideo Guillelmus eam glossare noluit. Et sic modus ille ab Alexandro III constitutus in usum rediit, qui etiam observatus est usque ad Caelestinum V; qui tamen contra dictam Gregorii constitutionem Perusii (licet in Urbe Nicolaus IV eius praedecessor obiisset, et ibidem iuxta ipsam constitutionem Pontifex creari debuisset) Pontifex factus est anno 1294. Aestate enim praecedente septem Cardinales in Urbe obierant, ut historici tradunt.

25. **Renovatur forma a Gregorio X praescripta.** — Creatus Coelestinus V vir summae sanctitatis et religionis renovavit constitutionem Gregorii X, ut refert Joan. Andr. dicto cap. *ubi periculum* de elect. in sexto. Quam deinde etiam Bonifacius VIII comprobavit, et eam in decretalium libro, titulo *de electione* collocavit, ex quo doctores eam potius Coelestini et Bonifacii quam Gregorii appellari debere contendunt. Qui modus eligendi Pontificem iuxta Gregorii ordinationem renovatus postea est in electione Benedicti XI et Clementis V, qui ambo Bonifacium VIII subsecuti sunt.

26. **Statuitur nova forma a Clemente V, quae etiam nostro tempore observatur.** — Clemens vero V praedictam Gregorii X constitutionem ampliavit, declaravit, et moderatus est, nonnullaque nova addidit, decernens in primis Cardinales, sede vacante, papalem potestatem exercere non posse, nec etiam legem a Gregorio latam immutare: Camerarii summique Poenitentiarii officia etiam mortuo Pontifice durare; et si eos sede vacante obire contingat, Cardinales subrogandi alios potestatem habere; territorium, quod a Gregorio appellatur, de tota dioecesi esse intelligendum: Cardinales omnes si e conclavi exire contigerit, illuc regredi, et electionem iam coeptam prosequi debere: Cardinales nullius excommunicationis praetextu ab electione esse excludendos; eos qui superstite Pontifice ex quacumque causa ad sedem Apostolicam accedere vel mittere sunt astricti ad ipsam etiam cum vacat, ac si non vacaret, accedere vel mittere teneri.

« Qui modus observatus est per CCL annos (Julio quoque II simoniacas electiones severissime prohibente) usque ad Julium III pont. max. qui hoc tempore beati Petri cathedram tenuit ».

Sic finem obtinet dissertatio clariss. Massarelli quam integram duximus referendam, eruditionis gratia, in lectorum commodum.

Item quae sit Panvinii doctrina hac de re opportune referre ducimus.

« Panvinii opus *de varia R. Pontificis creatione* adeo fama inter doctos celebratum fuit, ut nonnulli typis editum existimarint; quod tamen secus

3. **Bulla « In eligendis » Pii IV.** — De scrutinio tamen atque accessu nonnisi in Constit. Pii IV « *In eligendis* », § 3, mentio primum occurrit. « Missa de Spiritu Sancto celebrata – Pontifex decernit – Cardinales praesentes statim Conclave ingredi teneantur, et ingredientes ipsi absque mora aliqua.... in electionis negotio procedant, et singulis diebus *scrutinium* fiat, et in primo scrutinio *accedere* liceat ».

---

est; etenim ne in manuscriptis quidem codicibus integrum extare videtur Cum enim in decem haud modicae molis libros distributum ab auctore fuisse. quartus quidem, quintus, sextus, et septimus, a me in manuscriptis quaternionibus post Panvinii obitum repertis observati fuerunt; reliqui tamen num alicubi, an potius nuspiam serventur, haud satis scio. Nam sicubi hi forte custodiri dicuntur, cavendum est, ne pro opere integro, compendium habeatur, quod revera ab ipso Panvinio, servato librorum ordine et numero, scite confectum atque absolutum, multo saepius deinde exscriptum fuit, et bibliothecarum forulis traditum » (1).

Diligentissimam vel ipsi penes bibliothecas instituimus investigationem pro memorato Panvinii opere inveniendo. Demum in biblitheca Vaticana codicem reperimus, in quo tres dumtaxat integri libri referuntur et in fine eorumdem traditur summaria totius operis expositio, quam pro lectorum commoditate enunciandam existimamus.

Panvinius duodeviginti electionis pontificalis formas tradit.

I. Prima ea fuit, qua Christus Petrum suae Ecclesiae Pastorem designavit; eaque appellatur institutio.

II. Alia dicitur substitutio, qua Petrus Clementem sibi successorem designavit.

III. Electio per cleri populique suffragia ab imperio Domitiani usque ad Constantini dominationem.

IV. A Liberio ad Silverium, quo tempore imperatores vel reges, clerus, senatus populusque romanus electioni pontificali suffragantur.

V. Electus a clero populoque romano Pontifex imperatoris constantinopolitani consensu comprobatur.

VI. Forma similis fere tertiae, qua nullus imperatoris consensus expectatur.

VII. Hadrianus I potestatem nominandi Pontificem Carolo Magno ob suam pietatem et merita tribuit.

VIII. Hadrianus III, praetenso quovis abrogato decreto, constituit ne imperator eligendo Pontifici se immisceret.

IX. Leo VIII imperatori denuo concedit ius R. designandi Pontificem.

X. Consentientibus clero, senatu, populoque romano, solis Cardinalibus

(1) Cfr. *Spicilegium Romanum*, Romae 1843, to. IX, p. 515.

Quibus ex verbis liquido patet Pium IV loqui de scrutinio et accessu tamquam de electionis modis apprime notis, cum nulla explicatio aut definitio necessaria Pontifici visa fuerit. Animadvertendum sane est, ius canonicum illius aevi (1) scrutinium, accessum et compromissum in praelatorum electione indubie admisisse.

ARTICULUS II.

De forma electionis iuxta Gregorium XV.

Bibliographia: Azorius, l. c.; Bonacina, op. cit., p. 24 ss.; Busenelli, op. cit., p. 8 ss.; Camarda, op. cit. p. 11 ss.; Ingoli, op. cit. p. 6 ss.; Hahn, op. cit., p. 15 ss.; Fagnanus, l. c.; Meuschen, *Caeremonialia electionis et coronationis Pontificis Romani*, p. 10 ss.: Fueslinus, *Conclavia romana reserata*, p. 18 ss.; Panvinius, loc. cit.; Passerini, op. cit., p. 45 ss; Pirhing, in cap. 6 X. *de elect.* I, VI; Schmalzgrueber, in cit., cap. n. 8 ss.; Schönmann, op. cit., p. 12 ss.

---

electionis potestas attribuitur, a Ioanne XVIII ad Gregorium VI, sive ab Henrico II usque ad Henricum III.

XI. Sub Clemente II antipapa denuo ab imperatore designatio Pontificis usurpatur.

XII. Sub Stephano X rursus mos viget ut absque imperatore Papa eligatur.

XIII. Tempore Nicolai II a Cardinalibus, clero, populoque romano electio fit cum imperatoris assensu.

XIV. Alexander II et Gregorius VII absque ulla imperatoris auctoritate creantur Pontifices a Cardinalibus, clero et populo: qui tamen ante consecrationem confirmari se ab imperatore sponte volunt, ne dubitatio aut controversia, pro temporum illorum miseria, oriatur.

XV. Nulla imperatoris auctoritate requisita, immo et praeter eius, si opus sit, sententiam ac voluntatem, in Concilio Lateranensi anno 1080 sub Gregorio VII decernitur ut Pontifex eligatur et consecretur.

XVI. Post initam pacem inter Henricum V imperatorem et Callistum II papam, plane libera sunt comitia pro R. Pontifice designando.

XVII. Ab Honorio II usque ad Alexandrum III sine imperatore, proceribus, populove romano, Pontifex a Cardinalibus tantum cum delectis aliquot cleri romani *primoribus* eligitur.

XVIII. Solis Cardinalium suffragiis, per scrutinii formam, Pontifices creantur; quem praeterea electionis modus ille est secutus, qui per compromissionem appellatur, nec non ille qui per adorationem fit.

(1) Cfr. cap. 30. 42. X. tit. 14, *de aet., qualit. et ord. praef.* 6.

BERTHELET, op. cit. p. 73 ss.; CECCARONI, op. cit. p. 57 ss.; GARBINSKI, op. cit., p. 8 ss.; MARANGONI, op. cit., p. 12 ss.; MORONI, op. cit., v. *Elezione del Papa;* NOVAES, *Il sacro rito antico e moderno della elezione, coronazione e solenne possesso del Sommo Pontefice,* p. 8 ss.

BIGNON, op. cit., p. 12 ss.; DERS, op. cit., p. 6 ss.; LECTOR, op. cit., p. 253 ss.

Cfr. *bibliographiam art. I et II cap. III.*

Summarium: 1. Constit. « *Aeterni Patris* » Gregorii XV. — 2. Caeremoniale eiusdem Pontificis. — Constit. « *Ad Romani Pontificis* » Urbani VIII.

1. **Constit. « Aeterni Patris » Gregorii XV.** — Gregorius XV in sua Constitutione, cuius initium « *Aeterni Patris* », modum electionis Papae clare ac ordinatim exponit.

1° Triplici forma dumtaxat Summum Pontificem eligendum esse nimirum per scrutinium, per compromissum et per quasi inspirationem decernit.

« Matura itaque cum Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus deliberatione habita, de eorumdem Fratrum consilio pariter et assensu hac nostra perpetuo valitura Constitutione, statuimus, decrevimus et declaramus in posterum electionem Romani Pontificis fieri aliter non posse quam... per secreta schedularum suffragia duarum ex tribus partibus Cardinalium in Conclavi praesentium: praeterquam si omnes et singuli Cardinales similiter in Conclavi praesentes, nemine dissentiente, aliquibus ex eorumdem Collegio Cardinalium committerent eligendi potestatem, ut vice omnium Ecclesiae catholicae providerent de Pastore, aut nisi communiter ab omnibus et singulis Cardinalibus, qui item in Conclavi praesentes erunt, nemine pariter dissentiente, quasi per ispirationem, nullo praecedente de persona speciali tractatu, per verbum ELIGO, intelligibili voce prolatum, aut scripto, si voce fieri non potuerit, expressum fuerit celebratum » (§ 2).

2° In electione per viam scrutinii, vel scrutinii et accessus, et per compromissum seipsum eligere nulli fas est. « Ut electio per viam scrutinii, sive scrutinii et accessus valida sit, decrevimus et declaramus ita esse censendum (numerum suffragiorum), ut in duabus tertiis partibus, suffragii electi non numeretur, nec quisquam sive scrutinii, sive scrutinii et accessus, sive

compromissi via procedatur, seipsum eligere, seu suffragium sibi dare nullatenus possit: electi tamen persona, si in Conclavi sit, debeat in numerum Cardinalium computari » (§ 2).

3° In scrutinio vel scrutinio et accessu, suffragiorum pubblicatio necessaria est. « Nemo per viam scrutinii, seu scrutinii et accessus habeatur pro electo, nisi publicatis omnibus suffragiis, et electi, si numerum tantummodo duarum et tribus partibus habuisse compertum sit, etiam schedulis apertis » (§ 3).

4° Si paria sint suffragia neuter censetur electus; si vero imparia, qui duas tertias partes obtinuerit, statim veluti rite electus haberi debet. « Si contingat plures in schedulis nominatos, duas tertias partes suffragiorum tulisse, in suffragiorum paritate neuter sit electus: in imparitate vero, qui numero suffragiorum superior erit, dummodo duas tertias partes, etiam in uno suffragio excellat, electus censeatur » (§§ 3, 4).

5° Cardinales in suffragio ferendo iuramentum praestare debent. « In unoquoque scrutinio, antequam schedula in calicem mittatur, a quolibet Cardinali iuramentum alta et intelligibili voce fiat, his verbi: *Testor Christum Dominum, qui me iudicaturus est, me eligere quem secundum Deum iudico eligi debere, et quod idem in accessu praestabo.* Et hoc iuramentum a nullo omittatur » (§ 5).

6° Suffragiorum schedulae tam scrutinii, quam accessus, ubi fieri possit, impressae omnino sint; vel saltem unius tantum manu conscriptae; ita scilicet ut tam impressae, quam scriptae ea omnia, quae in schedulis huiusmodi exprimi solent, contineant, praeter sola nomina, seu denominationes eligentis et electi, et signa specialiter determinata, quae omnia manu eiusdem eligentis scribantur, et nomen quidem eligentis in prima parte schedulae, electi vero in sequenti, et rursus electi, quantum fieri possit charactere altero, ita ut cognosci non possit. Ea porro pars, in qua nomen eligentis habetur, claudi ac sigillo speciali et omnino secreto obsignari debet. Ut autem videri possit, ne qui alicui accessit eidem in scrutinio suffragium dederit, schedulae omnes duobus aliis signis in ultima parte sunt signandae, numero videlicet aliquo, et brevi dicto S. Scripturae, vel alio huiusmodi, quae signa in utraque schedula tam scrutinii quam acessus eadem sint (§ 6).

7° Pars schedulae, quae predicta signa habet, complicari et ipsa ac obsignari debet, ne a scrutatoribus videri possit, nisi postquam per scrutinium et accessum electio perfecta fuerit; « quo casu schedulae accessus a scrutatoribus ea in parte, ubi duo praedicta sunt signa, aperiantur, iisque inspectis, et earum sigillis, aliae schedulae cum iisdem signis notatae, et in scrutinio datae reperiantur, et videlicet, an duo haec signa et sigillum, eadem sint cognoscatur, et deinde duo suffragia ab eodem Cardinali uni data non fuisse apparet » (§ 7).

8° « At si inter schedulas scrutinii nulla reperitur iisdem signis notata, quibus schedula accessus signata erit, aut si quis eidem accesserit, quem in scrutinio nominaverit, utroque casu suffragium accessus nullum sit. Subscriptio autem, seu nomen eligentis resignari non possit, nisi contingat, ut sigillum, et alia duo praedicta signa sint eadem cum signis et sigillo alicuius alterius Cardinalis, aut alia difficultate cogente » (§ 8).

9° Nomen electi eo modo a Cardinalibus scribatur, prout in folio impresso suffragia notari solent. Ut secreto vero cautius consulatur, schedulae suffragiorum conficiantur, una, seu pluribus in mensis, in media Cappella constitutis, ita a Cardinalibus remotis, et circumseptis, ut quid scribatur ab aliis videri non possit. Si quis autem ob infirmam valetudinem ad mensam accedere nequeat, secreto in suo loco suffragium ferat, et ad aliud accipiendum ultimus scrutatorum accedat (§ 9).

10° Si, scrutinio publicato, electio per consensum duarum partium perfecta nondum fuerit, Cardinales schedulam pro accessu formatam conficere tenentur. « Porro usus schedularum pro accessu talis erit, qui accedere alicui ex nominatis in scrutinio voluerit, eius nomen scribet; qui vero noluerit, ne cognosci possit, cum nulli cedere, in loco nominis scribat, *nemini* » (§ 10).

11° Tam in scrutinio quam in accessu nemo potest plures nominare. Accedere tamen uni ex nominatis in dicta schedula, vel alii, dummodo aliquod aliud suffragium in eodem scrutinio latum fuerit, vetitum minime est (§ 11).

12° Semel dumtaxat accedere licet in uno scrutinio, et per accessum, ab alterius nominatione in scrutinii schedula facta, minime receditur (§ 12).

13° Antequam schedulae sive scrutinii sive accessus aperiantur, omnes a scrutatoribus palam numerentur; si plures vero repertae fuerint, quam sint Cardinales in Conclavi praesentes, omnes comburantur, ac iterum ad suffragia statim deveniatur (§ 13).

14° « Statuimus et ordinamus, quod si aliquem infirmitas impediverit ad scrutinium venire, ad eum adire debeant tres Cardinales, sorte ante scrutinium..... ad hanc rem ea omnibus Cardinalibus per ultimum Diaconorum extracti, cum capsula perforata, sed inani, et palam a scrutatoribus clausa cuius clavis super altare remaneat, et schedulam impressam illi deferre, ipseque illam, sicut alii Cardinales, praevio iuramento suprascripto, secrete conficere teneatur; deinde in capsula conijciat, eaque per eosdem Cardinales relata, et aperta in calicem schedula mittatur. Publicato deinde scrutinio, si accessus agendus erit, ut etiam infirmi accedere possint, unum ex foliis, in quibus nomina Cardinalium et suffragiorum numerus notatur, a tribus Cardinalibus praedictis sumatur, et palam recognito numero suffragiorum, quae quisque in scrutinis tulerit, ad infirmum una cum alia impressa schedula, pro accessu parata, et cum eadem capsula ab iis deferatur. Infirmus vero alicui accedere, vel nemini accedere, debeat, omniaque et singula serventur, quae de scrutinii schedula supra ordinata sunt, sub eadem excommunicationis sententiae poena. At si quis scribere valetudine impediatur, per alium. praevio iuramento, ab eo qui scribet praestando de servando secreto, quod sub eadem excommunicationis poena servari mandamus, scribere libere possit » (§ 15).

15° Tres Scrutatores et tres alii Cardinales eligi debent, qui infirmorum Cardinalium suffragia recipiant, quique, nulla ordinis servata distinctione, immediate ante quodlibet scrutinium per ultimum Diaconorum sorte extrahantur (§. 16).

16° Finito scrutinio et accessu, sive electio secuta sit, sive non, tres alii Cardinales, sorte pariter eligendi, schedulas omnes recognoscere debent, sigillo tamen, et duobus aliis signis, si aperta non fuerint, intactis remanentibus. Quae omnes ac singulae schedulae, sive secuta fuerit electio, sive non, statim palam comburendae sunt (§. 16).

17° Ne diutius protrahatur electio, sub excommunicationis poena bis singulis diebus scrutinium est perficiendum, mane sci-

licet post solitam Missam, et prima quidem die tantum post Cardinalium sacram peractam Communionem, et vespertino tempore hora opportuna, post hymnum *Veni Creator Spiritus,* et orationem de Spiritu Sancto. Id quoque servetur, si Cardinalibus opportuum visum fuerit per viam compromissi procedere. Ter campanula personata, omnes singulique Cardinales, valetudine non impediti, sub excommunicationis latae sententiae poena statim ad scrutinium convenire tenentur (§. 17).

18° Pactiones, promissiones, signa, condicta, foedera aliaque id genus in electione Romani Pontificis absolute prohibentur; ipsaque nulla ac irrita plane sunt (§. 18).

19° Si electio aliter fiat, quam per secreta schedularum suffragia in scrutinio, seu scrutinio et accessu, aut per compromissum, vel quasi per inspirationem, nulla ipso iure et irrita omnino est « et ita electo nullum ius tribuit. Quin imo is non Apostolicus, sed apostaticus sit, et habeatur, et tam ipse, quam eligentes, eiusque fautores et complices sententiam excommunicationis, et anathema, aliasque censuras et poenas invasoribus Sedis Apostolicae a sacris canonibus et Constitutionibus Apostolicis impositas, pariter ipso facto incurrānt ».

2. **Caeremoniale Gregorii XV.** — Iussu et auctoritate eiusdem Gregorii XV editum fuit Caeremoniale ritus electionis Romani Pontificis continens, cuius praecipua capita referenda ducimus.

1° Mane immédiate sequenti post clausum praecedenti nocte Conclave, personata de more campanula, Cardinales, qui infirmitate non sint impediti, ad Cappellam Paulinam convenire debent; ubi, Missa celebrata et sacra Synaxi Cardinalibus refectis, statim ad electionis negotium procedendum est.

2° Electio uno tantum ex tribus modis seu formis peragenda est in Constit. « *Aeterni Patris* » recensitis; aliter facta, nulla irritaque ipso facto erit.

3° Primus modus solet quasi per inspirationem vocari, cum scilicet omnes Cardinales, quasi Spiritu Sancto afflati, aliquem unanimiter et viva voce proclamant. Haec electionis forma non nisi in Conclavi, eoque clauso, fieri potest, omnibus et singulis Cardinalibus praesentibus, nullo eorum dissentiente nulloque praecedente de persona speciali tractatu.

4° Secundus modus est per compromissum, quando scilicet Cardinales committunt aliquibus ex Patribus munus eligendi Pontificem. Cuius formae praxis potest esse huiusmodi. « Primo omnes et singuli Cardinales in Conclavi clauso praesentes, nemine eorum dissentiente, in aliquos ex Patribus compromissum faciunt, exempli gratia in hanc formam: in nomine Domini. Amen Anno ab eiusdem etc. mense etc. die etc. Nos Episcopi, Presbyteri et Diaconi S. R. E. Cardinales omnes et singuli in Conclavi existentes, videlicet N. N. (et singillatim omnes nominentur Cardinales) elegimus et eligimus per viam procedere compromissi, et unanimiter et concorditer, nemine discrepante, eligimus compromissarios N. N. etc. Cardinales, quibus damus plenariam facultatem et potestatem providendi S. R. E. de Pastore sub hac forma videlicet.... (Hic optimum erit, ut Cardinales Compromittentes exprimant modum et formam, secundum quam Compromissarii debent eligere, et secundum quam electus debet censeri verus et legitimus Papa, ut puta si electi sint tres Compromissarii, declarandum est, an ad hoc ut electio sit valida, prius proponere debeant Sacro Collegio personam, vel personas ab ipsis nominandam vel nominandas ad Pontificatum, an vero absolute debeant electionem peragere; an omnes tres debeant convenire in unam personam; an vero sufficiant, quod duo in unam concordent, et an debeant nominare aliquem de Collegio, vel etiam extra Collegium, et alia his similia). His autem vel aliis his similibus expressis, addi compromisso solet tempus, ad quod usque volunt Cardinales, potestatem Compromissarios habere eligendi, et postea subiunguntur haec verba. Et promittimus nos illum pro Romano Pontifice habituros quem DD. Compromissarii secundum formam praedictam duxerint eligendum, vel alia ad formam Compromissariis praescriptam accommodata ».

Completo huiusmodi mandato, Compromissarii seorsim in locum separatum se conferant, ac de electione facienda tractent. Protestatio inter eos praemitti solet, quod per quamcumque prolationem verborum suum dare consensum non intelligunt, nisi in scriptis illum expresse ponant. Et haec protestatio videtur necessaria inter Compromissarios, ut verbis humanis et reverentialibus inter se, sine praeiudicio uti possint.

Facta per Compromissarios electione secundum formam eis

praescriptam, electus per huiusmodi viam compromissi, est canonicus et verus Papa.

4° Tertius modus, seu forma electionis Romani Pontificis ea est, quae vocatur per scrutinium, vel per scrutinium et accessum, quaeque tres actiones continet: *antescrutinium, scrutinium et postscrutinium.*

5° Antescrutinii actus sunt quinque, scilicet praeparatio schedularum scrutinii et accessus, extractio scrutatorum et deputatorum pro votis infirmorum per sortem, scriptio schedularum scrutinii, earum complicatio, et obsignatio.

6° Praeparatio schedularum ad magistros caeremoniarum pertinet, qui eas impressas, ubi fieri poterit, alioquin unius manu scriptas accipient, tam pro scrutinio, quam pro accessu, et ponent in duobus discis, vulgo *bacilli,* quos in mensa ante altare collocabunt, ut inde possint Cardinales, cum opus fuerit, schedulas sumere.

Forma autem schedulae scrutinii. quod eius figuram attinet, erit altera parte longior, hoc est plus longa, quam lata; longitudo eius erit fere palmi, latitudo autem dimidii palmi. In anteriori parte, tria continere debet: *a*) in superiori parte secundum eius latitudinem, duo haec verba (Ego Card.) ponantur, cum tanta ad invicem distantia ut inter ipsa, nomen proprium Cardinalis eligentis scribi possit, et paulo inferius duo circuli parvi ad loca sigillorum indicanda; *b*) in medio scribatur: *Eligo in Summum Pontificem Reverendissimum Dominum meum Cardinalem N. N.*; *c*) in parte inferiori alii duo parvi circuli adsint ad loca sigillorum similiter demonstranda.

Forma vero schedulae accessus, eadem prorsus est ac scrutinii, nisi quod in medio eius, loco verborum (Eligo in Summum Pontificem Reverendissimum D. meum Cardinalem N. N.) ponuntur haec verba: *Accedo Reverendissimo D. meo D. Cardinali N. N.*

In exteriori parte schedularum tam scrutinii quam accessus, quae tergum nominari potest, duo sunt imprimendi limbi ex illis quos ad ornatum librorum impressores adhibent, et vulgari vocabulo, *fregi* nuncupantur, quorum primum circa sui medium continet hoc verbum - *Nomen* - impressum secundum longitudinem ipsius limbi; alterum continet hoc verbum - *Signa* - similiter impressum, ut praecedens. Hi autem limbi excogitati sunt

ad obscurandum diaphanum paginarum, ne scilicet ad lumen, nomina et signa eligentium conspici possint; ubi vero copia impressoris desit, limborum defectus suppleri potest lineis.

6° Secundus actus antescrutinii est extractio Scrutatorum et Deputatorum pro votis infirmorum excipiendis, quae extractio antequam procedatur ad scrutinium, sorte ita facienda est. In uno sacculo aut vase publice ponantur tot schedae vel spherulae ligneae palam numeratae, quot sunt Cardinales in Conclavi praesentes, cum eorum nominibus: deinde per ultimum Diaconum extrahantur primo tres Scrutatores, dein Deputati tres pro votis infirmorum.

7° Tertius actus antescrutinii est schedularum scriptio, sequenti modo facienda. Ad duas vel plures parvas mensas, quae una cum atramento et calamis in loco Cappellae opportuno parari debent, ut qui scribunt conspici possint, quid vero scribitur, non possit; Cardinales accedere debent per ordinem, incipiendo a Decano, ibique sedentes in scabellis paratis schedulam suam ex disco acceptam quisque scribet hoc modo:

In prima parte in spatio inter verba - *Ego Card.* - scribat proprium nomen: in secunda parte nomen illius quem eligit, charactere tamen, quantum fieri possit, alterato, ne quisnam scribens sit agnosci valeat; in tertia vero parte signa ponat, id est aliquem numerum, vel dictum S. Scripturae aut verbum quodcumque.

8° Quartus antescrutinii actus est schedularum complicatio quae, ut expeditius peragi valeat a Cardinalibus, potest a Caeremoniariis Magistris, cum eas praeparant, fieri in hunc, qui sequitur modum. Binae fiant plicaturae ex utraque parte cuiusque schedulae, ita ut nomen eligentis et signa, cum fuerint scripta, tecta ex utraque parte a limbis maneant; dein quod reliquum est ita complicari debet, ut schedula fere ad latitudinem pollicis redigatur.

9° Quintus antescrutinii actus est schedularum obsignatio, quae unicuique Cardinali facienda est in tergo schedularum cum sigillo ad hoc parato, in loco parvorum circulorum ubi cera fuerit posita. Porro sigillum non debet esse solitum Cardinalis, sed aliud, et secrete habitum, ac ita simplex, ut facile notari possit.

10° Scrutinium octo complectitur actus, qui sunt: delatio schedulae, iuramenti praestatio, positio schedulae in calicem, schedularum mixtio, earum numeratio, scrutinii publicatio, schedularum in filum insertio, earum seorsum depositio.

11° Delatio schedulae, iuramenti praestatio et positio schedulae in calicem ita fieri debent. Quilibet Cardinalis, postquam schedulam suam scripserit, obsignaverit et complicaverit, duobus primis digitis eam sumere tenetur, ac elata manu palam deferre ad altare, penes quod stant Scrutatores et in quo paratus invenitur calix ad schedulas recipiendas. Ibi genuflectens, aliquantulum orat; dein surgens alta ac intelligibili voce iurat iuxta hanc formam, quae in tabella super altari posita descripta habetur: *Testor Christum Dominum, qui me iudicaturus est, me eligere, quem secundum Deum iudico eligi debere, et quod idem in accessu praestabo.*

Quo iuramento praestito, schedulam in patenam ponit et per patenam mittit in calicem; dein se ad altare inclinat atque ad suum revertitur locum.

Si Cardinalis ob infirmitatem ad altare pergere nequeat, et praesens in Cappella sit, ultimus Scrutatorum discum cum schedulis ad eum defert; ex quo Cardinalis infirmus unam accipiens, eam in loco suo secrete scribit; deinde, praevio iuramento, schedulam obsignatam et complicatam eidem scrutatori tradit, qui eam palam ad altare defert, et per patenam in calicem immittit.

Si quis vero Cardinalibus in sua cella infirmus degat, tres Cardinales Infirmarii, ut supra deputati, ad eum accedunt cum capsula altitudine unius palmi, in cuius superiori parte sit rima, seu foramen, eius magnitudinis, ut per illam seu illud schedula complicata possit per suam latitudinem in capsulam mitti. Haec capsula, antequam Scrutatores Infirmariis tradant, palam aperienda est, ut ceteri Cardinales eam inanem ac vacuam conspicere valeant; dein claudunt, et clavem super altare ponunt.

Infirmarii autem cum capsula clausa et cum parvo disco, tot schedulas continentes quot sunt Cardinales infirmi, ad unumquemque eorum accedunt. Porro infirmi acceptas ex disco schedulas, secrete scribunt, obsignant et complicant, et, praevio iuramento, in capsulam per rimam immittunt. Quodsi infirmi scribere nequeant, alii eorum arbitrio deligendi, praestito de secreto

servando in manibus Infirmariorum iuramento, praedicta faciunt. His vero ita electis, animadvertendum est non solum iuramenti vinculo eos teneri ad secretum, sed etiam excommunicatione latae sententiae, si contra fecerint, plecti.

Quibus peractis, Infirmarii ad Cappellam revertuntur cum capsula, quam Scrutatores aperiunt et schedulas in ea contentas palam enumerant; tot repertas, quot sunt infirmi, singillatim in patenam ponunt, et per patenam simul omnes in calicem.

12° Quartus scrutinii actus est *permixtio schedularum,* quae fit per primum Scrutatorem, calice, in quo ipsae schedulae positae fuerunt, patena cooperto, pluries agitato.

13° Quintus actus est *schedularum numeratio,* quae palam fit per ultimum Scrutatorem, singulas schedulas ex calice accipiendo, easque in alium vacuum, ad hoc paratum, ponendo. Si numerus schedularum non respondeat Cardinalium numero, omnes, nulla interiecta mora, comburendae sunt; statimque ad nova suffragia procedendum est. Si contra schedularum numerus numero respondeat Cardinalium, prosequendi sunt alii scrutinii actus.

14° Sextus actus est *publicatio scrutinii,* quae fit per Scrutatores qui ad mensam ante altare positam sedent. Hoc modo autem proceditur. Primus Scrutator unam schedulam accipit eamque intactis sigillis, explicat, perspecto in ea electi nomine, illam tradit secundo Scrutatori, qui pariter, eodem electi nomine viso, eam tertio tradit, qui illam alta et intelligibili voce perlegit, ut omnes Cardinales praesentes suffragium signare valeant in folio impresso, quod penes se habent cum nominibus omnium Cardinalium. Si in scrutinii publicatione, Scrutatores inveniant duas schedulas ita complicatas ut ab uno tantum datas fuisse appareat, si quidem unus et idem in utraque electus fuerit, schedulae praedictae haberi ac notari debent pro uno dumtaxat suffragio; si vero diversi fuerint nominati, neutrum suffragium validum est. Scrutinium tamen neutro in casu vitiatur.

15° Septimus scrutinii actus est *schedularum in filum insertio,* quae per ultimum Scrutatorum est facienda, inserendo singulas schedulas, postquam perlectae fuerint, acu cum filo ad hunc effectum parato, in loco, ubi est verbum *Eligo.*

16° Octavus et postremus scrutinii actus est *depositio schedularum* seorsum, quae pariter fit per ultimum Scrutatorem, qui,

finita insertione omnium schedularum in filum, capita fili nodo iungit, et schedulas omnes ita colligatas, in alium calicem vacuum mittit, aut in mensa seorsum ponit.

17° Tertia actio *postscrutinium* nuncupatur, cuius actus, si secuta sit electio per scrutinium, tres tantum sunt, nempe: *numeratio schedularum, recognitio suffragiorum* et *schedularum combustio.*

Si vero per scrutinium non sit secuta electio, actus sunt septem, scilicet: *accessus, sigillorum ac signorum aperitio, eorum adnotatio, examen suffragiorum, numeratio suffragiorum* sive *scrutinii* tantum sive *scrutinii et accessus, eorum recognitio,* ac tandem *schedularum combustio.*

18° Primus actus est *accessus,* qui immediate fit post depositas seorsum scrutinii schedulas, nisi forte in scrutinio Papa iam fuerit electus. Quo in accessu Cardinales omnia servare debent quae in scrutinio peragendo sunt servanda tam in schedularum scriptione, obsignatione, complicatione, delatione et positione in calicem, quam in earum numeratione, publicatione, notatione suffragiorum et insertione in filum ac depositione seorsum, exceptis tamen infrascriptis.

Primo, quod Cardinales schedulas pro accessu sumere debent ex disco schedularum accessus.

Secundo, quod in schedularum accessus scriptione, si Cardinalis nemini velit accedere, debet in media schedulae parte, loco nominis Cardinalis, qui scribendus esset, si ad eum fieret accessus, scribere *Nemini:* schedula porro accessus scribi et obsignari debet cum iisdem sigillis, et signis schedulae scrutinii, sub poena nullitatis suffragii ipsius accessus.

Tertio, quod nequit accessus fieri ad eum Cardinalem, qui in scrutinio unum saltem suffragium non obtinuerit neque ad eum. qui ab ipsomet Cardinali nominatus fuit in scrutinio.

Quarto, quod licet accedere uni ex pluribus a se nominatis in scrutinio, modo aliquod suffragium ex scrutinio obtinuerit.

Quinto, quod in accessu nullum praestari debet iuramentum, cum forma praescripta tum scrutinium quum accessum respiciat.

Sexto, quod Infirmarii deferre debent ad infirmos schedulas accessus, et simul etiam unum folium impressum, in quo sit notatus suffragiorum numerus palam recognitus, quae quisque Cardinalis in scrutinio nominatus obtinuerit.

19° Secundus, tertius et quartus actus postscrutinii sunt *sigillorum et signorum aperitio, eorum annotatio,* et *suffragiorum examen,* qui tunc solum locum habere possunt, quando secuta est electio per scrutinium et accessum; fieri autem debent sequenti modo.

Primus Scrutator schedulas accessus, quas obtinuit electus, in ea tantum parte, quae signa continet, aperit, et diligenter inspectis earum sigillis et signis, apertas ac in filo insertas tradit secundo Scrutatori; secundus vero, eadem inspectione facta, porrigit tertio, qui alta ac intelligibili voce sigilla et signa schedularum enunciat annotatque in latere sinistro folii impressi, ad hunc effectum parati; quam annotationem alii etiam, si voluerint, Cardinales facere possunt in simili folio impresso.

Dein primus Scrutator, ceteris inspicientibus, pro accessuum praedictorum examine capit schedulas scrutinii, et incipiens ab uno capite fili, in quo insertae sunt, sigillum primae eius schedulae quaerit in sigillis accessuum notatis, et si illud in eo non invenerit, omissa prima scrutinii schedula, capit secundam eiusque sigillum similiter quaerit; quod si nondum invenerit, capit tertiam, aliasque singillatim, donec sigillum alicuius earum inveniat. Quo invento, scrutinii schedulam in ea parte, ubi signa sunt, aperit, et si non invenerit signa huius schedulae concordare cum signis accessus, schedulam illam omittit, et aliam sumit. Si vero invenerit signa concordare, ostendit illa secundo, et tertio Scrutatori, qui, diligenti peracto examine super identitate sigillorum ac signorum schedularum scrutinii et accessus, inspiciunt, an idem, vel diversi in utraque schedula sint nominati; si idem nominatus fuerit, suffragium accessus nullum censetur; si vero diversi sint nominati, suffragium validum est.

In hoc casu tertius Scrutator sigillum et signa schedulae scrutinii ipsumque electi nomen enunciat, elata ac intelligibili voce, illud adnotans in latere dextero praedicti folii impressi.

Quod si forte in ista inquisitione contingat duas vel plures schedulas scrutinii reperiri cum iisdem sigillis, et singulis alicuius schedulae accessus, tunc si in earum aliqua electus nominatus fuerit, in alia vero alius, primus Scrutator, reliquis Scrutatoribus inspicientibus, scrutinii schedulas et accessus, in ea etiam parte aperit, in qua est nomen eligentis et accedentis, ut constare possit

de validitate aut invaliditate accessus. Si vero electus in aliqua huiusmodi schedularum scrutinii concordantium cum accessu non sit nominatus, eae schedulae omitti debent atque ad alias procedendum est.

20° Quintus postscrutinii actus est *suffragiorum numeratio* vel scrutinii solius, vel scrutinii et accessus, quae semper fit per Scrutatores, sive electio secuta fuerit, sive non. Eiusmodi suffragiorum numeratio ita fieri debet: Scrutatores in unam summam redigunt suffragia, quae quilibet nominatus in Pontificem obtinuit sive in scrutinio tantum, sive in scrutinio et accessu simul: si invenerint nullum ex nominatis duas tertias partes suffragiorum obtinuisse, non habetur Papa in illo scrutinio vel scrutinio et accessu; si vero invenerint aliquem ex nominatis duas tantum partes suffragiorum obtinuisse, aperire debent schedulam electi, etiam in ea parte, in qua est nomen eligentis; et si quidem ex ea apparuerit electum alii suffragium dedisse, electio censetur canonice facta; si vero constiterit, sibi suffragium dedisse eius electio nulla est ob defectum unius suffragii. Si denique plures duas tertias partes suffragiorum obtinuerint, vel etiam ultra duas tertias, tunc in suffragiorum paritate nullus erit electus; in imparitate vero, ille est canonicus Papa, qui alium superat, etiam in uno dumtaxat suffragio.

21° Sextus postscrutinii actus est *recognitio*, quae per Recognitores fit, sive secuta fuerit electio sive non, inspiciendo tam schedulas scrutinii et accessus, quam suffragiorum annotationes a Scrutatoribus factas, ut per huiusmodi recognitionem constare possit, an Scrutatores sincere et fideliter muneri suo satisfecerint, aut minus. Recognitores sorte eligendi sunt, statim quidem post scrutinium, si in eo secuta sit electio; post scrutinium et accessum, si electio secuta non fuerit.

22° Septimus ac postremus actus postscrutinii est *combustio* omnium schedularum, quae semper et palam per Scrutatores statim post recognitionem facienda est, sive electio sit secuta, sive non.

3. **Constit. « Ad Romani Pontificis » Urbani VIII.** — Urbanus VIII Constit. « *Ad Romani Pontificis* » edendam censuit ut suprema sua auctoritate denuo confirmaret quae sapientissime decreverat Praedecessor Gregorius XV quoad Romani Pontificis electionem. Re quidem vera Constit. Urbani VIII litteraliter re-

latis tum Bulla quum Caeremoniali Gregorii XV, dein concludit: « Nos qui ut rei tam arduae negotium rite et recte procederet, et absolveretur, intentis studiis desideravimus, cum primum (nullis licet suffragantibus meritis) ad Summi Apostolatus apicem assumpti fuimus, animo revolventes quantam in omnium animis Constitutionis executio, et Caeremonialis praedictorum usus approbationem excitarit; ut Constitutio et Caeremoniale praedicta nostra etiam confirmatione roborata inviolabiliter semper observentur providere cupientes, ex mera animi nostri deliberatione et de Apostolicae potestatis plenitudine, ac de Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio et assensu, Constitutionem et Caeremoniale praedicta cum omnibus et singulis in eis, et eorum quolibet contentis clausulis et decretis hac nostra perpetuo valitura Constitutione Apostolica auctoritate confirmamus et approbamus, eaque etiam perpetuo in omnibus futuris Romanorum Pontificum electionibus firmiter et inviolabiliter observari praecipimus et mandamus ».

ARTICULUS III.

De forma electionis iuxta Constit. Pii X, seu iure hodierno inspecto.

Bibliographia: Oietti, op. cit., I, v. *Conclave;* Sollari, *La elezione del Papa,* Perugia 1911; Hilling, *Die röm. Kurie,* 1910; *Th. Qsch. LXXXV,* 1910, 25 ff.

Summarium: 1. Varii electionis modi. — 2. Antescrutinium. — 3. Praeparatio schedularum. — 4. Earumdem sortitio seu extractio. — 5. Scriptura schedularum. — 6. Complicatio earumdem. — 7. Obsignatio seu sigillatio schedularum. — 8. Delatio schedulae, exhibitio iuramenti ac positio schedulae in calicem. — 9. Quomodo Cardinales infirmi suffragium ferant. — 10. Permixtio et numeratio schedularum. — 11. Publicatio scrutinii. — 12. Schedularum in filum insertio ac earumdem depositio seorsum. — 13. Numeratio suffragiorum. — 14.. Recognitio suffragiorum et schedularum combustio. — 15. Secundum scrutinium. — 16. Num invalida fiat electio, si quis sibimet dederit suffragium.

1. **Varii electionis modi.** — Triplici modo seu forma tantum, iure hodierno attento, Pontifex Summus eligi potest, ita quidem ut nisi una aliave ex hisce formis negotium electionis peragatur, nulla irritaque ipsa electio sit.

1° Primus modus quasi *per inspirationem* vocatur; contingit porro cum omnes ac singuli Cardinales, quasi Spiritu Sancto afflati, aliquem unanimi ac viva voce Summum Pontificem proclamant.

Hanc electionis formam quod attinet, plura sunt animadvertenda.

a) Eiusmodi forma nonnisi in Conclavi eoque clauso adhiberi potest.

b) Electio fieri debet iuxta hanc formam ab omnibus et singulis Cardinalibus in Conclavi praesentibus, etiam ab iis, qui ob infirmitatem in cellis detinentur.

c) Omnes singulique Cardinales consentire debent; si unus enim dumtaxat ex ipsis dissentiat, nulla electio ipso iure censetur.

d) Nullus nullave praecedere debet specialis tractatus seu conventio.

e) Per verbum « *Eligo* » intelligibili voce prolatum aut scripto expressum, si voce proferri nequeat, electio facienda est.

Exemplum claritatis gratia afferendum ducimus. Si quis e Cardinalibus, Conclavi clauso nulloque praecedente speciali tractatu, dicat: Reverendissimi Domini, perspecta singulari virtute et probitate Reverendissimi D. N. iudicarem illum eligendum esse in Summum Pontificem, et ex nunc ego ipsum eligo in Papam. Deinde, hoc audito, si ceteri Cardinales, nullo excepto, eodem verbo « *eligo* » intelligibili voce prolato, aut si non potest, scripto expresso, eumdem N. communi consensu eligerent, ipse N. esset canonice electus et verus Papa secundum hanc electionis formam, quae dicitur *per inspirationem*.

2° Alter modus est *per compromissum*, cum scilicet Cardinales aliquibus ex Patribus munus eligendi committunt, ut vice omnium Ecclesiae catholicae de Pastore provideant.

Nonnulla servari debent quoad hanc eligendi formam.

a) Compromissum nonnisi in Conclavi clauso locum habere potest, ita ut, si Cardinales ante ingressum potestatem designandi Pontificem aliquibus ex Patribus concredant, nullitatis vitio subiaceat electio.

b) Omnes et singuli Cardinales, ita quidem ut nullus eorum dissentiat, convenire debent in compromissum faciendum.

c) Vi compromissi, munus Romanum eligendi Pontificem committi non potest nisi aliquibus Cardinalibus non autem aliis clericis aut praelatis.

d) Tres vel quinque aut septem, minime vero plures aut pauciores, eligi debent compromissarii.

e) Forma compromissi haec adhiberi poterit: « In nomine Domin. Amen. Anno, etc. mense, etc. die, etc. Nos Episcopi, Presbyteri et Diaconi S. R. E. Cardinales omnes et singuli in Conclavi existentes, videlicet N. N. (singillatim omnes nominentur Cardinales) elegimus, et eligimus per viam procedere compromissi, et unanimiter et concorditer, nemine discrepante, eligimus compromissarios N. N. et N. Cardinales etc. quibus damus plenariam facultatem et potestatem providendi S. R. E. de Pastore sub hac forma (exprimatur forma, iuxta quam Compromissarii eligere debent).

f) Cardinales in compromisso faciendo eas omnes adponere valent conditiones, quae iuri divino aut naturali vel ecclesiastico non adversantur.

g) Necesse est, ut Cardinales Compromittentes modum et formam exprimant, secundum quam Compromissarii eligere debent, et secundum quam electus verus legitimusque Papa censendus est; v. gr. si electi sint tres Compromissarii, declarandum est an ad hoc ut electio sit valida, prius proponere debeant Sacro Collegio personam ab ipsis ad Pontificatum nominandam; an vero absolute debeant electionem peragere; an omnes tres in unam eamdemque personam convenire debeant; an vero sufficiat quod duo in unam concordent; an aliquem de Collegio nominare teneantur, vel possint etiam aliquem extra eligere, etc.

h) Tempus quoque Cardinales Compromittentes in compromisso clare perspicueque determinare debent, infra quod compromissariis electio peragenda sit, ita quidem ut, assignato tempore elapso, ipso facto cesset eorumdem potestas.

l) Compromissarii suffragium ferre tenentur in loco separato et clauso, non ore tantum prolatum, sed scripto expressum. Quae omnia copulative requiruntur, ita ut si unum aliudve desit, electio irrita sit.

m) Electio per Compromissarios iuxta praescriptam formam peracta, in Conclavi promulganda est; quo facto, electus

per huiusmodi viam compromissi ut verus legitimusque Papa habendus est.

3° Tertius modus seu forma electionis *per scrutinium* vocatur. Haec forma ordinaria nuncupari solet ac reapse est, cum iuxta eamdem fere semper electionem Romanorum Pontificum fieri contingat. Nonnulla animadvertenda sunt.

a) In scrutinio suffragia per schedulas secretas ferri debent.

b) Ille tantum ut verus Pontifex habetur, in quem duae saltem ex tribus partibus Cardinalium in Conclavi praesentium convenerint.

c) Numerus suffragiorum duarum ex tribus partibus Cardinalium in Conclavi praesentium ita est censendus ut in duabus tertiis partibus suffragium electi non numeretur; electi tamen persona, si in Conclavi sit, in numerum Cardinalium computanda est.

d) Caveatur tamen ne quis suffragium sibimet tribuat.

Haec omnia ad validitatem electionis servanda sunt.

2. **Scrutinii ritus.** — Ritus scrutinii tres actiones continet, quarum altera *antescrutinium* dicitur, alia *scrutinium*, tertia *postscrutinium*.

1° *Antescrutinii* actus sunt quinque, scilicet: *praeparatio schedularum, extractio Scrutatorum ac Deputatorum pro votis infirmorum et Recognitorum sorte facienda, scriptio schedularum, earum complicatio, earumdem obsignatio.*

2° Actus *scrutinii* octo numerantur. nempe: *delatio schedulae, iuramenti exhibitio, positio schedulae in calicem, schedularum mixtio, earum numeratio, scrutinii publicatio, schedularum in filum insertio, harum seorsum depositio.*

3° Actus *postscrutinii* tres sunt: *numeratio suffragiorum eorum recognitio, schedularum combustio.*

De singulis clare atque ordinatim nobis disserendum est.

3. **Praeparatio schedularum.** — 1° Munus praeparandi distribuendique schedulas ad Magistros spectat Caeremoniarum, qui singulis Cardinalibus saltem duas vel tres tradere tenentur.

2° Oportet schedulae impressae sint, ubi fieri possit, vel unius manu conscriptae.

3° Forma schedulae, quod eius figuram attinet, erit altera parte longior, hoc est plus longa, quam lata.

4° Modum quod spectat schedulas conscribendi, in anteriori parte seu facie tria comprehendere debet schedula:

In superiori scilicet parte secundum eius latitudinem, duo haec verba **Ego Card.** cum tanta ad invicem distantia ut inter ipsa, nomen proprium Cardinalis eligentis scribi possit, et paulo inferius duo signa, parvorum hemiciclorum instar confecta, ad loca indicanda sigillorum.

In medio schedula continere debet haec verba:

Eligo in Summum Pontificem Reverendissimum Dominum meum D. Cardinalem N. N.

In inferiori parte alia bina signa, hemiciclorum instar pariter confecta, poni debent ad loca sigillorum ostendenda.

Hoc quoad partem anteriorem seu faciem schedulae.

In parte vero exteriori, quae tergum nominari potest, duo limbi imprimendi sunt ex illis, quos librorum inpressores adhibent, et vulgari vocabulo *fregi* nuncupant, quorum primum circa sui medium contineat hoc verbum – **Nomen** – impressum secundum longitudinem ipsius limbi; alterum contineat hoc verbum – **Signa** – similiter impressum.

Eiusmodi limbi excogitati sunt ad paginarum diaphanum obscurandum, ne scilicet ad lumen, nomina et signa eligentium conspici possint.

Quod si limbi per impressorem fieri nequeant, eorumdem defectus lineis suppleri debet.

Haec omnia facile ac perbelle intelliges, si figuras schedularum alibi positas inspexeris (1).

4. **Extractio Scrutatorum, Deputatorum pro votis ingrmorum, et Recognitorum.** — Secundus actus antescrutinii est *extractio,* qua nimirum eliguntur Scrutatores, Deputati et Recognitores.

Ipsam quod attinet haec animadvertenda sunt.

Extractio, antéquam ad scrutinium procedatur, *sorte* fieri debet, et quidem hoc modo. In uno sacculo, aut vase, publice ponantur tot schedulae. vel spherulae ligneae palam numeratae, quot sunt Cardinales praesentes in Conclavi, cum eorum nominibus: deinde per ultimum Diaconum extrahantur primo Scru-

---

(1) Cfr. p. 51 ss. h. v.

tatores tres, postea tres Deputati pro votis infirmorum, qui Infirmarii dici possunt, ac dein Recognitores. Si in extractione Scrutatorum, Infirmariorum et Recognitorum, extracti fuerint Cardinales qui ob infirmitatem aut aliud impedimentum munerious praedictis satisfacere nequeant, alii non impediti, eorum loco, extrahendi sunt.

Facta vero extractione, schedulae seu spherulae eorum, qui extracti fuerunt, in sacculum aut in vas iterum coniici debent.

5. **Schedularum scriptio.** — Tertius antescrutinii actus est *schedularum scriptio,* quae ab unoquoque Cardinali hoc modo fieri debet. In superiori schedulae parte, in spatio inter verba - **Ego Card.** - proprium nomen scribit; dein in secunda parte nomen illius, quem eligit, charactere tamen, quoad fieri possit, alterato, ne quisnam sit scribens agnoscatur; in tertia vero parte signa, scilicet numerum aliquem, et dictum aliquod Scripturae seu verbum, aut aliquid huiusmodi. Pro faciliori intelligentia figuras schedularum inspicias alibi indicatas (1).

Caveant Cardinales ne plura nomina in schedula scribant; secus enim nullum foret suffragium.

6. **Complicatio schedularum.** — Quartus antescrutinii actus est *schedularum complicatio,* quae ut expeditius a Cardinalibus peragi valeat, potest a Caeremoniarum Magistris, cum eas praeparant, fieri in hunc modum. Binae fiant plicaturae ex utraque parte cuiusque schedulae, ita ut nomen eligentis et signa, cum fuerint scripta, maneant tecta ex utraque parte limbis; deinde quod reliquum est ita complicetur ut schedula fere ad latitudinem pollicis redigatur, ceu ex schedulis alibi adnotatis manifesto liquet. Tria animadvertenda sunt.

1° Magistri Caeremoniarum Cardinalibus tradere debent schedulas explicatas; Cardinales vero easdem, postquam scripserint, complicare tenentur iuxta plicaturas a Magistris Caeremoniarum paratas.

2° Secretarius Sacri Collegii et Magistri Caeremoniarum ab aula discedere debent, antequam Cardinales nomen eligendi in schedulis scribere coeperint, ita ut scrutinii tempore Cardinales soli in Cappella maneant.

---

(1) Cfr. p. 51 ss. h. v.

3° Officium ostium claudendi post egressum ex aula Secretarii S. Collegi ac Magistrorum Caeremoniarum ultimo Cardinali Diacono incumbit; ipsiusque semper erit ostium aperire et claudere, quoties nimirum opus fuerit, sive quis exeat sive ingrediatur Cappellam.

7. **Obsignatio schedularum.** — Quintus ac ultimus antescrutinii actus est *schedularum obsignatio.* Ab unoquoque Cardinali fieri debet in tergo schedularum cum cera rubra et sigillo ad hoc parato. Sigillum autem non debet esse solitum Cardinalis, sed aliud, et secrete habitum, ac ita simplex ut facile notari possit, veluti si in sigillo sculpantur aut tres numeri vel tres litterae et numeri aut una tantum imago.

8. **Delatio schedulae, exhibitio iuramenti ac positio schedulae in calicem.** — Quilibet Cardinalis, propriam schedulam, postquam illam scripserit, obsignaverit et complicaverit, duobus primis digitis sumit ac elevata manu palam ad altare, penes quod stant Scrutatores, et in quo est calix magnus ad recipiendas schedulas paratus et patena coopertus defert; ibi genuflectit et aliquantulum orat; dein surgens, alta ac intelligibili voce, iurat iuxta hanc formam, quae in tabella super altari posita descripta habetur:

Testor Christum Dominum, qui me iudicaturus est, me eligere quem secundum Deum iudico eligi debere.

Praestito iuramento, schedulam in patenam ponit et per patenam in calicem mittit; quo facto se ad altare inclinat atque ad suum revertitur locum.

9. **Quomodo Cardinales infirmi suffragium ferant.** — Haec servanda sunt, si Cardinales valeant ad altare accedere.

1° Si quis vero ex ipsis id agere ob infirmatem nequeat, *et praesens in Cappella sit,* ultimus Scrutator ad eum accedit; et Cardinalis infirmus, postquam schedulam in loco suo secrete, ut supra dictum fuit, confecerit, iuramentum praestat; dein ipsam obsignatam et complicatam eidem Scrutatori tradit, qui eam palam ad altare defert, et sine oratione ac iuramento in patenam ponit et per patenam in calicem mittit.

2° Si quis e Cardinalibus infirmus degat *in sua cella,* aliter procedendum erit.

Tres Cardinales Infirmarii sorte extracti, ut superius dictum fuit, ad eum accedunt cum capsula altitudinis unius palmi, in

cuius superiori parte sit rima, seu foramen, eius magnitudinis ut per illud schedula complicata per suam latitudinem in capsulam immitti possit. Hanc capsulam Cardinales Scrutatores debent Infirmariis tradere; antequam vero tradant, eam palam aperire tenentur, ut illam ceteri Cardinales inanem et vacuam conspiciant; dein iidem scrutatores claudunt et super altare clavem ponunt.

Infirmarii autem cum capsula clausa et cum parvo disco sufficientes schedulas continentes, ad Cardinalem infirmum accedunt; qui acceptas ex disco schedulas secrete scribit, obsignat et complicat; dein iuramentum praestat iuxta formam statutam; quo emisso, schedulam in capsulam per rimam mittit.

Quid vero faciendum si Cardinalis infirmus scribere non possit?

In hoc casu vel aliquis ex tribus Cardinalibus Infirmariis, vel alius « ex ordine tamen clericali » seu clericus, non autem laicus, ipsius infirmi arbitrio eligendus iuramentum de secreto servando sub poena excommunicationis latae sententiae in manibus Infirmariorum praestat; quo emisso, schedulam scribit, obsignat et complicat, eamque Infirmariis tradit. Hi porro ad Cappellam cum capsula clausa revertuntur; ibi Scrutatores eam aperiunt, et schedulas in eadem contentas palam numerant; et tot repertas, quot sunt infirmi, ponunt singillatim in patenam et per eam simul omnes in calicem.

Ne autem scrutinii actio nimis in longum protrahatur Infirmarii possunt schedulas suas statim post Decanum conscribere et in calicem mittere; dum vero ceteri Cardinales scrutinium agunt, ad infirmos ipsi pergunt pro eorum suffragis accipiendis.

10. **Permixtio et numeratio schedularum.** — Quartus scrutinii actus est *permixtio schedularum*. Fit a primo Scrutatore hoc modo, calicem scilicet in quo ipsae schedulae positae fuerunt, patena coopertum, pluries agitando.

Numeratio schedularum est quintus scrutinii actus. Fieri debet ab ultimo scrutatore, qui singillatim unamquamque schedulam ex calice sumit et in alium vacuum, ad hoc paratum, ponit. Si numerus schedularum respondeat numero Cardinalium in Conclavi praesentium, prosequendi sunt alii scrutinii actus. Quod si numerus schedularum Cardinalium non respondeat nu-

mero, omnes comburendae sunt, et iterum, id est secunda vice, ad scrutinium, nulla interiecta mora, deveniendum est.

11. **Publicatio scrutinii.** — Sextus actus est *publicatio scrutinii,* quae per Scrutatores, qui sedent ad mensam ante altare positam, fieri debet hoc modo. Primus Scrutator accipit unam schedulam, eamque intactis sigillis explicat et viso in ea schedula electi nomine, eam tradit secundo Scrutatori, qui pariter, eodem electi nomine perspecto, eamdem tradit tertio, qui illam alta ac intelligibili voce perlegit, ut omnes Cardinales praesentes notare possint suffragium in folio impresso, quod penes se habent cum nominibus omnium Cardinalium. Id autem de singulis ceteris schedulis in calice positis, usque ad ultiman, faciendum est.

Si in publicatione scrutinii Scrutatores duas schedulas ita complicatas inveniant ut ab uno tantum datas fuisse appareat, sic distinguere oportet: si unus et idem in utraque electus fuerit, schedulae haberi ac notari debent pro uno dumtaxat suffragio: si diversi contra nominati sint, neutrum suffragium validum est. Scrutinium tamen nullatenus vitiatur.

Finita scrutinii publicatione, suffragia a Scrutatoribus iuxta nomina Cardinalium, qui ea obtinuerunt, in unam summam rediguntur, et in separato folio hoc modo notantur: *Reverendissimus D. Cardinalis A. habet suffragia 20, Reverendissimus D. Cardinalis B. habet suffragia 15, Reverendissimus D. Cardinalis C. habet suffragia 10;* et sic de aliis.

Id consulto praeceptum est, ne Cardinales suffragia singulis vicibus numerare cogantur.

12. **Schedularum in filum insertio ac earumdem depositio seorsum.** — 1° Septimus scrutinii actus est *schedularum in filum insertio,* quae ideo excogitata fuit ut cautius schedulae conservari queant. Haec insertio ab ultimo Scrutatore fieri debet, inserendo unamquamque schedulam, postquam eam perlegerit, acu cum filo ad hunc effectum parato, in loco, ubi est verbum **Eligo.**

2° Octavus ac postremus actus scrutinii est *schedularum depositio seorsum,* quae pariter ab ultimo Scrutatore fieri debet, qui, finita insertione omnium schedularum in filum, capita fili nodo iungit, et schedulas omnes ita colligatas in alium calicem vacuum immittit, vel in mensa seorsum ponit.

13. **Numeratio suffragiorum.** — Tertia ac postrema actio *postscrutinium* appellatur, cuius actus tres sunt, scilicet: *numeratio suffragiorum, eorum recognitio* et *schedularum combustio.*

Primus actus igitur est *numeratio suffragiorum*, quae semper a Scrutatoribus fieri debet, sive secuta sit electio, sive non; et si quidem secuta non sit electio, ut sciatur, quod in eo scrutinio non habetur Papa; si vero secuta sit, ut de canonica eiusdem constet electione. Hoc modo autem suffragiorum numeratio peragenda est. Scrutatores in unam summam suffragia redigunt, quae quilibet nominatus in Pontificem obtinuit; si inveniant nullum ex nominatis duas tertias partes suffragiorum esse assecutum, Papa in illo scrutinio non habetur. Si contra inveniant aliquem ex nominatis duas tantum partes suffragiorum obtinuisse, Scrutatores schedulam electi, cuius sigilla et signa ipsemet nominatus manifestare tenetur ut cognosci valeat, aperire debent etiam in ea parte, in qua est nomen eligentis; et si quidem ex ea appareat electum alii suffragium dedisse, ipsius electio valida est; secus electio nulla censetur ob defectum unius suffragii. Aperitio schedulae electi necessaria non est, si plus quam duas tertias prates suffragiorum ipse obtinuerit.

14. **Recognitio suffragiorum et schedularum combustio.** — 1° Alter postscrutinii actus est *suffragiorum recognitio*, per Cardinales Recognitores semper facienda, sive nimirum secuta sit electio, sive non, inspiciendo tam schedulas scrutinii, quam suffragiorum annotationes per Scrutatores factas, ut per huiusmodi recognitionem constet an Scrutatores sincere ac fideliter muneri suo satisfecerint, necne.

2° Tertius ac postremus actus postscrutinii est *combustio omnium schedularum*, quae *semper* et *palam* ac *statim post recognitionem*, sive electio sit secuta, sive non, per Scrutatores fieri debet, Ministris Caeremoniarum adiuvantibus.

3° Si vero alterum scrutinium, illico post primum peragendum sit iuxta praescriptum art. 76 Constit. « *Vacante Sede Apostolica* », tunc schedularum primi scrutinii combustio in fine, una cum schedulis secundi scrutinii, fieri debet, non antea.

15. **Secundum scrutinium.** — Si in primo scrutinio, de quo fuse huc usque locuti sumus, electio secuta non sit, Cardinales statim procedere debent ad novum scrutinium, semel tam

mane quam vespere, in quo rursus suffragia sua ferant, iis, quae in primo scrutinio lata sunt, minime computatis.

In hoc secundo scrutinio iidem ac in primo ritus servari debent. Tamen non tenentur Cardinales novum emittere iuramentum, neque novos eligere Scrutatores, Infirmarios et Recognitores, cum ea quae in primo scrutinio praestita sunt, sine renovatione etiam pro secundo valeant.

16. **Num invalida fiat electio, si quis suffragium sibi dederit.** — Hanc quaestionem nonnisi hypothetice agimus, cum nequaquam supponendum sit, aliquem e Cardinalibus sibi suffragium dare. Haud nos latet quam plures canonistas invalidam fore in casu electionem contendere. At minus recte.

Distinguere praestat inter electionem quae fit per viam scrutinii, et eam quae fit per viam compromissi.

In priori casu electio minime irrita ac nulla fit ex eo quod quis sibimet suffragatus fuerit, *modo duas tertias suffragiorum partes obtinuerit, eiusdem suffragio non computato.* Ideo art. 75 Const. mandat ut si quis obtinuerit, *tantum* duas tertias partes, schedula ipsius aperiatur, quo dignosci valeat num is sibi vel alii sit suffragatus. Quod si constiterit sibi suffragium dedisse, eius electio est nulla « *ob defectum unius suffragii* » (art. 75), non vero ob aliam rationem. Quo ex principio manifesto liquet, schedulam electo aperiendam necessario haud esse, si is plus quam duas tertias suffragiorum partes obtinuerit.

In altero casu, ubi scilicet per viam compromissi proceditur, nulla fit electio si quis e compromissariis seipsum eligat, ut perspicue constat ex art. 78 memoratae Const.

ARTICULUS IV.

De iis quae sunt vitanda in electione Romani Pontificis.

Bibliographia: Andretias, *De Cardinalium origine ac officio*, lib. I, cap 2, n. 13; Barbatia, l. c.; Bonacina, op. cit., p. 28; Camarda, op. cit. p. 253 ss.; Durandus, lib. 4. sent. dist. 25, quaest. 5; Fagnanus, in cap. *Cum pridem, de pactis*, n. 8 ss.; Fillicius, *De simonia*, tract. III, sect. IV, n 18; Gambara, *Expositio bullae Iulii II*, n. 133; Gibal, *De simonia*, q. 20, consect. 1; Gonzales, in cap. *Cum in Ecclesiis*, n. 5 *de simonia;* Jacobatius, *De Concilio*, lib. IV, art. 14, n. 84; Navarrus, op. cit., consil. 46 s.; Passerini, op. cit., p. 15; Sopranus, op. cit., lib. IV, cap. 2, quaest. 15;

SUAREZ, *De simonia,* lib. IV, cap. 55, n. 25 ss.; TURRECREM., in cap. *Ex parte, de offic. deleg.* n. 6 s.; WERNZ, l. c.

BERTHELET, op. cit., p. 35 ss.; CECCARONI. op. cit., p. 52 ss.

GRAUERT, *Hist. Jahrb.*, to. XIX, p. 827; to. XX, p. 236 ss.

Summarium: 1. Crimen simoniae. — 2. Tractatus de electione Pontificis, eo vivente ac inconsulto. — 3. Veto seu Exclusiva. — 4. Pacta seu conventiones. — 5. Capitula. — 6. Alia quaedam in electione Papae vitanda.

1. **Crimen simoniae.** — Iulius II propter simoniacas artes, quibus Alexander VI vota Cardinalium sibi comparaverat (1), edendam censuit Constitutionem « *Cum tam divino* », 14 ian. 1503, qua gravissimis verbis reprobavit electionem simoniace factam, eamque nullam atque penitus invalidam suprema sua auctoritate declaravit, excommunicationis poena ipso facto incurrenda in delinquentes statuta. Quae Iulii II Constitutio confirmata fuit in Conc. Later. V.

Non abs re erit textum praedictae Constitutionis referre, cum maximi momenti ea sit non modo historico at potissimum iuridico sub respectu considerata.

« Cum tam divino, quam humano iure in spiritualibus praecipue, detestabiliter sit simoniae labes prohibita, et longe magis in electione Romani Pontificis Vicarii Jesu Christi D. N. abominabilis sit, et universali Ecclesiae perniciosa, Nos, qui regimini eiusdem universalis Ecclesiae meritis imparibus annuente Domino praesidemus, cupientes, quantum cum Deo possumus in praemissis pro tantae rei necessitate, ac periculi magnitudine, ut tenemur, in posterum salubriter providere, de Fratrum nostrum S. R. E. Cardinalium consilio, et unanimi consensu, hac nostra perpetuo valitura Constitutione, Apostolica auctoritate, et de potestatis nostrae plenitudine, statuimus, ordinamus, decernimus, et definimus, quod si, quod Deus pro sua clementia, et ineffabili bonitate avertat, contigerit, postquam Nos, vel Successores Nostros successive, et ipse Deus ab huiusmodi universalis Ecclesiae regimine absolverit, humani generis inimico procurante, et ambitione, vel cupiditate ad hoc inclinante, seu impellente, electionem Romani Pontificis ab eo quem eligi contigerit, vel ab aliquo, seu aliquibus de coetu Cardinalium quomodolibet votum dantibus, per simoniacam haeresim in dando, promittendo, vel recipiendo pecunias, bona cuiusque generis, castra, officia, vel beneficia, seu promissiones et obligationes, commissam, per se, vel alium, seu alios quomodocumque, et qualitercumque etiam in duarum partium, vel omnium Cardinalium unanimi concordia, quomodolibet etiam per viam assumptionis,

(1) Cfr. WERNZ, l. c., n. 573.

unanimiter nemine discrepante, etiam sine scrutinio facta, celebrari, vel fie non solum huiusmodi electio, vel assumptio, eo ipso nulla existat, et nulla eidem sic electo, vel assumpto, administrandi in spiritualibus et temporalib facultatem tribuat, sed etiam contra dictum sic electum, vel assumptum, de sim niaca labe, a quocumque Cardinali, qui eidem electioni intervenit, opponi excipi possit, sicut de vera et indubitata haeresi, ita quod a nullo pro R mano Pontifice habeatur, quin imo ipse sic electus, a priori suo Cardinalatu et alio quocumque honore, Ecclesiis cathedralibus etiam Metropolitanis e Patriarchalibus, monasteriis, dignitatibus, et aliis quibuscumque beneficiis e pensionibus, quae tunc obtinebat in titulum, vel in commendam, aut alia quomodocumque eo ipse, absque alia declaratione, privatus existat, et iden electus non Apostolicus, sed apostaticus, et tamquam simoniacus, et haere siarcha, et ad praedicta omnia, et singula perpetuo inhabilis habeatur.

« Nec huiusmodi simoniaca electio per subsequentem ipsius inthronizationem, seu temporis cursum, aut etiam omnium Cardinalium adorationem, seu obediendam, ullo unquam tempore convalescat.

« Liceatque omnibus, et singulis Cardinalibus etiam illius, qui huic simoniacae electioni, seu assumptioni consenserint, etiam post inthronizationem et adorationem, seu obedientiam, ac etiam universo clero et populo romano... a talis electi, etiam inthronizati, obedientia et devotione impune et quandocumque discedere... et eum ut magnum ethnicum, publicanum et haeresiarcham evitare...

« Cardinales vero, qui eum sic simoniace elegerint, a suis Ordinibus et etiam Cardinalatus titulis et honore, ac quibuscumque patriarchalibus, archiepiscopalibus, episcopalibus, et aliis praelaturis ac dignitatibus et beneficiis, quae in titulum vel commendam tunc obtinebant, vel in quibus, seu ad quae ius tunc habebant, absque alia declaratione, privati existant, nisi ab illo penitus et cum effectu discesserint, et reliquis Cardinalibus; qui huiusmodi simoniae non consenserint, infra terminum octo dierum, postquam fuerint ab eis requisiti, personaliter si fieri poterit, alias per edictum publicum, se absque fictione, vel fraude univerint et coniunxerint. Et tunc si praefatis aliis Cardinalibus se univerint, in pristinum statum, et ad pristinos honores, et dignitates etiam Cardinalatus, ac Ecclesias et beneficia, quibus praeerant, et quae obtinebant, reintegrati, rehabilitati, ac restituti, et repositi, ab huiusmodi simoniae labe, et censuris ac poenis ecclesiasticis quibuscumque absoluti eo ipso existant...

« Promissiones quoque, et obligationes, sive sponsiones propterea quandocumque, etiam ante tempus dictae electionis, etiam extra personas Cardinalium per quoscumque alios quamodocumque factae, cum quavis inexcogitabili solemnitate et forma, etiam iurata; conditionales, sive eventuales, et in forma excommissarum ex quacumque causa etiam depositi, mutui, cambii, confessionis de receptis, donationis, arrendamenti, vel venditionis, permutationis, vel alterius cuiuscumque contractus, etiam in ampliori forma Camerae Apostolicae factae; sint nullae et invalidae, et ad exigendum inefficaces, nullusque illarum vigore cogi, vel constringi possit, in iudicio, vel extra,

liceatque omnibus ab illis impune absque aliquo metu, sive periurii nota, recedere.

« Et insuper liceat Cardinalibus, qui electioni praedictae simoniacae interfuerint, et a praefato sic electo discesserint, adhibitis secum aliis Cardinalibus, qui huiusmodi simoniacae electioni consenserint, et postea eisdem Cardinalibus in dicta simonia non complicibus se univerint, si se cum eisdem unire voluerint, alioquin sine eis ad ulterius nihilominus Pontificis electionem, non expectata alia sententia declarationis simoniacae electionis huiusmodi, eadem tamen praesente nostra Constitutione semper in suo robore permanente, libere, alias tamen canonice, devenire, et Concilium etiam generale indicere et convocare in loco idoneo, prout eis videbitur expedire.

« Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, et praecipue fel. rec. Alexandri Papae III quae incipit « *Licet de vitanda discordia* », et aliorum Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum, etiam in Conciliis generalibus editis ceterisque contrariis quibuscumque.

« Inhibentes postremo omnibus et singulis S. R. E. Cardinalibus, qui pro tempore erunt, et eorum sacro Collegio, ne Apostolica Sede vacante, praedictis contravenire, vel contra praemissa, vel aliquod praemissorum statuere, disponere, et ordinare, vel aliquo modo facere, seu attentare praesumant, quocumque exquisito colore, vel causa, sub excommunicationis latae sententiae poena, quam ipso facto incurrant, et a qua nonnisi per Romanum Pontificem canonice electum absolvi possint, nisi in mortis articulo.

« Decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super his, vel aliquo praemissorum a quoquam scienter, vel ignoranter, etiam per Nos contigerit attentari.

« Ut autem praesentis Constitutionis, decreti, statuti, ordinationis, ac inhibitionis nostrae huiusmodi tenor ad omnium notitiam deducatur, volumus praesentes litteras nostras in valvis Basilicae Principis Apostolorum, necnon Cancellariae, ac acie Campi Florae affigi, nec aliam earumdem literarum publicationis solemnitatem requiri, aut expectari debere sed huiusmodi affixionem pro solemni publicatione, et perpetuo robore sufficere.

« Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostrae Constitutionis, ordinationis, statuti, decreti, definitionis, applicationis, approbationis et inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverint incursurum.

« Datum Romanae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo quinto, 19 Kal. febr. Pontificatus nostri anno secundo ».

1° In hac Constitutione plura sapientissime declarantur ac decernuntur.

a) Crimen simoniae in electione Romani Pontificis tam divino quam humano iure prohibita est, utpote in se detestabilis omnino ac universali Ecclesiae maxime perniciosa.

b) Electio simoniaca Pontificis Summi quovis modo peracta est nulla atque invalida ipso iure, ita quidem ut facultatem haudquaquam tribuat sic electo vel assumpto administrandi in temporalibus vel spiritualibus.

c) Quin imo contra eumdem de simoniaca labe, sicut de vera et indubitata haeresi, opponi et excipi potest a quocumque Cardinali, qui electioni adfuit.

d) Simoniace electus privatus eo ipso manet, absque ulla declaratione, Cardinalatu et alio quocumque honore, ecclesiis cathedralibus, metropolitanis et patriarchalibus, monasteriis, dignitatibus aliisque omnibus beneficiis et pensionibus; fitque perpetuo inhabilis ad omnia ac singula praedicta.

e) Electio simoniaca non convalidatur nec per inthronizationem, nec per temporis cursum seu praescriptionis vim, neque per Cardinalium adorationem, neque alío quovis modo, cum nulla ac irrita perpetuo maneat.

f) Cardinales, etiam post inthronizationem, ac adorationem seu obedientiam praestitam, possunt impune discedere a Papa simoniace electo; idemque ius tribuitur universo clero et populo romano, nec non quibusvis officialibus, etsi iuramentum fidelitatis emiserint.

g) Si Pontifex, per simoniae labem delectus, regimini universalis Ecclesiae praesumpserit se ingerere, Cardinales possunt contra eumdem brachii saecularis auxilium postulare, quin ullo modo schismatici fiant.

h) Cardinales, qui simoniace elegerint, ipso facto, absque ulla declaratione, privantur beneficiis et dignitatibus quibuscumque, etiam Cardinalatu, nisi a Papa sic electo penitus et cum effectu discesserint, ac infra octo dies, ceteris Cardinalibus, qui immunes a simoniaca labe sunt, se coniunxerint.

l) Mediatores electionis Pontificis per simoniam, tam clerici quam laici, cuiuscumque dignitatis, qualitatis et ordinis sint, privantur eo ipso omnibus suis ecclesiis, beneficiis, praelaturis et feudis, aliisque quibusvis honoribus et bonis; fiunt inhabiles ad omnia praedicta; praeterea ius activum ac passivum haereditatis amittunt.

m) Promissiones et obligationes cuiusvis generis ac qualibet forma praestitae, etsi iuramento firmatae, quae simoniacam Pontificis respiciunt electionem, nullae ac irritae sunt.

n) Cardinalibus qui complices non fuerint in simoniaca electione, alium Pontificem deligendi datur facultas ac generale Concilium convocandi.

o) Cardinales nihil contra praescriptiones has statuere, disponere aut ordinare valent; idque agere prohibentur sub poena excommunicationis latae sententiae, a qua, excepto dumtaxat mortis articulo, nonnisi per Romanum Pontificem canonice electum absolvi possunt.

2° Nicolaus II ipse in Decreto an. 1059 expressis verbis prohibuit *venalitatis morbum* in electione Romani Pontificis. Hinc acris exorta est controversia, num vi huius Decreti seu ante Constitutionem Iulii II electio Papae simoniace facta nulla esset necne. De hac quaestione fuse loquuntur Michael (1) et Grauert (2), quorum alter validitatem tuetur, alter vero invaliditatem. Opinio cl. Grauert, qui nullam fuisse putat simoniacam electionem vi Decreti Nicolai II, solido fundamento haudquaquam nititur, cum Pontifex prohibuerit quidem *venalitatis morbum* in electione, at minime sub invaliditatis poena. Sane nullitas alicuius actus in tantum admittenda est, iuxta perspicua scholae principia, in quantum de ea expresse in iure decretum fuerit; iamvero Nicolaus II neque explicite neve implicite invalidam esse decrevit electionem Pontifici sub *venalitatis morbo* seu simoniace peractam; ergo eadem nulla minime est. Porro id nullatenus vetat quominus graviter illicita dicenda sit.

3° Controvertitur an Iulius II de quavis simonia tum notoria scilicet quum occulta, locutus fuerit, vel potius, de notoria dumtaxat; itemque an electio simoniace facta ipso iure invalida fuerit, absque ulla declaratione, vel tantum postquam exceptum fuerit contra eamdem.

Camarda (3), Passerini (4), Wernz (5), aliique plures canonistae putant verba Iulii II de simonia *notoria* dumtaxat esse intelligenda. Alii vero, et quidem non pauci, sive ex theologo-

---

(1) *Act. theol. Oenip.*, to. XX, p. 761 ss.; to. XXI, p. 191. ss.
(2) *Hist. Jahrb.*, to. XIX, p. 827; to. XX, p. 236, ss.
(3) Op. cit., p. 256.
(4) Op. cit., p. 128.
(5) L. c., n. 580, nota 62.

rum sive ex canonistarum agmine, fatentur Constitutionem Iulii II quamlibet respicere simoniam, non modo scilicet notoriam sed etiam occultam, ita ut in utroque casu electio simoniaca invalida sit.

Haec postrema sententia videtur omnino respuenda quippe quae principiis iuris canonici ex una parte adversatur, ex altera vero plurimis dubiis iisque difficillimis suapte natura viam recludit. Sane legislator humanus, ecclesiasticus sit aut laicus, in legibus ferendis nonnisi ea quae exterius fiunt ac innotescunt respicere solet, seu quae publica et notoria fieri contingat. Non ideo tamen concludendum est, nos ecclesiastico legislatori abiudicare potestatem actus mere occultos attingendi. Absit omnino.

Praeterea, posteriori admissa opinione, quaeri merito potest: electio nulla ob simoniam occultam invalida perpetuo manet vel potius convalidatur? Et si convalidatur, id fit ex auctoritate Dei vel Ecclesiae? Repugnat profecto electionem Pontificis, nullam ob simoniae labem, numquam convalidari tum quia Ecclesia Pastore toto tempore careret, tum quia fideles illegitimo Pontifici obedientiam praestare cogerentur, quod absonum plane videtur.

Item repugnat Deum invalide electo iurisdictionem pontificiam tribuere; nullibi enim ipse pollicitus est, se etiam illegitime ac invalide delectis successoribus S. Petri potestatem esse concessurum.

Tandem repugnat electionem suapte natura invalidam, ex consensu seu Ecclesiae auctoritate convalidari. Etenim: *a*) Ecclesia ne concipi quidem potest sine legitimo capite, id est Romano Pontifice; *b*) ipsa formam electionis iure communi statutam immutare nequit; *c*) nec iurisdictionem tribuere valet Papae nulliter electo, cum non habeat; nam compertissimum cuique est, Pontifici rite designato potestatem tribui immediate a Deo, minime vero a Sacro Cardinalium Collegio aut ab Ecclesia.

Neve dicas in aliis quoque casibus, accedente nimirum errore communi, Ecclesiam supplere iurisdictionis defectui, v. gr. in confessario vel parocho, etc. Sane aliud est loqui de iurisdictione inferioris et aliud de suprema iurisdictione; ea potest indubie suppleri, haec vero non. Praeterea aliud est loqui de supplenda iurisdictione, cum Ecclesia suum habet legitimum Pontificem, et aliud cum eodem caret.

Quibus omnibus mature perpensis, fatemur nullitatem, de qua est sermo in Constitutione Iulii II, respicere simoniam notoriam, ita quidem ut electio per simoniam occultam valida plane sit, etsi graviter illicita.

Secundum vero quod attinet quaestionis punctum, scilicet an electio Papae ratione simoniae notoriae nulla illico sit habenda vel tantum postquam Cardinales legitime exceperint, ita clare breviterque respondendum ducimus: electio est nulla ipso facto, attamen de nullitate constare nequit nisi post exceptionem a Cardinalibus electioni praesentibus factam.

Eiusmodi exceptio potestne ab aliis etiam Cardinalibus, re cognita, fieri, aut a fidelium coetu? Potest fieri a ceteris Cardinalibus, a clero populoque romano, nec non ab aliis quibuscumque officialibus. Id enim manifesto eruitur ex § 2ª Constitutionis, quae licentiam tribuit Cardinalibus, clero ac populo ceterisque Officialibus impune discedendi a Papa simoniace electo. Iamvero si citra culpam obedientiam detractare Pontifici per simoniam designato fas est, eo ipso excipi quoque potest contra eumdum, modo simonia vere notoria fuerit ac publice constet.

Quapropter in sententiam Camarda (1), quam sequitur Wernz (2), convenire non possumus. « Electio Papae - ait ipse - ratione simoniae non est habenda ut nulla, nisi *aliquis Cardinalium praesentium electioni tempore debito et legitimo exceperit de illa tamquam de indubitata haeresi* ». Quatuor igitur conditiones iuxta Camarda requiruntur ut rite excipi valeat contra Papam simoniace delectum, nimirum: *a*) ut excipiant Cardinales; ideoque excluditur a priori clerus ac populus et quilibet officialis; *b*) et quidem Cardinales, electioni praesentes; *c*) ut exceptio fiat tempore debito ac legitimo; *d*) tandem ut excipiatur tanquam de vera ac indubitata haeresi.

Porro nullum dubium quin exceptio stricto sensu iuridica nonnisi a Cardinalibus, qui reapse electioni adfuerint, fieri queat; quo sensu verba Constitutionis « a quocumque Cardinali, qui eidem electioni intervenit, opponi et excipi possit » esse intelligenda, ipsemet contextus aperto suadet.

---

(1) Op. cit., p. 256.
(2) L. c.

4° Non desunt auctores qui putent eam tantum simoniam nullam efficere Romani Pontificis electionem, quae haereticam labem sapiat ita ut, haeresis specie sublata, electio invalida minime dicenda sit (1). Quod reapse erui videtur ex verbis Constitutionis Iulii II, quae loquitur de *simomoniaca haeresi,* de *vera ac indubitata haeresi,* de *haeresiarcha,* etc. Porro hae similesve phrases haudquaquam significant, distinguendum esse inter simoniam haereticam et non haereticam, ita ut nullam ea reddat electionem, haec autem illicitam dumtaxat. Sane simonia merito considerari potest veluti peccatum contra fidem; ideoque aliquo sensu haeresim sapit.

5° Controvertitur inter theologos et canonistas utrum simonia iure naturali, vel divino - positivo, aut ecclesiastico tantum, invalidam efficiat electionem Romani Pontificis. Ius naturale haudquaquam statuit electionis nullitatem. Ius divino - positivum absolute prohibet simoniacam electionem quavis sub specie, at nihilominus invalidam eam esse nullibi decernit. Proinde electionis invaliditas nonnisi ex iure ecclesiastico repetenda est. Hodie porro nullus datur ambigendi locus post Constitutionem Pii X.

6° Re quidem vera Pius X in saepius cit. Constitutione (2) haec habet: « Simoniae crimen, tam divino quam humano iure detestabile, in electione Romani Pontificis omnino sicut reprobatum esse constat, ita et Nos reprobamus atque damnamus, huiusque criminis reos poena excommunicationis latae sententiae innodamus; *sublata tamen irritatione electionis simoniacae,* quam Deus avertat, *a Iulio II* (vel alio quocumque decreto pontificio) *statuta,* ut praetextus amputetur impugnandi valorem electionis Romani Pontificis ». Si nullitas electionis simoniacae sublata fuit, perspicue sequitur iure ecclesiastico tantum eamdem inductam fuisse; nam quae iure naturali aut divino irrita sunt, haudquaquam valida declarari possunt.

2. **Tractatus de electione Pontificis.** — 1° Symmachus Papa in Concilio Romano (an. 499) c. 2. D. 79, tractatus de Pontificis electione, eo vivente ac inconsulto, sub gravissimis

---

(1) Cfr. Camarda, op. cit., p. 253; Passerini, op. cit., p. 125.
(2) Tit. I.I cap. VI. n. 79.

poenis omnino prohibuit hisce verbis : « Si quis presbyter aut diaconus aut clericus, Papa incolumi et eo inconsulto, aut subscriptionem pro Romano Pontificatu accommodare aut pyctacia promittere, aut sacramentum praebere tentaverit, aut aliquod certe suffragium polliceri, vel de hac causa privatis conventiculis factis deliberare aliquid, atque decernere praesumpserit, loci sui dignitate vel communione privetur ».

2° Paulus IV peculiarem edendam censuit Constitutionem « *Cum secundum Apostolum* », XVII Kal. iam 1558, ut crimen ambitus atque tractatus de Pontificis futuri electione, eo vivente ac inconsulto, solemni oraculo proscriberet et damnaret.

Inter alia pontifex haec decernit: « Omnes et singuli, tam clerici quam utriusque sexus laici, qui per se vel alios, nobis viventibus et inconsultis, vel scriptis aut nunciis cum aliquo de futuro Pontifice eligendo hactenus tractarunt, vel tentarunt, seu in posterum Romano Pontifice vivente et inconsulto tractabunt vel tentabunt, etiamsi, ut praefertur, qualificati, et dignitate, honore et auctoritate et excellentia praedictis praediti existant; sint ipso iure et facto, absque alia desuper ferenda sententia excommunicati excommunicatione maiori, et maledictione aeterna damnati, et ab excommunicatione et maledictione huiusmodi per alium, quam per Nos et Romanum Pontificem pro tempore existentem, praeterquam in mortis articulo absolvi non possint, incurrerintque et incurrant respective crimen simoniacae haereseos, et laesae Maiestatis in primo capite, ac privationem omnis etiam episcopalis, archiepiscopalis, et patriarchalis, de cuiusvis alterius maioris vel minoris dignitatis, ac Cardinatus honoris, nec non ducalis, regalis, reginalis et imperialis auctoritatis et excellentiae, ac omnium et singularum Ecclesiarum, cathedralium quoque, ac prioratuum, aliorumque beneficiorum, et officiorum ecclesiasticorum, cum cura et sine cura, saecularium et quorumvis Ordinum regularium per eorum quemlibet obtentorum, necnon quorumvis fructuum, redditum et proventuum ecclesiasticorum, ac pensionum annuarum super similibus fructibus, redditibus et proventibus, reservatorum et assignatorum, ac regnorum, dominiorum, feudorum, et bonorum spiritualium et temporalium, vel mixtorum, etiam patrimonialium, et allodialium, nec non iurium patronatus, et iurisdictionum quarumcumque : careantque voce activa et passiva, ac

effecti sint et efficiantur respective perpetuo inhabiles et incapaces omnium dignitatum, honorum, bonorum, iurium, et legitimorum actuum, perpetuaque infamia, ubique gentium sint notati, et notentur respective, nec infamia huiusmodi ab eis aboleri, neque ipsi ullo unquam tempore ad vocem, dignitates, honores, bona, iura et actus huiusmodi, nisi ex speciali verbo et mandato Nostro, seu Romani Pontificis pro tempore existentis, Nostra, seu illius manu propria subscripto, ac specifica et individua reatus et culpae suae qualitate expressa, restitui possint ».

Quibus ex verbis colligitur tractantes de futuri Pontificis electione, eo vivente ac inconsulto, hisce poenis innodari:

a) ipso facto excomunicationem maiorem incurrunt, a qua nonnisi per Romanum Pontificem, excepto dumtaxat mortis articulo, absolvi possunt;

b) rei censentur simonicae haereseos ac laesae maiestatis;

c) privantur quovis honore, beneficio et officio, quavis auctoritate ac dignitate, sive ecclesiastica ea sit sive saecularis;

d) privantur etiam iurepatronatus;

e) carent voce activa et passiva, ita quidem ut perpetuo inhabiles sint et incapaces dignitatum, honorum, iurium ac bonorum;

f) perpetua infamia notantur.

Iisdem gravissimis poenis percelluntur quoque omnes ac singuli complices huius delicti, ii nimirum qui « auxilium, consilium, vel favorem, seu operam, verbis vel scriptis, aut re vel facto, seu promissione, pollicitatione, suasione, vel his omnibus insimul, aut quovis alio modo, directe vel indirecte, principaliter vel incidentaliter praestiterunt... aut in praemissis mediatores, proxenetae, nuncii, mandatarii, procuratores seu trapezitae fuerunt » nisi huiusmodi crimen revelaverint.

3° Pius X in memorata Constit. (1) decernit: « Item sub excommunicationis poena prohibemus ne quis, etiamsi Cardinalatus honore fulgeat, vivente Romano Pontifice et eo inconsulto, tractare de ipsius Successoris electione, aut aliquod suffragium polliceri, vel hac de causa privatis conventiculis factis aliquid deliberare et decernere praesumat ». Quamvis Pontifex expresse non declaret, nihilominus indubie censemus heic agi de excommunica-

(1) Tit. II, cap. VI, n. 80.

tione latae sententiae, a qua, praeterquam in mortis articulo, nonnisi Papa absolvere valet.

3. **Veto seu Exclusiva.** — 1° Nullo non tempore Pontifices Romani provide curarunt ut, quovis laicae auctoritatis amoto interventu, plena cum libertate electio Papae fieret. Non defuerunt sane principes qui una aliave forma se in negotio tanti momenti immiscere ausi sint. Antistites Summi non semel ius Ecclesiae solemni oraculo vindicarunt, interventum saecularis potestatis expresse propulsantes. Ita v. gr. Pius IV Constit. « *In eligendis* », Gregorius XV Constit. « *Aeterni Patris* », Clemens XII Constit. « *Apostolatus officium* », Pius IX Constit. « *In hac sublimi* », « *Licet per Apostolicae* », et « *Consulturi* ».

2° Pius X (2) de hac re sic statuit: « In virtute sanctae obedientiae, sub interminatione divini iudicii et poena excommunicationis latae sententiae, omnes et singulos S. R. E. Cardinales, tam praesentes quam futuros, pariterque Secretarium S. Collegii Cardinalium aliosque omnes in Conclavi partem habentes, prohibemus ne, quovis praetextu, a quavis civili potestate munus recipiant *Veto* sive *Exclusivam,* etiam sub forma simplicis desiderii, proponendi, ipsumve hoc *Veto,* qualibet ratione sibi cognitum, patefaciat sive universo Cardinalium Collegio simul congregato, sive singulis purpuratis Patribus, sive scripto sive ore, sive directo ac proxime, sive oblique ac per alios, sive ante Conclave sive ipso durante. Quam prohibitionem extendi volumus ad omnes interventus, intercessiones aliosque modos quoslibet, quibus laicae potestates cuiuslibet gradus et ordinis voluerint sese in Pontificis electione immiscere ».

Fuse de *Veto* alibi nobis disserendum erit.

4. **Pacta seu conventiones.** — 1° Gregorius X Constit. « *Ubi periculum* », § 4, enixe adhortatur Cardinales « ut pensantes attentius quid eis imminet cum agitur de creatione Vicarii Iesu Christi, successoris Petri, rectoris universalis Ecclesiae, gregis dominici directoris, omni privatae affectionis, inordinatione deposita, et *cuiuslibet pactionis, conventionis, obligationis necessitate, necnon condicti et intendimenti contemplatione cessantibus,* non in se reciprocent considerationis intuitum, vel in suos, non quae

(2) L. c., n. 81.

sua sunt, quaerant... sed utilitatem publicam prosequantur ». Dein vero decernit: « Et Nos nihilominus pactiones, conventiones, obligationes, condicta, et intendimenta omnia, sive iuramento sive cuiuslibet alterius fuerint vinculo firmitatis innixa, cassamus, irritamus, et viribus decernimus omnino carere ».

Quibus ex verbis manifesto patet quaevis facta seu conventiones de Pontifice eligendo prorsus vetari eaque vero, si data vel facta sint, nulla esse ac irrita tum in foro interno quum in foro externo, etsi iureiurando firmata.

2° Pius IV Constit. « *In eligendis* », § 26, prohibet quominus Cardinales « *conspirationes, condicta, pactiones et alios illicitos tractatus* » ineant pro deligendo Pontifice. Verum poenam latae sententiae haudquaquam decrevit, sed tantum ferendae sententiae, arbitrio scilicet futuri Pontificis pro rata culpae.

3° Gregorius XV Constit. « *Aeterni Patris* », § 18, Cardinales hortatur ut « omnino abstineant ab *omnibus pactionibus, conventionibus, promissionibus, intendimentis, condictis, foederibus, aliisque quibuscumque obligationibus*... de suffragio dando vel non dando; quae omnia et singula, si de facto intervenerint, etiam iuramento adiecto, nulla et irrita, neque ad eorum observantiam quemquam teneri, aut ex transgressione notam incurrere fidei non servatae decernimus et declaramus: et contrafacientes ex nunc excommunicationis poena innodamus ».

Non modo vetita ac irrita prorsus Pontifex declarat pacta quaelibet, condicta, promissiones et obligationes, at insuper excommunicatione latae sententiae delinquentes percellit.

4° Pius X (1) hac de re statuit: « Cardinales praeterea abstineant ab omnibus pactionibus, conventionibus, promissionibus aliisque quibuscumque obligationibus, quibus adstringi possint, ad suffragium alicui vel aliquibus dandum vel non dandum; quae omnia et singula, si de facto intervenerint, etiam iuramento adiecto, nulla et irrita, neque ad eorum observantiam quemquam teneri decernimus, et contra facientes ex nunc excommunicationis poena innodamus ».

Eae dumtaxat pactiones, conventiones, promissiones et aliae quaecumque obligationes heic prohibentur ac irritae declarantur,

(1) L. c.*i* n. 82.

quae *suffragium alicui vel aliquibus dandum vel non dandum respiciunt;* excommunicatio vero ipso facto incurritur; ab ea, excepto mortis articulo, nonnisi Pontifex absolvere valet..

5. **Capitula.** — 1° Olim capitula fieri solebant cum age retur de novo Pontifice eligendo. Quo nomine veniunt quaedam communi consensu statuta, ad quorum observantiam mutuo sese adstringunt, si ad Pontificatum assumantur. Pius IV Constit. « *In eligendis* » § 3, prohibuit quominus eiusmodi capitula locum haberent. Decrevit sane ut Cardinales, lapsis decem diebus a die obitus Pontificis, statim ad Successorem designandum procedant « omissa omnino capitulorum confectione primis diebus fieri solitorum ». Quam congrue id praeceptum fuerit, nemo est qui non videat.

2° Gregorius XV Constit. « *Aeterni Patris* », § 18, capitula quavis sub forma peracta vetat ac proscribit eadem nulla irritaque decernens. At in Caeremoniali iussu Gregorii XV edito legitur: « Porro *capitula* quae ante electionem fieri solent a singulis Cardinalibus subscribenda, etiam ad favorem Conclavistarum *fieri poterunt,* vel ante ingressum Conclavis, vel post ingressum ». Quomodo haec verba conciliari possunt cum iis quae legantur in Constit. « *Aeterni Patris* », § 18. Optime conciliari valent. Nam Constit. « *Aeterni Patris* » loquitur de capitulis stricto sensu, scilicet de pactionibus seu condictis vel promissionibus, quae suffragium dandum aut non dandum respiciunt; dum e contra Caeremoniale loquitur de capitulis sensu lato id est improprio, de iis nimirum promissionibus quae in favorem Conclavistarum fiunt, quin Cardinales mutuo sese adstringant.

3° Pius X (1) de huiusmodi capitulis statuit: « Pariter interdicimus ne Cardinales antequam ad electionem deveniant, capitula conficiant, seu quaedam communi consensu statuant, ad quorum observantiam sese adstringunt, si ad Pontificatum assumantur; quae item, si de facto intervenerint, etiam iuramento adiecto, nulla et irrita declaramus »,

Capitula omnino vetantur sub nullitatis poena; at censura haudquaquam statuta invenitur contra delinquentes.

6. **Alia quaedam in electione Papae vitanda.** — Antistites Maximi enixe Cardinales adhortantur ut in negotio de

(1) L. c., n. 82.

Pontificis electione unum Deum prae oculis habeant quovis humano affectu postposito ac animi qualibet propensione amota. Sane Gregorius X Constit. « *Ubi periculum* », § 3, eos obtestatur ut « *omni privatae affectionis inordinatione deposita* » de Papa designando cogitent.

Pius IV Constit. « *In eligendis* », § 26, ait: « Cardinales autem per viscera misericordiae D. N. Iesu Christi enixe rogamus, et hortamur ac eis nihilominus sub divini interminatione iudicii praecipimus et mandamus, ut attendentes magnitudinem ministeri... omni dolo ac fraude, factionibus, et animorum passionibus remotis, ac principum saeeularium intercessionibus, ceterisque mundanis respectibus minime attentis, sed solum Deum prae oculis habentes, sese pure, libere, sincere, quiete et pacifice gerere et habere debeant ».

Gregorius XV Constit. « *Aeterni Patris* », § 23, haec habet: « Pro officii nostri debito et rei de qua agitur gravitate, admonemus, hortamur et in domino obsecramus S. R. E. Cardinales, ut attente considerent personae, quam sustinent, officium et dignitatem, quam sacram praeterea et quanti momenti sit opus a quod tractant... ac proinde exuant omnes mundanas curas, et induant solum Dominum Iesum Christum ».

Clemens XII Constit. « *Apostolatus officium* », § 5, hac de re ita decernit: « Itaque etiam sub divini interminatione iudicii eisdem Cardinalibus praecipimus itidem et mandamus, ut in suffragiis ferendis ac aliis omnibus et singulis electionem quomodolibet concernentibus, solum Deum prae oculis habentes, et non sua, sed quae Christi sunt, quaerentes, religiose, sincere et libere, humanis quibusque artibus, factionibus, partium studiis, omnique demum carnis affectu, ac privatis commodis et desideriis remotis, atque principum saecularium intercessionibus, ceterisque mundanis respectibus, ac etiam grati animi et cuiusvis alterius necessitudinis titulo minime astentis et postpositis, se gerant ad eligendum eum, quem universali Ecclesiae fructuose utiliterque gubernandae idoneum secundum Deum indicaverint ».

Pius IX vero Constit. « *Licet per Apostolicas* » et alia « *Consulturi* » vehementer in Domino Cardinales hortatur « ut ad electionem procedant nulla propensione animi vel aversione commoti, nullius inclinati gratia aut obsequio, non intercessione in

saeculum potentium moti, sed fixis in solam Dei gloriam et Ecclesiae utilitatem oculis, eum citius eligere contendant, quem prae ceteris dignum et sedulum universi gregis Christi Pastorem futurum esse existimaverint ».

Fere iisdem verbis utitur Leo XIII Constit. « *Praedecessores Nostri* ».

Tandem Pius X. (l. c. n. 84) ait: « Iisdem denique, quibus Decessores Nostri, vocibus, S. R. E. Cardinales vehementer hortamur ut in eligendo Pontifice, nulla propensione animi vel aversione ducti, nullius inclinati gratia aut obsequio, non intercessione in saeculo potentium, non vi vel metu vel aura populari moti, sed unice Dei gloriam et Ecclesiae bonum prae oculis habentes, in eum sua vota conferant, quem universali Ecclesiae fructuose utiliterque gubernandae prae ceteris idoneum in Domino iudicaverint ».

Quam provide haec statuta sint, nemo est qui non videat, cum negotium de electione Pontificis sit prae aliis sanctissimum et praeclarissimum; iamvero si in omnibus negotiis ipsa ratio suadet ut quaevis humana affectio deponatur, id a fortiori locum habere debet in re maximi momenti, utpote est designatio Vicarii Christi.

CAPUT VI.

Origo historica atque evolutio «exclusivae» seu «Veto»

ARTICULUS I.

Epocha prima.

Bibliographia: Adarzo de Santander, *Dictamen circa exclusivam quandoque a principibus interpositam ne aliquis in summum Ecclesiae pontificem eligatur*, Francofurti, 1660; Buder, *Vindiciae iuris imperatorii adversus Urbis Romae Episcopos*, Iena, 1719; Burchard-Mai, *De R. Pontificis electione Caesarumque circa eam iura*, Kiel, 1729; Estor Joh. Georg, *De iure exclusivae, ut appellant, quo Caesar Augustus uti potest quum patres purpurati in creando Pontifice sunt occupati*, Iena, 1740; Geissau A. F., *Historica narratio iuris, quod imperatores in approbandis pontificibus Ro-*

manis habuerunt, Wien, 1782; HAMMER, *De iure principis catholici circa sacra*, Heidelberg, 1774; HOFFMANN, *Commentatio iuris publici ecclesiastici de iure constituendi pontifices atque antistites ecclesiasticos ab imperatoribus Romanorum, Caesaribus et regibus Francorum et Romano Germanicis usurpato*, Marburg, 1782; LEY, *Quid de exclusiva quam imperator dare solet*, Bamberg, 1771; LÖWEN, *De iure principis catholici circa sacra*, Bamberg, 1754; KEMMERICH, *De iure aug. imperatoris circa constituendum Ecclesiae Romanae caput*, Ienae, 1740; OTTO, *De iure imperatoris circa electionem Pontificis Romani*, Ultraject, 1723; WIPPERMANN, *De fundamentis et indole iuris exclusivae maxime eius, quo Caesar Augustus hodiernus uti potest*, Marburg, 1767.

BENIGNI U., *La galvanizzazione del veto*, in *Miscell. di storia eccles.* 1904, p. 15 ss.; BERTHELET, op. cit., p. 263 ss.; BONGHI R., *Il conclave e il diritto dei governi*, in *Nuova Antologia*, 1872, XXI, p. 657 ss.; 1882, XXII, p. 132 ss.; CECCARONI, op. cit., p. 19 s.; *Civiltà Cattolica*, an. 1872, vol. VII, p. 253 ss.; an. 1908, vol. I, p. 641 ss.; CIPOLLETTA, *Memorie storiche sui Conclavi*, ecc., Milano 1863; DARDANO, *Diario dei Conclavi*, Firenze, 1872; GIOBBIO A., *Austria, Francia e Spagna e l'esclusiva nel Conclave*, Roma, 1903; eiusdem auctoris, *L'esercizio del veto d'esclusione nel Conclave*, Monza, 1897; PIVANO S., *Il diritto di veto, ius exclusivae, nell'elezione del Pontefice*, Torino, 1905.

ARLAUD, *Histoire des Souverains Pontifes jusqu'au règne de Pie VI*, Paris, 1847; *Histoire des Conclaves*, Paris, 1863; LECTOR, op. cit., p. 470 ss.; PETRUCCELLI DELLA GATTINA, *Histoire diplomatique des Conclaves*, Paris, 1865; DELEPOUVE E., *Le conclave et le veto d'exclusion des puissances* in *Rev. cath. d. Inst. et d. droit*, mai, 1904; VIDAL G., *Le veto d'exclusion en matière d'élection pontificale*, 1906; EVRARD M., *Le droit de veto dans les conclaves*, 1908.

BAXMANN R., *Die Politik der Päpste von Gregor I bis auf Gregor VII.* Elberfeld, 1868, I, 27 ff.; DOPFEL H., *Kaisertum und Papstwahl unter den Karolingern*, Freiburg, i. B.; 1889; EISLER A., *Das veto des katholischen Staaten bei der Papstwahl, seit dem Ende des 16. Jahrhunderts*, Wien, 1907; FUNK, *H. J. B. IX. S.*, 224 ff.; GAUGUSCH, *Das Rechtsinstitut der Papstwahl*, Wien, 1905; GRISAR H., *Z. f. kath. Theol. III.* S., 655 ff. IV. S. 468 ff.; *ferner Geschichte Roms und der Päpste in M. A. I.*, Freiburg, i. B., 1901, 574 ff.; HANNY, *Das Vetorecht b. d. Papstwahlen*, 1894; HÄBERLIN, *Römisches Konklave oder gründliche Nachricht von demjenigen, was von dem Tode eines Papstes bis zu der Wahl und Krönung eines neuen in Rom vorzugehen pflegte*, Leipzig, 1769; HEIMBUCHER M., *Die Papstwahlen unter den Karolingern*, Augsburg, 1889; HERRE P., *Papsttum u. Papstwahl im ZA. Philipps II*, 1907; KREYENBÜHL J., *Die Papstwahl u. d. Veto d. kath. Mächte* (*Deutschland*, Mai, 1906, 129 ff.; LANGER J., *Geschichte der röm. Kirche, I. II.*, Bonn, 1885; MACK E., *Das Recht d. Exklusive b. d. Papstwahl*, 1906; MARTENS W., *Die Besetzung des päpstlichen Stuhles unter den Kaisern Heinrich III, und IV.*,

F. i. B., 1887; LINGEN CH., *Ueber kirchl. Gewohnheitsrecht* (*A. f. k. KR. LXXIII*, 1895, 131 ff.); SOUCHON M., *Die Papstwahlen von Bonifaz VIII. bis Urban VI.*, Braunschweig, 1888; ZÖPFFEL R., *Die Papstwahlen vom 11. bis zum 14. Jahrhundert*, Solingen, 1871; SÄGMÜLLER, *Die Papstwahlen u. d. Staaten v. 1447-1555* (*Nikol V, b. Paul IV*). *Eine kirchenrechtl.-histor. Unters. üb. d. Anfang d. staatl. Rechts d. Exkl. i. d. Papstwahl*, 1890; eiusdem auctoris, *Die Papstwahlbullen u. d. staatl. Recht d. Exklusive*, 1892; *Der Anfang d. Auschliessungsrechtes i. d. Papstwahl*, (*Katholik*, 1894, I, 170); *Das Recht d. Exklusive i. d. Papstwahl* (*A. f. k. KR. LXXIII*, 1895, 193 ff.); *Neueste Lösungsversuche i. d. Frage n. d. staatl. Recht d. Exklusive* (*Ebd. LXXVI*, 1896, 25 ff.); WAHRMUND, *Das Ausschliessungsrecht der katholischen Staaten*, etc., Wien, 1888; eiusdem, *Beiträge z. Gesch. d. Exklusionrechtes b. d. Papstwahlen aus röm. Archiven*, (*Sitzungsber. d. Kais. Akad. d. Wiss., phil.-hist. Kl. CXXII*, Wien, 1890 Nr. 13); *Zur Gesch. d. Exklusionrechtes b. d. Papstwahlen i. 18. Jhdt.*, (*A. f. k. KR. LXVIII*, 1892, 100 ff.;) *Die Bulle « Aeterni Patris Filius » u. d. staatl. Einfl. auf d. Papstwahlen*, (*Ebd. LXXII*, 1894, 201 ff.).

BECKER, *Las elecciones pontificias y el derecho de « Exclusiva »* (*Espana moderna, I.*, 1902, 85 ss.); HINOJOSA R., *Felipe II. y el Conclave de 1559 según los documentos originales muchos ineditos*, Madrid, 1889.

Summarium; 1. Origo primaeva historica. — 2. Electio Pii III et Iulii II. — 3. Electio Leonis X. — 4. Electio Adriani VI, Clementis VII et Pauli III.

1. **Origo primaeva historica.** — Nonnulli auctores putant primaeva *exclusivae* vestigia occurrere in electione Clementis V an. 1305. Ita v. gr. opinatur Bonghi (1) et quidam germanicus auctor (2). Haec opinio nullo innititur solido fundamento, imo historia luculenter ostendit eam falsam omnino esse.

Exercitium *exclusivae* ex parte principum nonnisi saeculo XVI primitus occurrit. Inde siquidem a schismate occidentali, id est ab electione Martini VI an. 1417, principes sibimet vindicarunt ius interveniendi in Romani Pontificis electione; at *exclusivam* seu *veto* nullatenus exercuerunt. Et reapse saeculo XV Italiae principes dumtaxat, nimirum Venetiarum, Florentiae, Mediolani ac Neapolis, plus minusve ausi sunt sese immiscere in Summo eligendo Pontifice; cum exterarum reges nationum bellicis negotiis

(1) *Pio IX ed il Papa futuro*, p. 55.

(2) *Ueber die Rechte der Regierungen beim Conclave*, Munich, 1872, p. 11; *Ein Wort über die Papstwahl*, Berlin, 1872, p. 18.

praeoccupati essent. Quapropter electio Eugenii IV an. 1431, Nicolai V an. 1447, Callisti III an. 1455, Pii II an. 1458, Pauli II an. 1464 et Sixti IV an. 1471, facta fuit sine ullo interventu ex parte regum Galliae, Austriae atque Hispaniae. In electione Innocentii VIII an. 1484 *inclusio* quaedam, ut aiunt, occurrit, quatenus rex Neapolis Ferrante volebat ut quatuor Cardinales excluderentur atque Pontifex eligeretur ex candidatis sex propositis (1).

En primaeva historica origo *exclusivae.*

2. **Electio Pii III et Iulii II.** — Verum propriumque *veto*, prout vulgo dicitur, Pii III occasione electionis primum revera occurrit. Tempore obitus Alexandri VI (18 aug. 1503), milites Galliae Hispaniaeque Urbem occupabant, ita ut Cardinales nonnisi post mensem ab obitu Pontificis Conclave ingredi potuerint. Rex Hispaniae, Ferdinandus Aragoniae, qui regnum quoque Neapolis obtinuerat, *inclusionem* trium candidatorum exposcebat; Aloysius XII, Galliae rex, optabat ut singuli propositi ab Hispania excluderentur Cardinales atque ceteris praeferendos significabat Cardinales *Vera* Salernitanum et *Piccolomini* Siennensem, qui postremus reapse suffragia electorum in sui favorem nactus est, quique proinde electus fuit nomen sibimet assumens Pii III.

At morte abreptus est post viginti sex dies a peracta electione.

Iulius *della Rovere,* quamvis aegro animo eum tum Galliae tum Hispaniae rex ferret, nihilominus magnam ob auctoritatem, qua pollebat, supremum adeptus est Pontificatum die 1 nov. 1503. Cum Cardinales Gallici interfuissent Conciliabulo Pisano an. 1509, ab Aloysio XII indicto, ideo Iulius II merito eos exclusos declaravit a futuro Conclavi (2).

3. **Electio Leonis X.** — Anno 1513 diem supremum obiit Iulius II. Imperator Maximilianus non modo singolos Cardinales Gallos exclusos volebat a Conclavi, at insuper Cardinalem de Corneto veluti proprium candidatum eligendum praesentabat. Imperii cupiditas quoad sacras laicasque res illum summopere permovebat. « Le peuple et gentilhommes de Rome ount faet

---

(1) Cfr. PETRUCCELLI, *Histoire diplomatique des Conclaves*, I, 309; SÄGMÜLLER, *Die Papstwahlen* etc., p. 105; WAHRMUND, *Ausschliessungsrecht*, p. 57.

(2) LUCIUS LECTOR, op. cit., p. 521.

ung alliance - ad filiam Margaritam ipse scribebat - et nous ount mandé que yl veolunt estre pour nous faere ung pape à sua poste... Le roy d'Aragon a mandé à son ambaxadeur que yl veulent favoriser le papat à nous » (1). Eo usque terrena ambitio animum ipsius perverterat ut vellet ab Iulio II creari « pour ung coadjuteur affin qu'après sa mort pourrions être assuré d'avoer le papat ut devenir prestre »

Collegium vero Cardinalium iure meritoque deliramenta, ut ita dicamus, imperatoris sprevit, Summum Pontificem eligens die 11 mart. 1513 Leonem X ex celeberrima florentina familia *Medicorum*.

4. **Electio Adriani VI, Clementis VII et Pauli III.** — Leone X vita functo an. 1522, triginta ac novem Cardinales qui Conclave ingressi fuerunt triplicem in partem divisi sunt. Alii siquidem principum Germaniae et Hispaniae placitis favebant; alii Galliae; alii Cardinali nepoti Iulio *Medici*. Cardinales Gallici sese huic potissimum opponebant. Candidatus imperialis creatus fuit, qui nomen accepit Adriani VI.

Quo Pontifice defuncto, difficilior facta est Papae electio ob regum interventum. Etenim Henricus VIII Angliae rex commendabat ministrum suum Wolsey; Carolus V Cardinalem *Colonna* proponebat; Franciscus I prohibuerat quominus suffragium ferrent in favorem candidati imperialis.

Die 9 nov. 1523 Iulius *de Medici* electus fuit, qui nomen assumpsit Clementis VII. Sub huius Pontificis regno plurimae politicae quaestiones habitae fuerunt, ob pravam praecipue agendi rationem Henrici VIII, qui Dei mandata et Ecclesiae iura neglexerat.

Mortuo Clemente VII an. 1534, Papa creatus fuit Alexander *Farnese* seu Paulus III.

Carolus V magnam sibi vindicabat auctoritatem quoad Romanorum Pontificum electionem, ita ut animos Cardinalium iuxta proprium arbitrium permovere conaretur. Et reapse ad Cardinales in Conclavi coadunatos ita ius scribendi sibimet arrogabat: « Attamen nos, quem scimus advocati Ecclesiae munus

---

(1) Cfr. PETRUCCELLI, l. c. Opus PETRUCCELLI *impius libellus* vocari potest cum Sedi Apostolicae plane adversum se auctor consueto pandat.

et provinciam sustinere, eoque nomine ex veteri maiorum instituto in partem huius sollicitudinis esse vocatos.... Proinde Rev. Paternitates Vestras summopere et hortamur et obtestamur ut huic rei omnem curam et cogitationes omnes impendant ».

ARTICULUS II.

Epocha secunda.

Bibliographia: Coggiola G., *I Farnesi ed il Conclave di Paolo IV*, Rigoli, 1900; Bocini, *La elezione di Pio IV*, Venezia, 1845.

Eisler, op. cit., p. 24 ss.; Höfler, *Wahl und Thronbesteigung des letzten deutschen Papstes Hadrian VI*, 1872; *Papst Hadrian VI*, 1880; Hergenröthen, *Spaniens Verhandlungen mit dem römischen Stuhl. I. Die Stellung Spaniens zum römischen Stuhle bis zum Tode Philipps II. Archiv für K. R.*, 1863, X. S. 1, ff.; Phillippson, *Philipp II. von Spanien und das Papsttum. Sybels H. Z.*, 1878, S. 269 ff.; Müller Th., *Das Konklave Pius IV*, 1559; Vermeulen, *Das Leben des Papstes Julius III*, 1889.

Hinojosa R., *Felipe II y el Conclave de 1559 según los documentos originales muchos ineditos*, Madrid, 1889.

Cfr. *bibliographiam art. I h. c.*

Summarium: 1. Electio Iulii III. — 2. Electio Marcelli II et Pauli IV. — 3. Electio Pii IV.

1. **Electio Iulii III.** — Defuncto Paulo III, Cardinales simul in Conclave coeuntes pro novo eligendo Pontifice una aliave praepediti causa tempus terrebant ob iniustas exclusiones ex parte principum. Carolus V potissimum animos Cardinalium in sui favorem nitebatur movere. Die 20 novembris an. 1549 ad eos epistolam scribebat, qua veluti *advocatus Ecclesiae* ius sibi vindicabat illos adhortandi commonendique ut rite ac recte in electione Papae procederent. « Officio nostro deesse remur – ipse aiebat – quin huic rei gravissimae atque maximae partes quoque nostras interponeremus » (1). Epistolam quoque ad legatum suum scripsit ut faveret Cardinalibus *Mendoza* Burgensi et *Reginaldo Polo* Cantuariensi simulque sese opponeret electioni Cardinalium *Salviati, Ridolfi* et *Carafa*.

(1) Cfr. Eisler, op. cit., p. 47; Wahrmund, op. cit., p. 256.

Etiam Henricus II quoad Card. *Reginaldum Polum* ita legato suo mentem significabat: « Je ne me voudrois pas trop me fier à l'anglois.... pour l'invétérée contrariété qui est entre sa nation et la notre; et vous veux bien dire que vous et ceux qui se sont meslé de lui rompre son coup ne m'ont pas fait peu de plaisir et service » (1).

Die 8 februarii an. 1550 Summus Pontifex renuntiatus fuit Cardinalis *Monte,* qui nomen assumpsit Iulii III. Non desunt auctores qui asserant pro ipso quoque latam fuisse *exclusivam;* quod tamen certo nullimode constat. Quidquid vero sit, hoc unum indubie dicimus, nimirum exclusionem praedicti Cardinalis publice factam minime fuisse.

2. **Electio Marcelli II et Pauli IV.** — Iulio III vita functo an. 1555, iterum Carolus V et Henricus II omni studio curarunt ut unum aliumve excluderent Cardinalem ac unum vel alium proponerent eligendum. Die 10 april. electus fuit Cardinalis *Cervini* seu Marcellus II, qui exclusus fuerat tum a Carolo V tum ab Henrico II; exclusio tamen occulta quodammodo remanserat.

Paucos post dies Marcellus ad Superos e vita migravit. Factio imperialis audacior evasit quoad *exclusivam* in Pontificis electione ponendam. Non modo indirecte, sed directe quoque *Veto* asserebatur; non modo legato saeculari aut uno vel alteri e coetu Cardinalium, sed omnibus singulisque factionis Cardinalibus illud notorium fiebat, ut maioris appareret momenti.

Cardinalis *Carafa* suffragia in sui favorem prae aliis nanciscebatur. At imperator exclusionem contra eum explicite posuerat ac viribus cunctis eidem sese per legatos opponebat. Nihilominus, Deo favente, Cardinalis Carafa, vir tum scientia tum pietate praestantissimus, Papa creatus fuit die 23 maii 1555, nomine accepto Pauli IV.

3. **Electio Pii IV.** — Adhuc vivente Paulo III, Ferdinandus Austriae, qui Carolo V successerat, secreto legatos admonuerat ut omnibus modis impedirent quominus Pontifex Romanus eligeretur qui non esset ipsi Ferdinando benevisus. Praecipiebat

---

(1) Cfr. Ribier, *Lettres et mémoires d'État.* Paris, 1666, II, p. 258.

autem Papam creari Cardinalem Gonzaga Mantuae, utpote qui videbatur prae aliis imperio studiose favens (1).

Legatus Thurm reapse sive privatim sive publice nihil omisit quominus votis domini sese facilem praeberet, seu quominus Pontifex designaretur qui acceptissimus foret regi Ferdinando, quod ex epistolis clare perspicueque lucescit (2).

Anno 1559, cum e vita migrasset Paulus IV, Cardinales in Conclavi coadunati scripserunt ad reges Hispaniae et Galliae, ut eorumdem voluntatem cognoscerent quoad personam Papae eligendi. Hoc factum mirum cuique apparet et historice fere inauditum; attamen eius authenticitas in dubium revocari nequit; peculiaribus autem attentis aevi circumstantiis, haud difficulter explicatur (3).

Philippus II, Hispaniae rex, epistolam scripsit ad universum Cardinalium Collegium, qua captiose protestabatur se praepediturum minime fore Cardinalium libertatem in Summo eligendo Pontifice; id dumtaxat se prae oculis habiturum, nimirum ut dignus undequaque eligeretur, qui fidei morumque consuleret integritati ac fidelium et populorum prospiceret bono. Secreto vero idem Philippus exclusum declarabat Cardinalem Gonzaga, cuius e converso electionem rex Galliae valde commendabat, et quodammodo iubebat.

Die 28 dec. 1559 electus fuit Pius IV ex *Medicorum* familia. Hic Pontifex peculiarem edidit Bullam « *In eligendis* », qua plura statuit de electione. Inter alia haec sapientissime ipse decernit: « Cardinales hortamur ac eis sub divini interminatione iudicii praecipimus ut, attendentes magnitudinem ministerii quod per eos tractatur, in dandis suffragiis ac aliis omnibus electionem concernentibus, omni dolo ac fraude, factionibus et animorum passionibus remotis, ac principum saecularium intercessionibus, ceterisque mundanis respectibus minime attentis, sed solum Deum prae oculis habentes sese pure, libere, sincere, quiete et pacifice gerere debeant, nec pro illius electione Pontificis, conspirationes,

---

(1) Cfr. *Lettre au duc de Mantoue, 14 octobre 1559*; *Rapport du comte Thurm, 5 septembre 1559* apud Wahrmund, pp. 260, 359.

(2) Cfr. Wahrmund, l. c.

(3) Cfr. Eisler, op. cit., p. 52 ss.; Lector, op. cit., p. 528.

condicta, pactiones et alios illicitos tractatus inire, signa aut contrasigna votorum suorum alteri dare, minasve aliquibus inferre, tumultus excitare aut alia facere per quae electio retardetur, vel minus libere suffragia praestentur, per se vel alium, directe vel indirecte, quovis dolo, re, vel ingenio audeant ».

Heic quaeri opportune potest num Pius IV citatis verbis prohibuerit *veto* ex parte principum. Lector (1) negativam sequitur sententiam, inquiens : « Les incidents qui avaient marqué son élection donnent un sens précis à la disposition qu'il formulait touchant l'intervention des souverains, laquelle, disait-il, ne saurait avoir, aux yeux des électeurs, que la valeur d'une *recommandation*. Il n'interdit pas les *intercessiones principum ;* mais il défend aux cardinaux de les considérer comme des instructions obligatoires, et déclare que tout *pacte* ou convention par lesquels ils se lieraient d'avance à ces instructions serait illicite ».

Nos affirmativam profitemur sententiam. Et reapse verba «*principum saecularium intercessionibus,* ceterisque mundanis respectibus *minime attentis* » non simplicem dumtaxat monitionem seu commendationem continent, sed veram ac propriam prohibitionem.

Quod aliis plane confirmatur sane verbis : « Cardinales hortamur ac *eis sub divini interminatione iudicii praecipimus* ut... ». Nullum dubium proinde quin Pius solemni prohibuerit auctoritate *exclusivam* seu *veto*.

ARTICULUS III.

Epocha tertia.

Bibliographia : Adarzo de Santander, op. cit., p. 23 ss.; Estor, op. cit., p. 18 ; Wippermann, op. cit., p. 12.

Giobbio, *L'esercizio del Veto d'esclusione nel Conclave*, p. 41 ss.; eiusdem auctoris, *Austria, Francia e Spagna e l'esclusiva nel Conclave*, p. 21 ss.

Lector, op. cit., p. 470 ss. ; Vidal G., op. cit., p. 9 s.

Eisler, op. cit., p. 27 ss. ; Hilliger, *Die Wahl Pius V zum Papste*, Leipzig, 1891 ; Landau, *Rom, Wien, Neaple während des spanischen Erbfolgekrieges*, Leipzig, 1885 ; Sägmüller, *Das Recht der Exklusive* (*Katho-*

(1) Op. cit., p. 529.

tik, 1889, I, S. 589-611); eiusdem auctoris, *Die Papstwahlbullen und das staatliche Recht der Exklusive*, Tübingen, 1892; WAHRMUND, *Das Ausschliessungsrecht*, etc., p. 45 ss.

Cfr. *bibliographiam art. I, h. c.*

Summarium: 1. Electio Pii V. — 2. Electio Gregorii XIII et Sixti V. — 3. Electio Urbani VII et Gregorii XIV. — 4. Electio Innocentii IX et Clementis VIII.

1. **Electio Pii V.** — Licet Pius IV, ut vidimus, prohibuerit *veto*, nihilominus civilis auctoritas uno aliove modo perrexit illud exercere in Summi Pontificis electione. Inde tamen ab hac aetate reges Galliae et Germaniae, cum internis externisque bellis praeoccupati essent, sese aut numquam aut fere numquam immiscere potuerunt in Papae electione; dum e contra rex Hispaniae, *catholicus* nuncupatus, maius in dies sibi vindicabat ius.

Die 9. dec. 1565 Pius IV vita functus est. Philippus II, Hispaniae rex, qui omnia iam praevie disposuerat pro novo Pontifice eligendo iuxta placita sua, coram Sacro Cardinalium Collegio publice declaravit per legatum, se plenam relicturum fore libertatem electoribus, quin quempiam excludere vellet. At secreto exclusivam statuit quoad Cardinales *Gonzaga* et *Farnese;* quatuor autem proposuit candidatos, inter quos aderat Card. *Ghislieri* Ordinis S. Dominici, qui reapse Papa creatus fuit die 7 ian. 1566, nomine assumpto Pii V. Controvertitur inter historicos num huius Pontificis electio sit tribuenda interventui Philippi II, vel minus (1).

2. **Electio Gregorii XIII et Sixti V.** — Pio V adhuc vivente, conspirationes, signa, pactiones aliaque id genus habita fuerant quoad designationem futuri Papae.

Anno 1572 Pius diem supremum obiit. Rex Hispaniae *veto* contra Cardinalem *Farnese* edicit, tres candidatos proponens, ut ex ipsis Pontifex Summus eligatur. Die 13 maii 1572 Papa renuntiatus fuit Hugo *Buoncompagni,* qui nomen sibimet assumpsit Gregorii XIII (2).

Ipso defuncto anno 1585, familia *Medicorum*, assensu obtento ab Hispaniae rege, sedulo curavit tum publice tum privatim ut

(1) Cfr. LECTOR, op. cit., p. 531.

(2) Cfr. WAHRMUND, op. cit., p. 268; EISLER, op. cit., p. 57.

eligeretur Cardinalis *Peretti* ex Ordine S. Francisci. Post Conclave septem hebdomadarum, iste Cardinalis Pontifex Romanus reapse creatus fuit die 24 april. 1585, nomine accepto Sixti V.

3. **Electio Urbani VII et Gregorii XIV.** — Gravis controversia orta est occasione Conclavis anni 1590, cum nimirum, mortuo Sixto V, de successore agebatur designando. Philippus II exclusos declaravit omnes Cardinales a Sixto V electos nec non Cardinales Venetiarum.

Plurimas post contentiones, Pontifex creatus fuit die 15 septembris 1590 Urbanus VII seu Cardinalis *Castagna,* qui nonnisi viginti dies in supremo vixit Pontificatu.

Philippus II eo usque pervenit ut in novo Conclavi septem dumtaxat admiserit Cardinales candidatos, et alios quinquaginta penitus exclusos decreverit. Idque publice ac solemniter declaratum fuit. « Si voleva dare ai futuri Pontefici l'avviso di mostrarsi in tutto benevoli verso il re di Spagna, di non opporsi alla sua volontà, di non arrecargli mai alcun torto » (1).

Forti animo Cardinales audaciae Philippi restitere; eiusdem fautores conabantur sedulo studio demonstrare sua agendi ratione minime regem libertatem electorum coarctare, at solummodo enixe velle ut Papa eligeretur, qui fidei moribusque naviter consuleret atque politicis Galliae rebus opportune finem daret. Nihilominus, ut quidam auctor testatur (2), « tale arroganza ed insolenza dei Spagnuoli che ardivano di dare legge al Collegio dei Cardinali.. era tirannide che da chi era amico della libertà ecclesiastica... non era in alcuna maniera da tollerarsi ». Tandem unus ex septem candidatis a Philippo propositis Pontifex renuntiatus fuit die 5 dec. 1590 scilicet Cardinalis Nicolaus *Sfondrato,* qui nomen accepit Gregorii XIV.

4. **Electio Innocentii IX et Clementis VIII.** — Ne unum quidem annum Gregorium XIV in Pontificatu vixit; nam, morbo repentino correptus, e vita migravit die 15 octobris 1591. Hispaniae rex candidatos sex proposuit, ex quibus die 29 eiusdem mensis Papa creatus fuit Cardinalis *Facchinetti,* qui nomen assumpsit Innocentii IX. Pridie Kal. ianuarii an. 1592 Innocentius

---

(1) Cfr. *Conclavi dei Pontefici,* p. 233.
(2) Cfr. Lector, op. cit., p. 534.

diem supremum obiit; Hispania more solito ius sibi vindicavit nonnullos excludendi Cardinales, inter quos aderat Cardinalis *Aldobrandini*. Sed hac vice fortiter electores praetenso iuri hispanico sese opposuerunt, ita ut die 30 ian. 1592 Pontifex renuntiatus fuerit praedictus Cardinalis *Aldobrandini*, nomine Clementis VIII.

« Le long pontificat de Clément VIII fu le signal de la réation contre les entreprises de l'Espagne. Ce que les minorités avaient dit tout bas, les majorités commencèrent à le dire tout haut et plus d'un théologien romain osa conclure qu'il y avait là une violation des lois canoniques et même une pratique simoniaque. Ce courant d'opinion prit une telle consistance que Philippe II lui même s'en effraya et, pour arrêter le mal, il résolut de provoquer et d'obtenir des solutions théologiques définitives. Il soumit donc les accusations et les doctrines des théologiens romains à une première commission dont faisaint partie le Dominicain Valencio, le Jesuite de Acosta, et l'auditeur de Rote Pena. L'avis de ces premiers docteurs ne le satisfaisant pas pleinement, fut soumis par lui en 1598, à une seconde commission composée des deux confésseurs de la cour et du même Jésuite de Acosta; mais Philippe II étant mort sur ces entrefaites, son fils, Philippe III voulut, à son tour se rassurer la conscience et il constitua une troisième commission à laquelle furent soumises les même questions; commission dont faissaient partie don Juan Jdiaquez, le Comte de Miranda, le Cardinal de Séville, le dominicain de Cordova. Les conclusions de tous ces doctes personnages furent celles-ci: 1° Le Roi catholique, pour sauvegarder ses intérêts, peut licitement exercer son influence sur l'élection du pape; 2° Il peut recourir tant à l'inclusion qu'a l'exclusion pur empêcher qu'un cardinal indigne ne monte sur le trône pontifical; 3° Il lui est permis, à cette fin, d'accorder des pensions et autres avantages, pourvu qu'il n'y ait acun contrat enchaînant la liberté électoral des bénéficiaires (1).

« On a beau dire, comme certains écrivains modernes, que Philippe II était un prince catholique, faisant sienne la cause

---

(1) Cfr. GINDELY, *Zur Geschichte der Einwirkung Spaniens auf die Papstwahlen.* (Sitzb. d. Wiener Akad. Bd. 38).

de l'Eglise, il faut bien convenir que son catholicisme faisait surtout siens les intérêts de l'Eglise universelle et que l'indépendance du S. Siège était le moindre de ses soucis; son zèle allait beaucoup moins à servir la religion qu'à s'en servir; mais avant tout il voulait la dominer. Et de plus, il avait absolument besoin non seulement d'un pape ami, mais d'un pape à lui pour l'achèvement de ses projets en Italie et le succès de sa politique en France (1) ».

Quidquid clar. Lector asserat de praedictae commissionis voto, certo non constat in eadem partem quoque habuisse Cardinalem *de Séville* et dominicanum *de Cordova*. Quaestionem criticae historiae discutiendam definiendamque libenti animo remittimus.

ARTICULUS IV.

Epoca quarta.

Bibliographia: Conring H., *Historia electionis Alessandri VII p. p. cum opusculis variis eiusdem argumenti*, Helmstadt, 1657; Molthen, *Conclave in quo Fabius Chisius postea dictus Alexander VII summus pontifex creatus est*, Schleswig, 1656.

Pallavicini, *Vita di Alessandro VII*, Milano, 1843; Parillo, *L'elezione di papa Innocenzo X*, Roma, 1860.

Histoire du conclave dans lequel fût élu Alexandre VII, Août, 1717.

Eisler, op. cit., p. 65 ss.

Cfr. *bibliographiam art. I, h. c.*

Summarium: 1. Electio Leonis XI et Pauli V. — 2. Electio Gregorii XV. — 3. Electio Urbani VIII et Innocentii X. — 4. Electio Alexandri VII et Clementis IX.

1. **Electio Leonis XI et Pauli V.** — Gravi nationes praedictae, scilicet Hispania, Gallia et Austria, premebantur desiderio iuxta propria placita moderandi Summi Pontificis electionem. Qua in re sedulo animadvertere iuvat, *Veto* etiam post Bullam cit. Pii IV viguisse, quin imo acrius exercitum fuisse a civili auctoritate.

---

(1) Lector, op. cit., p. 538 s.

In Conclavi sane an. 1605 Hispania nonnullos Cardinales publice excludebat, inter quos doctissimus aderat Baronius; Gallia pariter quosdam exclusos decernebat. Simultates plurimae, controversiae innumerae ideo habitae fuerunt (1).

Tandem contra votum regis Hispaniae Pontifex creatus fuit die 1 april. 1605 Leo XI, id est Cardinalis Octavus *de Medicis*.

« Humilié et furieux d'un tel échec, le dépositaire du sécret d'Espagne (*Avila*), prend alors ses mesures pour ne pas se laisser surprendre au Conclave qui va suivre et quand il voit à ce Conclave que la candidature du cardinal de Camerino, exclu par l'Espagne, va trionpher, il se poste devant la porte d'entrée de la chapelle Pauline, à la tête d'une faction de 27 cardinaux, répétant à ceux qui entrent dans la salle de vote: « Je verrai bien, cette fois, qui osera résister à la volonté de mon Roi ». Cette manoeuvre en effet obtient un plein succès. Après diverses exclusions réciproques entre les factions des deux cardinaux-neveux lesquels ont fait d'ailleurs d'etranges chassés-croisés, on en arrive à cette scène dramatique où le huitième jour, les deux groupes se rallient tumultuesement celui d'Aldobrandini et des Espagnols dans la chapelle Pauline, acclamant Tosco; celui de Montalto avec les Français, dans la Sixtine, proclaman Baronius. Mais aucun des deux partis en présence n'avait la majorité: il fallut que, dans la nuit même, les chefs arrivassent à une transaction, et cette transaction, qui fut orageuse, se fit sur la candidature de Camille Borghèse (16 mai 1605), le pape, qui achevant la façade de S. Pierre, y grava son nom: *Paulus V, Burghesius, Romanus!*

« En ces deux Conclaves de 1605, ou en est revenu au procédé classique de l'exclusion par manoeuvres de faction; mais pourtant, remarquons-le bien, le confident espagnol en appelle aussi à la volonté de son roi, et cet appel, dans le termes et dans les circostances où il se produit, doit certainement être considéré comme un pas décisif en avant. Au lieu d'être adressée aux seuls cardinaux amis, de la faction, la notification est en

(1) Hoc tempore opus in lucem exiit primum quoad Romani Pontificis electionem, nimirum: Jérôme Bignon, *L'élection du Pape*, dédia au jeune duc de Vendôme, l'un des fils du Béarnais, 1605.

réalité signifiée au Sacré Collège tout entier. Si la forme en avait été moins incorrecte, et surtout si la notification ne fût pas venue trop tard, c'eût été déjà l'exclusion matérielle sous sa troisième forme, c'est-à-dire, ouverte, publique ou officielle qui dominera, le XVIIe siècle et préparera l'exclusion formelle et péremptoire ». Ita Lucius Lector (1).

2. **Electio Gregorii XV.** — Paulus V diem supremum obiit V Kal. febr. an. 1621. In Conclavi pro successore eligendo magnam partem habuit legatus regis Galliae, qui viribus cunctis excludere conabatur Cardinalem *Campora.* Die vero 9 febr. eiusdem anni, Papa renuntiatus fuit Cardinalis Alexander *Ludovisi,* qui nomen sibimet imposuit Gregorii XV.

Hic Pontifex ea qua pollebat prudentia atque doctrina modum statuit atque perbelle determinavit Summum Pontificem eligendi per Bullam « *Aeterni Patris* ». Inter alia haec sapientissime decernuntur :

« Cardinales omnino abstineant ab omnibus pactionibus, conventionibus, promissionibus, intendimentis, condictis, foederibus, aliis quibuscumque obligationibus, minis, signis, contrasignis suffragiorum seu schedularum aut aliis tam verbo quam scripto aut quomodocumque dandis aut petendis, tam respectu *inclusionis* quum *exclusionis,* tam unius personae quam plurium, aut certi generis, veluti creaturam aut huiusmodi, seu de suffragio dando vel non dando, quae omnia et singula, si de facto intervenerint, etiam iuramento adiecto, nulla et irrita, neque ad eorum observantiam quemquam teneri, aut ex transgressione notam incurrere fidei non servatae, decernimus et declaramus; et contrafacientes ex nunc excommunicationis poena innodamus; tractatus tamen pro electione habendos, vetare non intelligimus ».

Communiter auctores docent (2), nosque indubie affirmamus Gregorium XV hac sua Constitutione propulsare voluisse externae cuiusvis potestatis interventum a sacro Cardinalium Senatu ad Pontificem eligendum vocato; ideoque diserte reprobasse tum *inclusionem* tum *exclusionem* ex parte auctoritatis civilis. Quod

(1) Op. cit., p. 541 s.
(2) Cfr. CAVAGNIS, l. c.; SÄGMÜLLER, l. c.; VAHRMUND, l. c.

sane Pius X explicite confirmat in Constitutione « *Commissum Nobis* » diei 20 ian. 1904.

Valde autem miramur cur sententiam contrariam profiteatur Lector. Ipse enim scribit (1): « Sa Constitution ne parle pas, il est vrai, comme celles de son prédécesseur des *intercessiones principum;* mais elle mentionne expréssément les pratiques de l'inclusion et de l'exclusion. Toutefois c'est à tort que certains auteurs ont voulu y voir la condamnation du *droit* d'exclusion formelle. On a vu que l'exclusion n'était comme *droit,* pas encore exercée et ce que revendiquait Philippe II était bien autre chose. Or on ne condamne pas ce qui n'est pas.

« Mais trouverait-on du moins dans la Constitution de Gregoire XV la condamnation certaine, absolue de toutes pratiques et manoeuvres tendant à l'*exclusio votorum* faite sous l'influence des princes? Nous ne le pensons pas. Le contexte montre que l'auteur de la Bulle *Aeterni Patris* a surtout en vue de défendre aux cardinaux ce que les Constitutions autérieures leur interdisent déjà : les engagements, pactes ou conventions par lesquelles ils *s'engageraient d'avance* à donner ou à refuser leur voix – inclure ou exclure – à des candidats déterminès. Que ces pactes soient de nature politique ou privée, ils sont tous également illicites et nuls; mais, cet élément contractuel écarté, rien n'empêche les cardinaux d'entendre et d'apprécier, dans la pleine liberté de leur conscience, les remontrances ou recommandations des princes. Tel nous parait être le sens naturel de cette célèbre déclaration canonique.... ».

Haec sententia videtur omnino respuenda. Ne dicas porro ipsam facto historico probari, quatenus etiam post Bullam Gregorii XV mos *exclusivae* ad nostra usque tempora viguerit; nam abusus semper habiti fuerunt et habentur, quorum tamen existentia neque ius inducit neque valorem Apostolicarum Constitutionum aufert aut imminuit.

Nihilominus candide fatemur theologos recte non semper interpretatos fuisse praedictam Bullam. Siquidem plurimae ortae sunt quaestiones atque discordiae, ut ex dicendis luculenter patebit.

---

(1) Op. cit., p. 544.

Clariss. auctor Eisler (1) quoddam citat documentum sub titulo « *Quaenam cavere quae vero non teneantur Cardinales in electione Pontificis ex vi Constitutionis Gregorii XV* »; quo in documento duo proponuntur ac diluuntur obiecta seu quaesita, quae nos eruditionis gratia referenda ducimus.

« *Quaeres 6°:* Quid, si concurrant duo, quorum unus excluditur summopere a regibus, sed est dignus, alter vero non est notabiliter indignus, sed minus dignus primo. Quaeritur, quem nam ex istis teneor eligere?

Resp. Omisso priori a regibus excluso teneor eligere secundum quamvis minus dignum. Propterea quia maius damnum imminet ecclesiae ob simultates quae generari solent inter reges et pontifices inter se discordes et diffidentes (experientia teste) quam quod timere poterit ex electione minus digni, qui sit regi benevolus, vel saltem indifferens; dignus autem vel indignus is censetur, cuius electio inutilis vel noxia foret.

« *Quaeres 7°:* Cum in Constitutione Gregorii § 18 prohibeantur conventiones, promissiones, pacta, foedera, intendimenta etc., quid, si concurrat aliquis indignus eligendus, vel alius ex cuius electione grave aliquod dispendium imminere possit Ecclesiae, possumne in tali casu pacta vel promissiones etc. praestare, ut illum excludam?

Resp. Affirmative per Suarez tom. I *de rel. lib. IV cap. L. n. 35*, quod censeo verissimum, si re vera timetur probabiliter fore, ut aliquis ex illis eligeretur, ratio quia ex omnium sententia leges positivae cessant, et non obligant, quando ex illarum observantia damnum notabile emergat rei publicae, vel etiam privatis personis, Suarez *de legibus* lib. VI. c. VII. n. 23. Si igitur in casu nostro ex legis huius Pontificis custodia tot damna totae reipublicae Christianae imminerent, dicendum est cessare, alias inserviret ad facilitandas electiones indignorum, qui lege reportarent commodum, cum autem constet, delinquentes in legem nullum commodum vel auxilium sperare ex lege debere *prima ff. quia frustra de usur.*

« Praeterea pacta et conditiones in casu nostro non tenderent directe ad electionem faciendam, sed proprie ad vexa-

(1) Op. cit., p. 293.

tionem et laesionem Ecclesiae tollendam et iniquitatem impediendam, pro quo solvi leges ecclesiasticae praesumem semper sicut enim quamvis arma prohibeatur clericis, si tamem urget necessitas defendendi Ecclesiam, et alius modus non suppetat, quam armorum auxilium, cessat prohibitio, et potest laudabiliter clericus arma sumere pro Ecclesia defendenda. Ita pariter in casu nostro cessant dictae prohibitiones de pactis etc. quando urget necessitas Ecclesiam defendendi ab indigno Pastore eiusmodi armis, nempe pactis, conventionibus, intendimentis etc. ».

Obiter, ne lectores in errorem inducantur, animadvertimus, ratiocinationem allatam falso inniti fundamento. Pacta siquidem, conventiones aliaquae huiusmodi quoad Romanorum Pontificum electionem non modo iure ecclesiastico prohibentur, sed ipso quoque naturali ac divino iure; quapropter nullo in casu, qua talia, permissa censeri debent.

3. **Electio Urbani VIII et Innocentii X.** — Gregorius XV diem supremum obiit anno 1623. Hispaniae legatus Cardinales certiores facit de exclusione quam rex, imperatore assentiente, contra Cardinales *Borromeo* et *Galamini* refert. Legatus quoque Galliae suos candidatos proponit. Die 6 aug. 1623 Papa renuntiatur Cardinalis *Barberini* seu Urbanus VIII — qui Galliae acceptissimus erat.

Ipse leges praedecessoribus latas quoad Conclave suprema sua auctoritate ratas habuit et confirmavit, quin tamen novi quidquam statuerit. Imo peculiarem Constitutionem paraverat, quam tamen edere non potuit. Nationes *veto* adhuc exercere pergebant, inanibus plus minusve innixae quorundam theologorum sophismatibus.

Constitutio super libertate suffragiorum S. R. E. Cardinalium, quam Urbanus VIII. paraverat, ita se habet:

« Cum in eligendis ecclesiarum prelatis eligentium suffragia a sacris canonibus et constitutionibus Apostolicis omnino requirant libera, eo magis in eligendo Romano Pontifice, Beati Petri Apostolorum principis successore ac Domini nostri Jesu Christi vicario, plena et omnimodo libertas suffragiorum S. R. E. Cardinalium attribuenda est, nec unquam tolerari debet, ut quorumcumque potentium conatibus ipsa suffragiorum libertas integra ipsorumque eligentium securitas quoque modo adimatur, minuatur,

restringatur vel impediatur. — Nos igitur pro nostri muneris Pastoralis debito, ne in re adeo gravi et actione tam periculosa Romanae et universalis ecclesiae, cui autore Domino meritis licet imparibus praesidemus, in aliquo deesse videamur, vestigiisque felicis recordationis Leonis X^mi^ et Pauli IV^ti^ praedecessorum nostrorum inhaerentes, motu proprio certaque scientia et matura deliberatione nostris deque Apostolicae potestatis plenitudine ac de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio hac perpetua constitutione nostra in quibuscumque huius Sanctae sedis futuris vacationibus observanda statuimus et ordinamus, eum vel eos Cardinalem vel Cardinales cuiuscumque dignitatis, qualitatis, potentiae, conditionis prae-emminentiae et status tamen ecclesiastici quam mundani, etiam individua mentione indigentes, existentes et quemlibet eorum, qui hostiliter vel de facto vel per se per alium, directe vel indirecte, sub quovis titulo vel colore seu praetextu, quocumque tempore invadent aut occupabunt, vel alios quomodolibet detinebunt sive destruent aut invadere, occupare vel detinere seu destruere praesumpserit partem aliquam etiam modicam status nostri temporalis ecclesiastici ad Romanam ecclesiam mediate vel immediate pertinentis seu in cuius possessione Sanctae Romanae Ecclesiae per se vel per alium quomodolibet exstiterit aut auxilium, consilium, vel favorem aliquo modo invadenti, occupanti detinenti vel destruenti praestiterint seu dederint, omnibus ecclesiis, beneficiis, officiis, honoribus, dignitatibus etiam Cardinalatus votoque, ac voce activa et passiva ad quamcumque electionem Romani Pontificis, privilegiis quoque, gratiis, indultis et concessionibus, quibuscumque etiam feudalibus et emphyteuticis ac cuiusvis generis facultatibus, tam ab eadem sede, quam ab aliis ecclesis et locis piis, etiam motu, scientia, deliberatione et plenitudine similibus ac etiam consistorialibus sub quibuscumque tenoribus, clausulis et decretis etiam derogatoriarum derogatoriis, etiam ex praetextu meritorum ex quacumque causa quantumlibet onerosa, et alias quomodolibet in eorum suorumque favorem respective comessis et amanatis tenore praesentium perpetuo privamus, ac privatos ac ab eis depositos ac rebelles criminisque laesae maiestatis etiam in primo capite reos ac excommunicatos fuisse et esse eo ipso absque aliqua alia declaratione ac denuntiatione decrevimus, declaramus

et denunciamus, ac pro depositis, privatis, rebellibus, reis, ab excommunicatione maiori innodatis ac declaratis et denunciatis ubique haberi et reputari ab omnibus volumus.

« Cardinalis vero seu Cardinales, qui sede Apostolica vacante exercitum seu milites aut quamlibet armatorum ultra solitam collectionem in confini vel confinibus eiusdem status ecclesiastici vel prope habebunt, seu retinebunt, etiamsi aliquem locum status ecclesiastici praedicti non invaserin vel non occupaverint vel non destruxerint seu ad aliquem hostilitatis actum non devenerint, nihilominus pro ea vice voto ac voce activa et passiva in electione Romani Pontificis in eadem sedis vocatione facienda pariter privamus privatosque fuisse et esse decernimus, declaramus et denunciamus; similiter illum et illos Cardinales, consanguinitate, affinitate usque ad quartum gradum inclusive iure canonico computandum, aliqui ex Principibus, Ducibus, magnis Ducibus, Regibus etiam Romanorum in Imperatorem electis, seu Imperatoribus, aut eorum proregibus, vicariis et gubernatoribus regni vel status, seu exercitus militum ducibus, generalibus aut locumtenentibus vel senatoribus, consiliariis et aliis quomodolibet partem habentibus in regimine et administratione cuiuslibet reipublicae nunc et per tempore existentibus coniunctos seu attinentes. Si ipsi principes, reges seu aliis praedicti aut res publica seu aliquis praedictorum coniunctim vel divisim per se, per alium, seu alios directe vel indirecte, Sede Apostolica vacante invadent aut occupabunt seu detinebunt vel destruent aliquam partem etiam modicam praedicti status ecclesiasticis, seu invadere, occupare, detinere, vel destruere praesumpserit, aut in confinio vel confinibus eiusdem status ecclesiastici sive prope exercitum vel milites aut armatorum collectionem praedictam etiam antea per quoscumque factam ad invadendum, occupandum, detinendum vel destruendum habuerint vel retinuerint, tunc donec, et quousque milites seu armatos praedictos praefectos habebunt, vel respective praedictam status partem occupabunt vel detinebunt, pro ea vice voto, et voce activa et passiva praedictos in electione Romani Pontificis quandocumque facienda privamus, ac privatos ac inhabiles ad praestandum votum et voces fuisse et esse habendos absque aliqua alia declaratione decernimus, declaramus ac denunciamus et pro talibus voto et utraque

voce privatis ac inhabilibus haberi et reputari volumus et mandamus et in omnibus et singulis praedictis casibus Cardinalem et Cardinales praedictos et quemlibet eorum in Conlavi ad eligendum Romanum Pontificem non esse admittendos nec admitti posse nec deberi decernimus, illisque et illis ingressum in Conclave prohibemus. Insuper tam praedictis quam omnibus et singulis Cardinalibus ac Cardinalium collegiis pro tempore existentibus perpetuo inhibemus, ne unquam super praemissis aut eorum singulis aliquid pro evitanda praesentibus constitutionibus observantia tractare, attestari, protestari, affirmare, negare, convenire, declarare, disponere vel alias illi quomodolibet contravenire aut renunciare audeant sub excommunicationis maioris, ac suspensionis a praemissis, eo ipso absque aliqua declaratione incurrendis poenis inhibemus et interdicimus, decernentes, et extendantur clausulae et decreta in forma amplissima ac etiam omnes derogationes etiam conciliorum generalium et universalium ac etiam cum clausula, quotinus opus sit regulae de non tollendo etc. et constitutionis Pii IV^ti ».

(Informationes R. P. Petri Francisci de Rubeis pro camera et sede Apostolica tom. XIII.)

Theologi quidam – ut scribit Lector (1) – « si appuyaient sur l'autorité de St. Thomas (2), pour soutenir que des candidats, dont le choix risquait de provoquer des disputes, des guerres ou des schismes, ne doivent pas être élus; et leurs diplomates faisaient entendre, par des circonlocutions enveloppées, qu'on pourrait amener ce qu'on appellerait aujourd'hui une rupture des rapports diplomatiques » (3).

Acerrime disceptatum fuit, Urbano VIII e vita functo, pro successore eligendo anno 1644. Gallia candidatum sibimet benevisum proponebat Cardinalem *Sachetti;* Hispania illum respuebat, Cardinalem *Pamfili* proponens. Lucta hinc inde orta est, cum utraque natio viribus cunctis niteretur creationem candidati bē-

(1) Op. cit., p. 547.

(2) *Summ. theol.,* 2-2, qu. 6, art. 3.

(3) « Una scrittura fatta dal VALENTINI, confessore del conclave, che mostra non potersi fare per l'occasione che si darebbe a tutti questi principi di sequestrarsi dal commercio dalla Sede Apostolica in tutte quelle cose che non aspettano alla fede o religione ». Cfr. WAHRMUND, op. cit., p. 273.

nevisi a Collegio Cardinalium obtinere. Silentio praeterire non possumus documentum quoddam a clariss. Eisler (1) relatum sub titulo « *Passio Domini Cardinalis Sachetti secundum Mattheum* »; in quo exclusio praedicta Cardinalis iniusta omnino ac impia ostenditur.

Sacrum Collegium vel melius coetus Cardinalium, cui titulus « *Squadrone volante* » hanc declarationem edidit: « Noi cardinali della fattione di Dio, armati di puro zelo e di fede, come rappresentanti i discipoli di Cristo, salvator nostro nel cenacolo a ricevere lo spirito santo per il più importante affare della sua chiesa, che è l'elettione del suo vicario, ci dichiaramo e ci protestiamo, con tutti i fedeli, temendo del giusto e tremendo giuditio di quello, al quale con sì solenne giuramento habbiamo dato la fede d'eleggere uno dei più degni, di voler prima morire qua dentro che di partirci mai per alcun rispetto ò contesa dal nostro giusto ò necessario proponimento tanto più, c'havendo Giesù Christo nostro redentore per difensore d'una causa, che è sua, veggiamo ogni giorno arrollarsi à noi nuovi seguaci e però ci dichiaramo e protestiamo con tutto il popolo fedele del Christianesimo, che non è colpa nostra, se si allunga il dare alla santa sede il suo capo, non potendo senza offesa delle anime nostre concorrere in altro soggetto, mentre non sia eguale a quello, che noi proponiamo ».

Hac tamen occasione « plusieurs cardinaux romains déclarèrent de même *esse illam conscientiae obligationem talem ut si rex Galliae aliquem excluderet, numquam ei suffragaturi essent* » (2).

Tandem die 16 sept. 1644 Pontifex Romanus renuntiatus fuit Cardinalis *Pamfili* – Innocentius X.

4. **Electio Alexandri VII et Clementis IX.** — Cum anno 1655 morte abreptus esset, Cardinales pro deligendo successore convenerunt. *Sacchetti* iterum exclusus fuit ab Hispania iuxta adagium « *semel exclusus, semper exclusus* »; nihilominus plura ipse nactus est suffragia, nimirum 33, ita ut nuncupatus fuerit Cardinalis *triginta tria*. Aegre id ferens Hispaniae legatus

(1) Op. cit., p. 294 s.
(2) Cfr. SÄGMÜLLER *Die Papstwahlbullen*, etc., p. 222 ss.

ad ianuam Conclavis publice *exclusivam* regis Cardinalibus notam fecit. Quamobrem Cardinalis *Chigi* in sui favorem non pauca suffragia postea obtinuit; sed contra ipsum *Veto* Galliae habebatur. Tamen, opitulante Deo, iste Cardinalis die 7 april. 1655 Papa creatus fuit, qui nomen Alexandri VII accepit.

Alexander ad Superos e vita migravit anno 1667. Aloysius XIV *exclusivam* publice minime edixit, at plus minusve notorie favebat Cardinalibus *Sacchetti*, *Albizi* et *Rospigliosi*, qui Pontifex Summus renuntiatus fuit die 20 iunii 1667, quique nomen assumpsit Clementis IX.

Hoc tempore plurimae disputationes habitae sunt circa *exclusivam*. Lector scribit (1): « Nous avons parlé des discussions théoriques sur la valeur de l'intervention des princes que tous ces agissements provoquèrent, mais il n'est pas inutile d'y revenir. D'après un rapport en date du 27 août 1644, du duc Savelli, ambassadeur de l'Empereur, le religieux jésuite Valentini, confesseur du Conclave, avait rédigé une note confirmant, en cette matière, les conclusions du cardinal Albornoz, plénipotentiaire Espagnol. Cette note disait, en fin de compte :

« 1° que la confiance et la harmonie devaient régner entre le Pape et les princes chrétiens pour amener la paix universelle et faire cesser les maux de la guerre, et qu'il importait de choisir le futur Pape en vue de cette nécessité;

« 2° qu'une rupture, fut-elle simplement politique, entre le S. Siège et le souverain d'un grand pays catholique, constituerait un danger dont les cardinaux seraient coupables devant Dieu s'ils la provoquaient par l'élection inconsidérée d'un candidat exclu par les couronnes. L'auteur concluait à la soumission envers le roi d'Espagne et ses exclusions.

« Le cardinal Rapaccioli répondait à cette consultation en s'élevant vivement contre la prétention de ne motiver l'exclusion que sur la volonté du roi d'Espagne. Ce souverain, disait-il, n'avait qu'à donner des motifs et à persuader les cardinaux par des bonnes raisons... Agir autrement, de la part du Conclave, et accepter la doctrine du jésuite, ce ne serait pas seulement se mettre sous le joug de l'Espagne, mais ce serait conférer le même droit au roi

(1) Op. cit., p. 551.

de France bien que celui-ci ne soit représenté que par cinq cardinaux en regerd des vingt-cinq dont dispose l'Espagne.

« Il ne prétendait pas d'ailleurs s'opposer à toute exclusion; mais il soutenait que, recevable en certains cas déterminés l'exclusion ne l'était pas toujours, et que même il fallait, pour qu'il y eût obligation morale à en tenir compte, que le mal résultant de son rejet fût parfaitement certain et evident.

« Onz ans plus tard lors de la seconde exclusion de Sacchetti, le cardinal Albizzi, théologien docte et indépendant, rédige un traité dans lequel il combat l'exclusion, en développant les raisons que les canonistes font valoir en tout temps contre l'ingérence séculière dans les élections ecclésiastiques.

« Il admet bien que dans certains cas, les souverains puissent adresser d'amicales remontrances aux cardinaux, mais il ne veut pas qu'ils usent de menaces, ni qu'ils prétendent parler d'autorité... Albizzi avait invoqué l'autorité d'un autre théologien jésuite, le savant cardinal De Lugo (1); mais celui-ci répliqua par une attaque vigoreuse contre la thèse absolue d'Albizzi. Pisan en principe que le plus digne doit être jugé, non d'après ses qualités personnelles mais par rapport au service de l'Eglise, l'éminente Jésuite, après avoir rappelé que Sacchetti était exclu par le roi Catholique pour sa trop grande liaison avec Mazarin, soutenait qu'élire un cardinal tenu en défiance par le plus grand monarque de la chrétienté était un danger pour l'Eglise. " Si, ajoutait-il, les princes temporales ne peuvent prendre part à l'élection du pontife suprême, rien, dans les canons et constitutions apostoliques, ne leur défend de demander, dans des formes convenables, aux cardinaux amis ou sujets, de ne pas concourir à l'élection d'un candidat qui n'a pas leur confiance. ,, Et ainsi – concluait-il – il est injuste de censurer les cardinaux qui sont disposés à déférer au désir de sa Majesté Catholique.

« Cette curieuse polémique donna naissance à une série d'opuscules, qui presque tous développérent, plus ou moins, les considérations du Cardinal de Lugo ».

Auctor huius dissertationis est ne revera Cardinalis De Lugo?

---

(1) Cfr. quae inferius dicuntur de hac dissertatione Cardinali De Lugo tributa.

Non desunt scriptores qui id omnino negent, putantes impossibile omnino esse ut vir scientia, pietate atque virtute praestantissimus, utpote qui fuit Cardinalis De Lugo e Societate Iesu, abusum nationum circa *Veto* doctrina et auctoritate sua tueri potuerit ac firmare. Alii affirmant absolute praedictam dissertationem conscriptam reapse fuisse a Cardinali De Lugo, cum Codex 220 Bibliothecae Corsini (Romae) ipsi explicite eam tribuat.

Contra *exclusivam* adest celebris dissertatio P. Valeriani Mangioni (1).

Quidquid sit iuridice ac theologice loquendo de controversia quoad *Veto*,. hoc indubie putamus falsas tunc temporis opiniones diffusas perperam fuisse ab aulicis scriptoribus ut ius *exclusivae* in favorem principum assererent ac vindicarent.

Quae falsae opiniones hisce verbis historicis documentis enucleantur: « Licitum est christiano principi, maxime habenti provincias dissitas et non continguas, diligentiam adhibere per media licita, ut ille in Summum Pontificem eligatur, qui toto pectore pro pace publica incumbat qua media vasalli sui quietam ac tranquillam vitam ducant... Dico, non modo hoc est licitum principi christiano, sed etiam adeo tenetur iure naturae item ex iustitia ex fidelitate et ex charitate... Licite possunt, immo debent eminentissimi electores audire ministros principis Exclusivam repraesentantis. Probatur, nam electores ratione sui muneris sunt iudices de maiori dignitate eligendi; ergo debent habere notitiam perfectam, non in abstracto et in genere de qualitatibus constituentibus maiorem dignitatem et de vitiis eam evertentibus, sed debent habere notitiam in concreto de illis, hoc est, de eo quod Caius quem eligere desiderant habeat praedictas bonas qualitates et careat vitiis nocentibus hic et nunc. Tunc sic; sed de eo, quod Caius careat vitiis contrariis bonis illis qualitatibus hic et nunc desideratis non est facile, imo est difficile habere perfectam notitiam, si elector tantum innitatur communi et familiari consuetudini et ex alia parte facillimum est, illam habere, si audiat, Exclusivam repraesentantem » (2).

---

(1) Cfr. Archivio Vaticano *Miscellanea*, Arm. XV, Cod. 110, N. 20.

(2) *Dictamen Fr. Gabrielis Adarzo de Santander, Episcopi Viglevanensis, ad interrogata respondens circa Exclusivam, quandoque a Principibus interpositam, ne aliquis in summum Ecclesiae Pontificem eligatur.* Francofurti 1600.

ARTICULUS V.

Epocha quinta.

Bibliographia: Becatini, *Storia di Pio VI*, Venezia, 1801; Berthelet, *Storia e rivelazioni sul Conclave del 1903; L'elezione di Pio X*, Torino, 1904; Calvi, *Curiosità storiche e diplomatiche del secolo decimottavo*, Milano, 1878; Capello G., *Il conclave di Venezia 1800, ossia Ricordi e documenti sul conclave di Venezia, raccolti da Alberto Lumbroso*, Roma, 1903; De Cesare R., *Il Conclave di Leone XIII, con documenti*, Città di Castello 1887; *Conclave di Clemente X diviso in sei discorsi curiosi e politici*, Lucca, 1672; Dardano F., *Diario dei Conclavi*, Firenze, 1879; Silvagni, *Il conclave di Leone XIII* in *nuova Antol.*, 1887, n. 3.

Bild, *Christine de Suède et le conclave de Clemens X (1669-1670)*, Paris, 1906; Cortis J., *Le veto de l'Autriche au conclave de 1903 devant la conscience et l'opinion publique* in *La Papauté et les peuples*, janvier 1904; Gendry, *Le conclave de 1774-1775*, in *Revue des questions hist.*, 1892, p. 450 s.; *Memoires des intrigues du conclave de l'an 1689 pour l'élection du p. p. Alexandre VIII*, p. 10 ss.; Masson F., *Le pape et le Conclave*, Paris, 1890.

Förster, *Eine Papstwahl vor hundert Jahren. Eine Erinnerung aus dem Jahre 1769*, Berlin, 1869; Galland, *Die Papstwahl des Jahres 1700, Hist. Jhb. III*, 1882; Landau, *Rom, Wien, Neapel während des spanischen Erbfolgekrieges*, Leipzig, 1885; Theiner, *Geschichte des Pontifikates Clemens XVI*; Walther, *Tod des Papstes Pius VIII und Wahl seines Nachfolgers Gregor XVI*, Solothurn, 1846.

Cfr. *bibliographiam art. I, h. c.*

Summarium: 1. Electio Clementis X et Innocentii XI. — 2. Electio Alexandri VIII et Innocentii XII. — 3. Electio Clementis XI, Innocentii XIII, et Clementis XII. — 4. Electio Benedicti XIV, Clementis XIII et Clementis XIV. — 5. Electio Pii VI, Pii VII, Leonis XII et Pii VIII. — 6. Electio Gregorii XVI, Pii IX, Leonis XIII et Pii X.

1. **Electio Clementis X et Innocentii XI.** — Die 9 decembris 1669 morte abreptus fuit Clemens IX. Conclave pro successore eligendo ad 4 usque menses sese protraxit varias ob exortas dissensiones. Hispania sane Cardinali *d'Elci* favebat; Gallia eiusdem electioni adversabatur, ita ut contra ipsum legatus exclusionem officialem declaraverit. Quam ob rem Cardinalis *Brancaccio* propositus fuit veluti candidatus designandus; at contra

eum publice *Veto* latum fuit. Plura post tentamina tandem die 29 april. 1670 creatus est Clemens X seu Cardinalis *Altieri*.

Quo Pontifice e vita functo anno 1176, rex Galliae, cum de successore agebatur deligendo, Cardinalem *d'Extrées* commonuit « de ne point en venir à ces exclusions publiques qui sont toujours odieuses, et d'employer seulement les voies secrétes et particulières pour détourner les choix jugés désavantageux (1) ». Excluso tamen *Veto* publico, rex minime prohibuit quominus privatim legati aliique fautores hunc vel illum Cardinalem admitterent aut reiicerent iuxta nationis placita. Et reapse Cardinales galli epistolam scripserunt ad regem ut nuncium mitteret exclusioni contra Cardinalem *Odescalchi* latae; qui, responsione affirmativa a rege exhibita, Summus Pontifex renuntiatus fuit die 21 sept. 1676, nomine assumpto Innocentii XI.

2. **Electio Alexandri VIII et Innocentii XII.** — In Conclavi anni 1689 rex Hispaniae voluntatem pandiderat exclusionem ferendi contra unum aliumve candidatum. At, fausto sane eventu, Cardinalis *Ottoboni* qui in sui favorem iam ab initio plura obtinuerat suffragia ipsi regi benevisus censebatur, ita ut post Conclave sex hebdomadarum in Summum Pontificem creatus fuerit die 6 oct., nomine accepto Alexandri VIII.

Iste Pontifex diem supremum obiit Kal. febr. an. 1691. Conclave quod eiusdem mortem secutum fuit quinque perduravit menses. Non modo Gallia et Hispania, at ipsa quoque Austria hac vice *exclusivam* exercere ausa est, quin tamen id formaliter ac modo quodam officiali egerit. Cardinalis *Barbarigo*, Paduanus episcopus, vir tum pietate tum doctrina praeclarissimus, veluti candidatus ad Summum Pontificatum propositus fuerat; sed contra eum *Veto* principum habebatur, qui plus minusve implicite vel explicite, privatim vel publice, illum excludere nitebantur. Plura hinc dissidia orta fuere, pluraeque epistolae conscriptae a legatis ad reges suos consilii petendi causa (2).

Tandem, opitulante Deo, die 12 iul. 1691 electus fuit Innocentius XII seu Cardinalis *Pignatelli*.

---

(1) Cfr. *Recueil des instructions*, p. 274.
(2) Cfr. WAHRMUND, op. cit., pp. 293, 297.

3. Electio Clementis XI, Innocentii XIII et Clementis XII. — Innocentius XIII diem supremum obiit VIII kal. octobris an. 1700. In Conclavi quod eiusdem obitum secutum fuit, nationes publice *veto* nullimode declararunt, ob quasdam rationes politicas, cum inter se discordia summa premerentur. At species saltem *exclusivae* procul dubio habita est. Nam imperator Leopoldus I peculiares instructiones legato suo dederat hisce verbis expressas: « Venendo il caso che il Cardinale N. fosse in prossimo ad essere eletto Papa, nè altrimenti si potesse impedire, intimerete in Conclave a chi conviene, che gli si dia l'Esclusiva, per cui ho giuste ragioni e vi assicuro della mia grazia » (1).

Gallia hac occasione electioni Cardinalis Marescotti adversabatur: Austria contra electioni Cardinalis Panciatici. Die vero 23 nov. 1700 Cardinalis Albani Pontifex Summus renuntiatus fuit, qui nomen sibimet imposuit Clementis XI.

Hic Pontifex anno 1721 e vita migravit. Cardinales in Conclavi coadunati pro successore deligendo epistolam ad imperatorem miserunt: imperator exclusivam statuit contra Cardinalem Paolucci; die 8 maii 1721 Cardinalis Michael *Conti* Pontifex Romanus creatus fuit, qui nomen assumpsit Innocentii XIII.

Post obitum Innocentii, Cardinalibus convocatis pro novo Pontifice nominando, Hispania et Austria *exclusivam* statuerunt contra Cardinalem *Imperiali.* Ad Summum Pontificatum evectus fuit die 29 maii 1724 Vincentius Orsini, archiepiscopus Beneventanus, ex ordine Praedicatorum, qui nomen accepit Benedicti XIII.

In subsequenti Conclavi, contra praedictum Cardinalem *Imperiali* rex Hispaniae *veto* tulit; die vero 12 iulii Cardinalis *Corsini* Papa creatus fuit, qui nomen assumpsit Clementis. XII. Hic Pontifex Bullam « *Apostolatus officium* » die 4 octobris 1732 edidit ac peculiares normas per chirographum statuit die 24 decembris anni eiusdem.

Lector scribit (2): « Si le Saint-Siège eût considéré le « droit » d'exclusion comme un abus substantiel, c'était le moment de le

(1) Cfr. Wahrmund, op. cit., p. 307.
(2) Op. cit., p. 566.

declarer, ou tout au moins de l'indiquer.... Or, Clement XII ne reproduit pas même les formules employées naguère par Grégoire XV au sujet des manoeuvres et engagements tendant à provoquer l'inclusion ou l'exclusion des suffrages; il se contente de répéter les expressions dont s'était servi antérieurement Pie IV, touchant les *intercessiones principum*. L'on ne saurait voir là un simple oubli. Les actes relatifs à la rédaction de cette Constitution, actes conservés dans les archives consistoriales, attestent qu'on s'était préoccupé de la question. L'un des consulteurs de la commission chargée de rédiger la Bulle avait même émis l'avis que, pour régulariser, limitér et rendre plus convenable « l'exercice de l'Exclusive » il conviendrait de statuer que le cardinal plénipotentiaire communiquerait confidentiellement son mandat d'exclusion au Doyen, et que la congrégation plénière des cardinaux en délibérerait, sans qu'il soit nécessaire d'en venir aux declarations publiques au moment du scrutin. Cette proposition ne prévalu point. Clément XII préféra laisser subsister purement et et simplement les usages existants. Les derniers mots, par lesquels il ajoute aux prescriptions de Pie IV la recommandation expresse d'élire « le plus capable de gouverner avec fruit et utilité l'Eglise universelle », font visiblement allusion au motif allégué par les théologiens pour justifier l'exclusion ».

Haec opinio non videtur ullo pacto admittenda; idque duplici ex capite asserimus. In primis quia Clemens XII minime derogavit Constitutioni Pii IV, in qua explicite reprobantur *intercessiones principum* su *exclusivae* abusus; secundo quia votum a consultore propositum, de quo Lector loquitur, manifesto ostendit quaenam fuerit Pontificis mens quoad hanc rem.

4. **Electio Benedicti XIV, Clementis XIII et Clementis XIV.** — Clemens XII ad Superos migravit die 8 februarii an. 1740. Post eius obitum statim Cardinales in consensum convenere pro successore designando. At infausto sane exitu. Nam plurimae controversiae, dissidia plurima oborta sunt potissimum ex regum nefaria intrusione. Nihilominus publice *veto* datum minime fuit contra unum aliumve Cardinalem. Die 17 augusti, Deo opitulante, Pontifex renuntiatus fuit Cardinalis Lambertini, archiepiscopus Bononiensis, qui nomen accepit Benedicti XIV.

Hic praeclarissimus tum doctrina tum pietate vir maximam parten habuit in Bulla Clementis XII « *Apostolatus officium* » conscribenda.

Benedicto XIV successit die 6 iulii 1758 Clemens XIII seu Carolus Rezzonico, episcopus Paduanus. Qua in electione Gallia exclusivam contra Cardinalem Cavalchini tulit. Hispania et Austria gravibus exagitatae negotiis de *veto* ferendo non cogitarunt.

Postridie kal. febr. an. 1769 Clemens diem supremum obiit. Plures factiones ortae sunt occasione successoris eligendi. Indubie constat reges hac quoque vice *veto* tulisse contra nonnullos Cardinales, potissimum contra eos qui favere videbantur Patribus Societatis Jesu; at nihilominus vera propriaque *exclusiva* lata minime fuit. Tandem die 19 maii 1769 Papa electus fuit Laurentius Ganganelli ex S. Francisci familia, qui nomen assumpsit Clementis XIV.

5. **Electio Pii VI, Pii VII, Leonis XII et Pii VIII.** — Clemente XIV e vita functo die 22 sept. an. 1774, Cardinales de novo Pontifice eligendo cogitarunt. Non defuerunt, ut in praecedenti Conclavi, dissidia ac simultates et quaestiones quam plurimae. Tandem aliquando supremum obtinuit Pontificatum Angelus Braschi, praelatus Camerae Apostolicae, qui nomen accepit Pii VI. Id autem die 15 feb. an. 1775 contingebat. Nullum dubium quin huius etiam Conclavis occasione reges uno aliove modo ausi fuerint absurdum *exclusivae* ius exercere; at *veto* formaliter ac publice latum minime est.

Pius VI e vita migravit IV kal. sept. an. 1799. Conclave pro successore designando a die 30 nov. 1799 usque ad 14 martii 1800 duravit. Imperator Austriae hac occasione *veto* decreverat contra Cardinales Caprara et Antonelli (1). Disputant historici num etiam contra Cardinalem Gerdil latum fuerit *veto* ab Austria.

« On a beaucoup discuté la question de savoir, si au Conclave de Venise (30 novembre 1799-14 mars 1800), l'Austriche donna l'esclusion au célèbre cardinal Gerdil ». Ita Lucius Lector (2). Nobis videtur indubie affirmandum esse, veto de facto

(1) Cfr. WAHRMUND, op. cit., p. 328.
(2) Op. cit., p. 568.

latum fuisse etiam contra Cardinalem praedictum, ut eruitur ex epistolis a Card. Herzan ad Cancellarium Thugut missas. Die siquidem 18 ian. 1800 Cardinalis scribebat:

« Quello però, di che debbo prevenire V. Eccellenza è: 1° Che io non sono in grado di garantire, che, non diventando Papa il Cardinale Mattei, nè il Cardinale Bellisomi, non si vada in una terza persona, senza che io possa impedirlo, giacchè com'Ella sa, *non si può dare l'esclusiva che ad uno....* »

Et die 15 febr. scribebat: « .... Il Partito del C. Bellisomi sembrami inclinatissimo per il C. Gerdil; ma ne fu parlato in guisa di confidenza, ed io dissi nella medesima: Che tutto ammiratore che io era della somma sua pietà e profonda dottrina, non lo credeva adattato per la sua vecchiaia. E si bene non dissi mai, *ch'egli aveva l'esclusiva;* questa decisa e ripetuta risposta mi sembra, che farà l'istesso effetto che l'esclusiva.... ».

Clarius vero die 5 martii Cardinalis Hertzan scribebat: « Dall'ultima che mi sono dato l'onore d'indirizzare all'Eccellenza Vostra, successero più cose degne di esserle riferite ».

Cancellarius porro Thugut sub die 15 martii eiusdem anni ad praedictum Cardinalem respondebat, exclusivam plane confirmans. Quibus ex documentis luculenter patet *exclusivam* contra Card. Gerdil latam quidem fuisse ab Austriae imperatore, at publice et formaliter patefactam non esse Cardinalibus in Conclavi coadunatis.

Controvertitur an Hispaniae rex *veto* declaraverit contra Card. Mattei. Probabilius affirmandum videtur.

Sane Card. Hertzan ad Cancellarium Thugut die 8 martii 1800 scribebat: « Il C. Mattei ha perduto un voto, ch'è quello del Cardinale Lorenzana. *Ho fondato motivo di credere, che abbia l'esclusiva della Spagna;* effetto di quella smania, che ha Monsignor Despuig di finire il Conclave e così diventare Cardinale... ».

Die 12 martii significabat: « ... Il C. Roverella mi ha detto che *il C. Mattei abbia vera esclusiva della Spagna*, ma non dichiarata publicamente .... ».

Die 14 Martii an. 1800 Papa renuntiatus fuit Gregorius Chiaramonti ex Ordine S. Benedicti, episcopus Imolensis, qui nomen assumpsit Pii VII.

Hic Pontifex diem supremum obiit XIII Kal. sept. an. 1823. Cum de novo agebatur Papa eligendo, imperator Austriae plus minusve aperte *veto* exercere ausus est.

Re quidem vera Metternich ad legatum Appony sub die 25 sept. 1823 scribebat: « L'exclusion indirecte des Cardinaux qui n'auront point ces qualitées basées sur l'accord des Cardinaux devouées aux Couronnes étant le moyen le plus sûr et le plus convenable pour atteindre ce but, c'est à la formation et à la consolidation d'un parti des Couronnes sous la direction éclairée du Cardinal Consalvi que Vous devez travailler ».

Legatus Appony sub die 26 augusti 1823 scribebat: « Il est a prévoir que la position du Cardinal Albani sera très épineuse et qu'il aura de grandes difficultés à combattre; on commence déjà à s'occuper de celle, qu'on lui suscitera peut-être, d'attaquer *le droit d'exclusion de l'Autriche* par la raison que ce droit n'appartient qu'à l'Empereur d'Allemagne. Cette opposition, si même elle étoit faite par quelques Cardinaux (et il est assez probable que cela soit ainsi) ne trouvera à ce que j'espère, que peu d'adhérens, car il est difficile à présumer, que le sacré Collège voulut proposer et defendre une thèse aussi odieuse à la puissance, qu'il a de si puissants motifs à ménager et à se concilier. Il faut cependant que le Cardinal Albani soit préparé à la soutonir, et je compte d'y appeler toute son attention ».

Plurimas post dissensiones in Conclavi obortas, die 23 sept. 1823 Hannibal *della Genga*, Cardinalis Vicarius, Papa renuntiatur, qui nomen sibimet imponit Leonis XII.

Eo defuncto anno proxime subsequenti, Cardinales Conclave ingressi sunt pro successore eligendo.

Non defuerunt intrusiones ex parte principum, ut liquido patet ex plurimis documentis.

Pius VIII - Fr. Xaverius Castiglioni – electus fuit die 35 martii 1829.

Veto hac occasione latum fuerat contra Cardinalem de Gregori.

6. **Electio Gregorii XVI, Pii IX, Leonis XIII et PiiX.** — Pius VIII diem supremum obiit pridie Kal. decembis an. 1830. Hac occasione. Hispania *exclusivam* statuit contra Card. Giustiniani.

Etiam imperator Austriae *veto* edixit contra quosdam Cardinales, licet formaliter penes Sacrum Collegium palam vulgatum minime fuerit. Id ex historicis documentis manifesto colligitur.

Die 2 febr. 1831 Papa renuntiatus fuit Marcus Cappellari ex Ordine Camalduensium, Praefectus S. Congregationis de Propaganda Fide, qui nomen accepit Gregorii XVI.

Hic Pontifex austeritate vitae ac doctrina praeclarissimus diem supremum obiit Kal. iun. an. 1846. Cum Cardinales in Conclavi coadunati de successore designando cogitabant, Austria *veto* pronunciavit contra Cardinales Gizzi et Mastai. Item Gallia *veto* edicendum duxerat. Die 16 iun. electus fuit Ioannes Mastai, Imolensis episcopus, qui nomen assumpsit Pii IX. Iste Pontifex tres edidit Constitutiones quoad electionem Papae moderandam, nimirum « *In hac sublimi* » 23 aug. 1871, « *Licet per Apostolicas* » 8 sept. 1847, « *Consulturi* » 15 octobris 1877, qua postrema abrogavit normas in prioribus contentas Constitutionibus, ita ut nonnisi postrema attendenda sit. Praeterea ob infaustam Romae occupationem ab italico Gubernio summa iniuria peractam, peculiarem quoque edidit Instructionem (*Regolamento*), quam ratam habuit et confirmavit Leo XIII.

Pio IX e vita functo die 7 febr. 1878, Cardinales Conclave ingressi sunt pro novo Papa eligendo. Publice non constat nationes *veto* pronunciasse ; at omnibus compertum est hac etiam vice instructiones ex parte principum nullatenus defuisse. Die 20 febr. Leo XIII electus fuit, id est Ioachim Pecci archiepiscopus Perusinus.

Ipse ad effectum demandare curavit quae sapientissime statuenda decreverat Pius IX. Edidit sane Constitutionem « *Praedecessores Nostri* » 24 maii 1878, in qua fuse disserit de iis quae pro casuum varietate in electione Romanorum Pontificum servari debent, cui Bullae adiectam voluit citatam Pii IX Istructionem (*Regolamento*).

Leoni XIII e vita functo Pius X feliciter regnans die 4 augusti 1903 successit, quem Deus ad multos annos incolumem servet. In Conclavi pro eiusdem electione *veto* ab Austria latum fuisse dicitur contra Cardinalem Rampolla (1).

---

(1) Cfr. *Civiltà Cattolica*, quad. 1471, 7 oct. 1911, p. 100.

ARTICULUS VI.

De natura iuridica Exclusivae.

Bibliographia: Bachofen, op. cit., p. 83; Bargilliat, op. cit. I, n. 379; Cappello, *Instit. iuris publ. eccl.*, I, p. 365 s.; Cavagnis, l. c.; De Angelis, in lib. I, tit. 6, n. 4 s.; Santi, in lib. I, tit. 6, n. 33; Tarquini, l. c.; Wernz, op. cit. II, n. 582.

Berthelet, op. cit., p. 271; Bonghi, l. c., p. 51; *Civiltà Cattolica*, quad. 1386, marzo 1908, p. 641 ss.; Giobbio, *L'esercizio del Veto d'esclusione nel Conclave*, Monza, 1897; eiusdem auctoris, *Austria, Francia e Spagna e l'esclusione nel Conclave*, Roma, 1903; Pivano, *Il diritto di Veto*, ius exclusivae, *nell'elezione del Pontefice*, Torino, 1905.

Lector, op. cit., p. 475 ss.; Petruccelli della Gattina, *Histoire diplomatique des Conclaves*, Paris, 1865; Vidal, op. cit., p. 23 ss.; Wiseman, *Souvenirs*, p. 83.

Eisler, op. cit., p. 53 ss.; Sägmüller, *Die Papstwahlen und die Staaten von 1447 1555*, Tübingen, 1890; eiusdem auctoris, *Das Recht der Exklusive* (Katkolik, 1889, I, S. 589-616); *Die Papstwahlbullen und das staotliche Recht der Exklusive*, Tübingen, 1892; *Der Anfang des Ausschliessungsrechtes in der Papstwahl* (Katholik, 1894, I, S. 170-184); *Das Recht der Exklusive in der Papstwahl* (*Archiv f. K. K. R. LXXIII*, 1895, S. 193-286); *Neueste Lösungsversuche in der Frage nach dem staatlichen Recht der Exklusive* (*Archiv f. K. K. R. LXXVI*, 1896, S. 25-40); *Lehrbuch des kath. Kirchenrechtes*, *362-365*, Freib., i. B., 1909; Wahrmund, *Das Ausschliessungsrecht der kath. Staaten Oesterreich, Frankr. und Spanien bei den Papstwahlen*, Wien, 1888; eiusdem auctoris, *Beiträge zur Gesch. des Exklusionrechtes bei den Papstwahlen aus römischen Archiven.* (*Sitzungsberichte der kaiserlichen Akademie der Wissenschaften, phil. - hist. Kl. CXXII*, Nr. 13, Wien, 1890); *Zur Geschichte des Exklusionsrechtes bei den Papstwahlen im 18. Jahrhundert. Neue Beiträge aus römischen Archiven* (*Archiv für K. K. R. Bd. 68*, 1892.) S. 100-124;) *Die Bulle « Aeterni Patris Filius » und der staatliche Einfluss auf die Papstwahlen* (*Archiv für K. K. R. Bd. 72*, 1894, 201 ff.); *Ferner die beiden Rezensionen über die Arbeiten Sägmüllers:* a) *Mitteilungen des Institutes für österr. Geschf. Bd. XIV*, 1892, 516 ff; b) *Krit. Vjschft. für Gesetzgebung und Rechtswissenschaft*, ser. III, vol. II, 1896, 140 ff.

Cfr. *bibliographiam art. I, h. c.*

Summarium: 1. Evolutio iuridica Exclusivae. — 2. Sententiae Auctorum quoad naturam Exclusivae. — 3. Catholica doctrina. — 4. Constit. « *Commissum nobis* » Pii X.

1. **Evolutio iuridica « Exclusivae ».**— Quidam auctores putant (1) *Exclusivam* proprie dictam initium habuisse tempore Nicolai II, cum scilicet Concilium Later. a Nicolao anno 1059 coactum expresse confirmavit privilegium imperatoris quoad Pontificis Romani electionem (2). At immerito omnino id asseritur; nam verba « *salvo debito honore et reverentia dilecti filii nostri Henrici, qui in praesentiarum rex habetur et futurus Imperator Deo concedente speratur, et iam sibi concessimus sicut successoribus illius, qui ab hac Apostolica Sede personaliter hoc ius impetraverint* », sunt intelligenda de privilegio Henrico imperatori eiusque successoribus tributo confirmandi electionem a clero populoque factam, seu interveniendi in electione Papae eo sane fine, ut dissidia vel contentiones provide vitarentur.

Alii contendunt *Veto* inductum fuisse occasione Conclavis an. 1305 (3) Perusiae habiti, quo Clemens V electus fuit. Sed ne haec quidem opinio solido innitur fundamento.

Alii demum affirmare videntur (4) formalem *Exclusivam* primum occurrisse in Conclavi an. 1549-1550, quo Pontifex renuntiatus fuit Ioannes Maria Del Monte, qui nomen assumpsit Iulii III. At minus recte id quoque asseri, ex dicendis manifesto apparebit.

Eruditissime de *exclusiva* disserunt Sägmüller et Warhmund omni laude hac in re profecto maiores.

Certa nobis ab incertis maturo consilio secernenda sunt, ut quae fuerit iuridica *Exclusivae* evolutio saeculis labentibus, clare innotescat.

Satis cuique constat Nicolaum II electionem Romani Pontificis episcopis Cardinalibus reservasse, de assensu tamen ceterorum Cardinalium, nec non ipsius cleri ac populi Urbis. Alexander III vero unice ac privative Cardinalibus negotium de Pontifice designando reservavit, assensu cleri populique plane remoto. Ex quo factum fuit ut, praeter Italiam aliae quoque nationes partem sibimet vindicarent per Cardinales suos in Papae electione.

---

(1) Cfr. Novaes, *Elementi della Storia dei Sommi Pontefici*, to. XIII. p. 242.

(2) Cfr. c. I. D. 23.

(3) Cfr. *Ueber die Recht der Regierungen beim Conclave*, München, 1872.

(4) Cfr. Bonghi, op. cit., p. 51; Sägmüller, *Die Papstwahlen und die Staaten von 1447-1555*, p. 182.

Porro principes apprime perspicientes maximam, qua in mundo pollet Pontifex, auctoritatem, sensim coeperunt in eiusdem electione uno aliove modo ipsimet se immiscere, summoque studio curarunt ut ii dumtaxat eligerentur, qui saeculari potestati essent accepti seu benevisi. Eo vel magis quod pestifera inde a saeculo XII regalismi sophismata catholicam doctrinam de Ecclesiae natura ac de relationibus inter sacram civilemque societatem impie subvertere nitebantur. Contendebant enim regalistae Statum supremo potiri iure, Pontificem non supra sed infra imperatorem esse. Quo ex principio quot et quaenam absurda oritura sint consectaria, nemo est qui non videat.

Quatuor epochae merito assignari possunt, quibus integra iuridica *Veto* evolutio continetur, seu quatuor formae *Exclusivae*, scilicet: 1° exclusiva factionis, vulgo *esclusiva di partito;* 2° inclusiva; 3° exclusiva directa seu publica; 4° exclusiva formalis.

1° Inde potissimum a saeculo XIV, cum de novo Pontifice eligendo Cardinales cogitabant, varias factiones, vulgo *partiti*, efformari solebant. Triplex factio potissimum memoranda occurrit, nimirum *factio coronae, factio nepotis*, et *factio proborum*.

Factio coronae ea nuncupabatur, cui incumbebat voluntatem principis adamussim in Pontificis electione interpretari ac studiose exequi. Unaquaeque enim ex tribus praecipuis catholicis nationibus - Austria, Gallia et Hispania - suum Cardinalem legatum seu repraesentantem habebat, qui Cardinalis *Coronae* aut *Protector* dicebatur. Adveniente Sedis Apostolicae vacatione, ipius erat in favorem sui respective regis aliorum Cardinalium suffragia obtinere; sicque hinc inde factio Coronae constituebatur.

Factio nepotis minoris momenti procul dubio est. Cardinales a Papa defunto electi factionem quandam efformabant, cui Cardinalis Nepos praeerat.

Factio proborum, vulgo *partito degli zelanti* vel *squadron volante* id unum prae oculis habebat, ut nempe Ecclesiae paci concordiaeque per electionem provide consuleretur ac leges canonicae adamussim servarentur in comitiis habendis.

Eiusmodi forma seu *exclusiva factionis* occurrit usque ad exitum saeculi XVI, imo exerceri perrexit etiam saeculo XVII.

2° Inclusiva tunc habetur, quum Cardinalibus electoribus elenchus defertur, in quo nonnulli candidati recensentur, ut ex

iis unum aliumve in Romanum Pontificem ipsi eligant. Exemplum quoddam inclusivae occurrit in Conclavi an. 1484, quo Innocentius VIII creatus fuit (1). Attamen veram ac propriam inclusivam historice constat nonnisi ad finem vergente saeculo XVI Hispaniam exercere primum coepisse.

Clariss. Eisler opportune scribit: « Spanien war also mit anderen Worten durch eine Reihe von Konklaven stark genug, um eine " Inklusive " ausüben zu können. Unter einer solchen Inklusive aber verstand der Sprachgebrauch des 16. und 17. Jahrhunderts eine Liste jener Kandidaten, welche sich der Gunst der Zahl nach stärksten Partei im Kardinalkollegium erfreuten, und hiedurch die beste und sicherste Aussicht auf eine erfolgreiche Wahl hatten. Allein auch die Minorität blieb noch immer ein keineswegs zu verachtender Gegner, vorausgesetzt, das die Partei der Inklusive nur über eine Stimmenanzahl verfügte, welcher auch nur eine Stimme zu der notwendigen Zweidrittelmajorität fehlte. Die Minorität bildete demmach einen Faktor, mit welchem man rechnen muste, und so kam es, das nur zu oft, wenn die Wahl sich allzu sehr in die Länge zu ziehen drobte, ein Vergleich zwischen Majorität und Minorität die en dliche Erhebung eines Kempromibkandidaten herbeiführte: Die eine Partei gab den bisher von ihr praktizierten Kandidaten auf, um sich mit der Gegenpartei auf eine neue, gemeinsame Praktik zu Gunsten eines neuen Kandidatne zu einigen (fare il papa).... Zu schwach, nun eine „ Inklusive " zu erreichen, blieb es die ständige Aufgabe des Führers der „ Partei der Krone ", auf jeden Fall eine Minorität zu finden, welche die Wahl desjenigen Kandidaten zu verhindern hatte, den der betreffende Fürst von dem Pontifikat „ ausgeschlossen " wissen wollte » (3).

Inclusiva nec semper nec a singulis regibus Austriae, Galliae et Hispaniae adhibita fuit. Nam una cum hac forma, exclusivam factionis iamdudum receptam nationes exercere perrexerunt; quin imo inclusiva effectum sane plenum minime sortiebatur, nisi exclusiva factionis uno aliove modo accederet.

---

(1) Cfr. LECTOR, op. cit., p. 517; PETRUCCELLI, op. cit., I. 309. SÄGMÜLLER, op. cit., p. 105.

(2) Op. cit., p. 39.

Gregorius XV Constit. « *Aeterni Patris* » VII Kal. dec. 1621, § 18, loquitur de *inclusione* ac de *exclusione*, utramque vetitam esse expressis verbis decernens.

3° Exclusiva directa seu publica adhiberi coepit ineunte saeculo XVII. Differt ab exclusiva factionis, quatenus haec ab ipsis Cardinalibus directe proponitur et nonnisi indirecte a rege; contra exclusiva directa seu publica proponitur a Cardinali Coronae vel a legato regio, nomine et auctoritate principis, universo sacro Cardinalium coetui. Quae tamen exclusiva, etsi publice facta, nihilominus vi iuridica nequaquam per se pollet nisi accedat favor seu exclusiva factionis. Ea autem initio Conclavis nunquam proponi solet; sed tantum cum adest probabilitas de electione personae exclusae; fitque vero propositio exclusivae caute et prudenter, uti auctores de re diplomatica loquuntur.

« In genere una esclusiva proposta da un regnante, era tenuta segreta nel principio del conclave; tutt'al più si faceva conoscere, pure in segreto ai Cardinali. Ma quando appariva serio il pericolo che il designato riuscisse papa, allora il Cardinale della corona dichiarava pubblicamente che il suo principe aveva escluso dal Pontificato Sua Eminenza N. N. Quando ciò avveniva, il partito già segretamente guadagnato votava di fatto conforme all'esclusiva, e lo stesso facevano tutti coloro che non volevano porre gli inizî del nuovo pontificato sotto il cattivo augurio dell'ostilità d'una grande potenza, o anche coloro ai quali non piaceva avere personalmente nemico il principe. Si aveva così l'*exclusio aperta et publica*. Anche in questo caso però alla *dichiarazione* dell'esclusiva, fatta in nome del principe, non era attribuita alcuna forza eliminativa. Essa, se si voleva praticamente efficace, doveva essere appoggiata da un *partito d'esclusiva* sufficientemente forte: e la stessa pubblicità alla quale si ricorreva soltanto in caso di necessità, non aveva altro scopo che di aumentare nel senso dichiarato le file del partito di esclusione » (1).

4° Exclusiva formalis habetur, cum Cardinalis Protector seu Coronae publice coram Sacro Cardinalium Collegio declarat regem Hispaniae vel Austriae aut Galliae *Veto* contra aliquem ex

(1) *Civiltà Cattolica*, quad. 1386, 21 marzo 1908, p. 647; cfr. EISLER, op. cit., p. 41 ss.

candidatis ponere, ita quidem ut eiusmodi exclusiva tamquam verum propriumque ius ex parte Status proponatur, Cardinalibus profecto attendendum, independenter ab interventu factionis. « Et pour être finalement *formelle, juridique et directe*, il faudra que le Sacré Collége se conforme à cette notification officielle, indépendamment de la force numérique des partis, par égard pour le seul autorité souveraine du prince » (1). *Veto* stricto sensu formalem exclusivam designat. In Conclavi an. 1644, quo electus fuit Innocentius X, et in alio an. 1655, quo Pontifex renuntiatus est Alexander VII, primum ab Hispania formalis exclusiva lata fuit contra Cardinalem Sacchetti. Quae tamen exclusivae forma progressu temporis magis magisque determinata est, ita ut naturam veri ac proprii iuris quodammodo induerit.

2. **Sententiae Auctorum quoad naturam** « *Exclusivae* ». — Septem numerantur sententiae quoad vim iuridicam *Exclusivae.*

Prima contendit *exclusivam* ius quoddam esse suapte natura competens civili auctoritati, cuius maxime interest ut is, qui in Summum Pontificem eligitur, morum integritate ac nitore praestet doctrinae, simulque indicia haud dubia praeseferat de bono publico procurando per mutuam concordiam sacram inter et laicam potestatem (2). Quo ex principio manifesto liquet ius exclusivae non modo ad Galliam et Austriam ac Hispaniam spectare, sed profecto ad omnes singulosque Status.

Secunda docet *Veto* competere regibus Austriae, Galliae et Hispaniae, utpote qui merito censentur vel successores Caroli Magni, cui iura peculiaria concessa fuere a Leone III cum an. 800 Imperator romanus renuntiatus est (3), vel successores antiquorum regum, qui populum romanum in electione Pontificis repraesentabant.

Tertia putat *exclusivam* ius consuetudinarium esse, quatenus ab initio principes Austriae et Galliae ac Hispaniae perperam quidem illam exercendi sibi potestatem vindicarunt; at labentibus saeculis, accedente expresso vel tacito saltem Ecclesiae consensu, *Veto* usu ita receptum ac praescriptione firmatum

(1) Cfr. PETRUCCELLI DELLA GATTINA, l. c.
(2) Cfr. BARTHEL, *Opuscula iuridica*, p. 28 ss.
(3) Cfr. *Ueber die Recht der Regierungen beim Conclave*, p. 25.

est, ut hodiedum tamquam vera legitimeque praescripta consuetudo habendum sit (1).

Quarta asserit *exclusivam* esse privilegium quoddam pure ac simpliciter a Sede Apostolica tribus praecipuis nationibus catholicis tributum (2).

Quinta affirmat esse privilegium conventionale, quatenus ex mutuis relationibus inter sacerdotium et imperium suapte natura profluit (3).

Sexta contendit *exclusivam* prudenti quadam tolerantia et connivèntia Ecclesiae niti, ita quidem ut hodiedum quoque toleranda videatur eiusmodi praxis (4).

Septima docet *exclusivam* esse abusum plane eliminandum, ut sarta tecta servetur libertas Cardinalium in negotio maximi momenti, utpote est Romani Pontificis electio.

3. **Doctrina catholica.** — Compertissimum cuique est, Ecclesiam perfectam ac supremam esse societatem, cui proinde tum libertas quum independentia competit in ordine ad finem assequendum. Iamvero nil magis libertati et independentiae officit quam exercitium exclusivae, quippe quae non eo tendit ut Pontifex Maximus is eligatur qui animi praestantia et religionis zelo emineat, sed tantum ut non designetur qui, licet undequaque dignissimus, acceptus nihilominus ob humanas rationes haud sit alicui Statui. Sane principes in *Veto* ferendo non unice Dei gloriam et Ecclesiae bonum prae oculis habent, sed nonnisi propensione animi vel aversione commoti aut aliis quibusvis inclinati mundanis affectionibus hunc illumve exclusum declarant a Supremi Pontificatus dignitate obtinenda. Quam impie id fiat nemo profecto est qui non videat. Negotium siquidem electionis Papae prae ceteris sanctissimum est maximique momenti, cum ab eo Ecclesiae pax pendeat ac universae Ecclesiae bonum. Absonum proinde est, Cardinalibus in re tanti momenti suapteque natura spirituali omnino, arbitrio unius alteriusve principis obtemperandum esse. Christus non

---

(1) Cfr. WAHRMUND, *Ausschliessungsrecht der katholischen Staaten, Oesterreich, Frankreich und Spanien bei den Papstwahlen*, p. 124.

(2) Cfr. WISEMAN, *Souvenirs*, p. 83.

(3) Cfr. LECTOR, op. cit., p. 573.

(4) Cfr. WERNZ, op. cit., to. II, part. II, n. 582.

modo seiunctum voluit ab imperio sacerdotium, sed Ecclesiam praeterea liberam plane constituit ac independentem a civili potestate, ita ut eiusdem assensui vel placitis nequaquam sit obnoxia. Quae Christi positiva voluntas manifesto ostendit principibus nullo pacto nulloque praetextu fas esse in Romani Pontificis electione se immiscere; ideoque exclusiva nil aliud est quam detestabilis abusus plane eliminandus, utpote qui historico ac iuridico quovis fundamento destituitur.

Itaque postrema sententia admissa, quam veluti unice veram catholica doctrina indubie postulat, ceterae opiniones paucis saltem verbis refellendae sunt.

Quoad 1am sententiam respondemus:

a) Iudicium de viro eligendo in Romanum Pontificem non ad principes spectat, sed exclusive ad Cardinales, qui, cum pietate ac doctrina praestent, aliis omnibus opportuniores iudices haud dubie videntur pro sententia ferenda de animi praestantia et religionis zelo candidati.

b) Eo vel magis quod, iugi experientia teste, principes de temporali utilitate potiusquam de spirituali solliciti apparent.

c) Ceterum si civilis auctoritas, ea qua par est devotione et iustitia, catholicam velit tueri religionem, id unum ipsa praestet, nimirum Ecclesiae libertatem ac independentiam pro viribus defendat, potissimum in Romani Pontificis electione, quin tamen audeat in negotio tanti momenti quidquam iuris sibimet vindicare.

d) Quaevis potestas in tantum civili societati tribuenda est, in quantum ex iure divino vel naturali aut ecclesiastico eadem reipsa cruitur. Atqui *exclusiva* repugnat iuri divino, quia Christus positiva sua voluntate Ecclesiam constituit tamquam communitatem a civili consortio plane distinctam ac independentem et supremam, ita quidem ut nihil omnino iuris principibus, quoad res ecclesiasticas concesserit. Repugnat iuri naturali; nam potestas cuiusvis societatis ex fine desumitur; porro finis Ecclesiae non modo est distinctus a fine societatis saecularis, at etiam independens et supremus. Repugnat iuri ecclesiastico; etenim Romani Pontifices exclusivam haudquaquam ratam habuerunt et confirmarunt; quin imo Cardinalium libertatem in electionis negotio nullo non tempore expresse vindicavere.

Quoad 2am respondemus:

a) Reges Austriae et Galliae ac Hispaniae successores Caroli Magni stricto seusu dici nequeunt, ut principes rei historicae fatentur (1). Ad summum rex Austriae dumtaxat nuncupari potest aliquo sensu Caroli Magni successor (2).

b) Imperator Romanus ius exclusivam in electione Pontificis exercendi numquam obtinuit. Sane verba quae in Constit. Nicolai II (3) leguntur, alio sensu esse intelligenda, superius innuimus. Ne alii quidem reges huiusmodi ius a Sede Apostolica sunt assecuti. Ceterum, etsi historice de concessione constaret, inepte quis inde deduceret eodem iure frui successores. Nam Nicolaus II expresse loquitur de iure *personali*, ita quidem ut ad alios nequaquam transferri valeat. Sane ipse ait: « ... Et iam sibi concessimus sicut successoribus illius, qui ab hac Apostolica Sede *personaliter* hoc ius impetraverint ». Quae verba ita perbelle Glossa interpretatur: « Ex his verbis apparet personale privilegium hoc fuisse; et ideo ad alios non prorogari ».

c) Imperatori Occidentis, licet per Senatum populum romanum in Pontificis electione repraesentaret, ius exclusivae tamen minime competebat neque constat unquam illud reapse exercuisse.

Quoad 3am respondemus:

Quaevis consuetudo oportet *rationabilis* sit, *rite admissa, legitime praescripta*, et *a legislatore approbata*. Iamvero quodlibet ex his elementis in casu nostro deest:

a) Praxis exclusivae in primis *irrationabilis* omnino est, quippe quae libertati ac Ecclesiae independentiae officit, ita quidem ut manifesto iuri divino ac naturali et canonico, ut probavimus, plane adversetur.

b) Exclusiva *rite admissa* seu *recepta* minime fuit. Haec admissio seu receptio importat ut consuetudo inducatur cum plena iuris cognitione et libertate nec non cum intentione sese obligandi. Iamvero ex historica eiusmodi praxeos origine ac evo-

---

(1) Cfr. Cantù, op. cit., to. XV, p. 526 ed. cit.

(2) Cfr. *Dictamen Fr. Gabrielis Adarzo de Santander, Episcopi Vicevanensis, etc.*, p. 18; Berthelet, *La elezione del Papa*, p. 271.

(3) C. I, Dist. XXIII.

lutione satis superque constat defuisse tum ex parte Sacri Cardinalium Collegii quum ex parte principum plenam iuris cognitionem et libertatem ipsamque intentionem sese obligandi.

c) Exclusiva perperam dicitur *legitime praescripta.* Sane ut legitima praescriptio haberi possit, requiruntur titulus, bona fides, tempus, pacifica possessio, res praescriptibilis. Atqui in casu nostro deest titulus, cum quovis iuridico fundamento exclusiva plane destituatur: deest bona fides, quia nonnisi caute ac oscitanter nationes *Veto* usae sunt, quin veluti verum proprium-que ius reapse illud exercuerint; deest tempus continuum seu ininterruptum, nec non pacifica possessio, ut liquet ex historica evolutione eiusmodi praxeos; deest res praescriptibilis, quia iura essentialia ac Ecclesiae ingenita praescriptioni haudquaquam sunt obnoxia.

d) Exclusiva *a legislatore adprobata* nullo pacto fuit. Cuique compertum est legislatoris consensum triplicem esse: expressum tacitum et praesumptum seu legalem. Neuter porro in casu habetur. Quin imo plura adsunt pontificia documenta, quibus Romani Antistites principum interventum minime esse attendendum decreverunt.

Re quidem vera Pius IV Constit. « *In eligendis* », § 26, Cardinales enixe hortatur ut « in dandis suffragiis ac aliis omnibus electionem concernentibus, omni dolo ac fraude, factionibus et animorum passionibus remotis, ac *principum saecularium intercessionibus*..... sese pure, libere, sincere, quiete et pacifice gerere debeant ».

Gregorius XV Constit. « *AeterniPatris* », § 18, tum inclusionem quum exclusionem vetat. Lector (1) immerito contendit Pontificem exclusivam non prohibuisse. Verba ita sunt clara ac perspicua ut dubium sensum praeseferre nequaquam videantur.

Clemens XII Constit. « *Apostolatus officium* », § 12, praecipit ut Cardinales in electionis negotio « solum Deum prae oculis habentes, religiose, sincere et libere..... privatis commodis et desideriis remotis atque *principum saecularium intercessionibus* ceterisque mundanis respectibus minime attentis et posthabitis, sese gerant ».

---

(1) Op. cit.. p. 544.

Quidam auctores, v. gr. Lector (1) et Wahrmund (2), putant Clementem allegatis verbis exclusivam minime reprobare voluisse.

At, ni fallimur, perperam omnino id asseritur. Ex actis enim congregationis quae citatam Bullam conficiendam curavit liquido patet eam fuisse legislatoris intentionem ut reipsa *Veto* prohiberetur; sed, opportunitatis gratiae, cautum fuit ne expressa fieret mentio in Bulla ad maiora vitanda mala. In libro siquidem protocolli congregationis praedictae haec leguntur:

« 10 Febr. 1731. Nella prossima Congregazione si esamineranno col solito segreto del S. Officio i seguenti dubbi: *Primo:* Quali provvedimenti debbano prendersi intorno all'abuso dell'esclusive, che si danno a nome de' Principi. *Secondo:* Se debba farsi alcuna ordinazione ed in qual modo per impedire, che i Cardinali assumino il ministero de' Principi e l'esercitino anche in Conclave ». Ex dubiorum discussione satis superque colligitur quaenam fuerit R. Pontificis mens.

Pius IX Constit. « *In hac sublimi* » decernit ut electio Pontificis fiat « excluso prorsus atque remoto quovis laicae potestatis cuiuslibet gradus et conditionis interventu ». In Constit. « *Licet per Apostolicas* » Cardinales obtestatur « ut ad electionem procedant nulla propensione animi vel aversione commoti, nullius inclinati gratia aut obsequio, *non intercessione in saeculo potentium* moti.... ». Iisdem verbis Eminentissimos Patres alloquitur in alia quoque Constitutione, cuius initium « *Consulturi* ».

Inepte Lector (3) putat Constitutiones Piis IX haudquaquam *Veto* respicere, ita ut illud minime prohibere videantur. Quaenam fuerit legislatoris mens, non modo ex adiunctis plurimis liquido patet, sed ex ipsamet verborum vi indubie eruitur. Pius IX quemlibet principuum interventum vetitum esse decrevit; ideoque nullum dubium quin exclusiva prohibita omnino fuerit (4).

Leo XIII Constit. « *Praedecessores Nostris* » Cardinales obsecrat ut in electionis negotio sese gerant « nulla propensione

---

(1) Op. cit., p. 566.
(2) Op. cit., p. 52.
(3) Op. cit., p. 573.
(4) Cfr. Eisler. op. cit., p. 248 ss.

animi vel aversione commoti, nullius inclinati gratia aut obsequio, non intercessione in saeculo potentium moti ».

Tandem Pius X peculiarem de *Veto* edendam censuit Constitutionem, ut infra videbimus.

Quibus ex documentis pontificiis satis superque constat Romanos Pontifices saepe saepius reprobasse exclusivam; ideoque pro legitimitate praescriptionis defuisse consensum legislatoris. At Sacrum Cardinalium Collegium - inquiunt adversarii - expresse vel saltem tacite suapte agendi ratione exclusivam adprobavit. Igitur consensus legislatoris adfuit. Absit omnino. Omnibus sane compertum est in Ecclesia Christi totam plenitudinem potestatis in uno Pontefice Maximo residere, cui dumtaxat ius privative competit leges condendi, immutandi et abrogandi. Quapropter, si Cardinales exclusivam revera approbassent explicite vel implicite, quid inde foret concludendum? Nil prorsus. Ipsi enim, vacatione Apostolicae Sedis occurrente, nullam assequuntur potestatem, praeter eam quae per pontificias Constitutiones expresse eisdem tribuitur. At historice constat Cardinales *Veto* reprobasse.

Ecclesia - instant adversarii - longo saeculorum cursu exercitium exclusivae reapse toleravit; quae tolerantia vim explicitae aut saltem implicitae approbationis induit. Perperam id obiicitur; nam ex tolerantia Ecclesiae tunc solummodo potest merito deduci alicuius praxeos confirmatio, cum ipsa sine ullo incommodo contradicere potuit, et nihilominus acquievit; minime vero cum nonnisi necessitate coacta toleravit ad maiora mala vitanda. Id profecto quoad exclusivam contigisse, historia luculentissime testatur.

Quoad 4^{am} respondemus:

Exclusiva non est *privilegium* nec usu receptum, ut putat Wiseman (1), nec formali recognitione ex parte Romanorum Pontificum firmatum, ceu contendit Novaes (2).

Sane privilegium uno aliove ex hisce modis acquiritur, nimirum concessione, communicatione, praescriptione et consuetudine. De duobus postremis modis, praescriptione scilicet et consuetudine, non est cur disseramus, cum superius de ipsis dictum

(1) L. c.
(2) Op. cit., p. 45.

fuerit. *Veto* nequaquam obtentum fuit per communicationem, quia cum aliis communicari non potest, nisi id quod possidetur. Quapropter huius sententiae patronis probandum est, exclusivam alicui principi concessam reapse fuisse, et quidem cum facultate eamdem cum aliis communicandi.

Neque ex Ecclesiae immediata seu directa concessione *Veto* promanat. Nullum enim adest documentum, ex quo eiusmodi concessio eruatur. Id auctores ipsimet regalistae fateri coguntur.

« Questo diritto (del veto) non poggia sopra alcuna esplicita concessione: non esiste un sol documento serio, non bolle, non brevi, non lettere, non decreti dai quali risulti che i papi abbiano accordato un tale privilegio a questa o a quell'altra potenza » (1).

Quoad 5^{am} respondemus:

a) Exclusiva non est privilegium conventionale. Sane eiusmodi privilegium conceditur « interveniente conventione, seu pacto, ratione cuius quodammodo censetur privilegium emere, vel recompensare privilegium » (2). Iamvero quoad *veto* nulla conventio nullumque extat pactum, neve explicite neve implicite ecclesiasticam inter et civilem societatem initum.

b) Si exclusiva esset reapse privilegium conventionale reverentia ac fidelitate illud prosequi debuissent Antistites Romani; contra saepe saepius *Veto* damnarunt atque spernendum omnino esse decreverunt.

c) Privilegium conventionale ex vi pacti mutuam includit iustitiae obligationem, ita quidem ut quidquid contra illud fiat, nullum ac irritum plane sit. Qua de causa electio Romani Pontificis, spreta exclusiva facta, nulla et irrita foret dicenda. Quod absonum prorsus est, ipsis exclusivae patronis fatentibus. In quadam sane perantiqua dissertatione de *Veto* haec verba leguntur: « Non è la pretensione dei principi tanto temeraria che alle loro Esclusive vogliano dare peso di legge, o sian capaci d' annullare l'elezione precisa di qualche soggetto.... Resta libera la acolta di eleggere gl'istessi esclusi, giacchè l' Esclusiva non

---

(1) Berthelet, *La elezione del Papa. Storia e documenti*, p. 269, ediz. II, Roma, 1903.

(2) Suarez, *De leg.*, cap. IV, n. 6.

ha forza d'indurre veruna nullità, ma bensí la colpa delle conseguenze perniciose » (1).

Hinschius ipse id fatetur (2).

Hinc Lector merito scribit: « En supposant..... que le fait vienne à se produire, le gouvernement qui verrait ainsi méconnue la portée pratique de son exclusion voudrait-il soulever la question de validité et soutenir que l'élection serait illicite ou nulle, le pape illégitime? Nous ne le croyons pas et nous ne voyons guère, étant données les conditions de la société moderne, comment ledit gouvernement imposerait pareille persuasion aux catholiques d' Espagne, d'Autriche, de France, pour ne, parler que de ceux-là. *Jamais, d'ailleurs, personne n'a songé sérieusement à donner au Veto une semblable portée* » (3).

Quoad 6am respondemus:

a) Ea quae libertatem ac independentiam Ecclesiae laedunt nequaquam toleranda sunt. Iamvero *Veto* libertati S. Cardinalium Collegii in Pontifice Maximo designando adversari, nemo est qui non videat.

b) Rationes, quae forte anteactis habebantur temporibus, tolerandi prudentiae causa *Veto*, hodie plane desunt, cum Status, etsi catholico nomine condecorentur, liberalismi principiis imbuti ecclesiasticam spernant auctoritatem suoque nutui suisque placitis eam subiicere contendant.

4. **Constit. « Commissum Nobis » Pii X.** — Pius X optimo sane consilio peculiarem edendam censuit Constitutionem de civili *Veto*, ut suprema sua auctoritate illud quavis forma a qualibet laica potestate prolatum expresse proscriberet atque damnaret.

« Commissum Nobis, Deo sic disponente, universae Ecclesiae regendae munus serio admonet ut pro viribus caveamus, ne ex alienae potestatis incursu ea libertas quidquam detrimenti capiat, qua Christus in commune bonum ipsam donavit, quamque tot evangelii praecones, tot sanctissimi Antistites, tot illustres Decessores Nostri verbo, scriptis, effuso etiam sanguine propugnarunt. Quorum exemplis et auctoritate permoti ubi primum hanc Petri

(1) Cfr. Wahrmund, l. c., p. 37.
(2) Op. cit., I. § 30.
(3) Op. cit., p. 575

Cathedram, licet impares, ascendimus, Apostolici officii Nostri esse duximus in id maxime incumbere, ut vita Ecclesiae libere omnino explicetur, omni externo interventu remoto, prout ipsam evolvi divinus Institutor voluit, atque excelsa eius missio omnino requirit.

Iam, si qua est in Ecclesiae vita functio quae huiusmodi libertatem postulet maxime, illa profecto censenda talis, quae in Romani Pontificis versatur; siquidem *salus, non unius membri, sed totius corporis agitur, cum de capite consulitur.*

Huic plenae libertati in Summo Pastore eligendo opponitur in primis civile illud *Veto*, a supremis nonnullarum civitatum rectoribus haud semel prolatum, quo tentatur aditum ad Supremum Pontificatum alicui praecludere. Id si aliquoties accidit, Apostolicae tamen Sedi probatum est nunquam. Quin etiam Romani Pontifices, in iis quae de habendo Conclavi constituerunt, nihil pene maiore contentione studiove conati sunt, quam ut externae cuiusvis potestatis interventum a sacro Cardinalium Senatu ad Pontificem eligendum vocato propulsarent. Rem plane declarant Constitutiones « *In eligendis* » Pii IV; – « *Aeterni Patris* » Gregorii XV; – « *Apostolatus officium* » Clementis XII; in primisque Pii IX, « *In hac sublimi* » – « *Licet per Apostolicas* » et « *Consulturi* ».

Verum, quando quidem et experientia docuerit, hactenus constituta ad impediendum civile *Veto*, seu *Exclusivam*, non ita votis respondisse, et ob mutata temporum adiuncta huiusmodi civilis potestatis immixtio nostra aetate multo videatur magis omni rationis et aequitatis fundamento destituta: idcirco Nos, pro Apostolico Nobis commisso munere, et Praedecessorum nostrum vestigiis inhaerentes, re mature deliberata, certa scientia et proprio motu, civile *Veto*, sive *Exclusivam*, quam dicunt, etiam sub forma simplicis desiderii, itemque omnes interventus, intercessiones quaslibet omnino reprobamus, edicentes licere nemini, ne supremis quidem civitatum moderatoribus, quovis praetextu se interponere aut ingerere in gravi negotio electionis Romani Pontificis.

Quamobrem in virtute sanctae obedientiae, sub interminatione divini iudicii et poena excommunicationis latae sententiae speciali modo reservatae futuro Pontifici, omnes et singulos S. R. E. Cardinales, tam praesentes quam futuros, pariterque Se-

cretarium S. Collegii Cardinalium aliosque omnes in Conclavi partem habentes, prohibemus, ne, quovis praetextu, a quavis civili potestate munus recipiant *Veto* sive *Exclusivam*, etiam sub forma simplicis desiderii, ponendi, ipsumve hoc *Veto* qualibet ratione sibi cognitum, patefaciant sive universo Cardinalium Collegio simul congregato, sive singulis purpuratis Patribus, sive scripto, sive ore, sive directe ac proxime, sive oblique ac per alios. Quam prohibitionem extendi volumus ad memoratos omnes interventus, intercessiones aliosque modos quoslibet, quibus laicae potestates cuiuslibet gradus et ordinis voluerint sese in Pontificis electione immiscere.

Iisdem denique, quibus Decessores Nostri, vocibus S. R. E. Cardinales vehementer hortamur, ut in eligendo Pontifice, *Principum saecularium intercessionibus ceterisque mundanis respectibus minime attentis*, sed unice Dei gloriam et Ecclesiae bonum prae oculis habentes, in eum sua vota conferant quem universali Ecclesiae fructuose utiliterque gubernandae prae ceteris idoneum in Domino iudicaverint. Volumus etiam Nostras has Litteras una cum aliis id genus Constitutionis legi coram omnibus in prima Congregatione post obitum Pontificis haberi solita; rursus post ingressum in Conclave; item cum quis ad purpurae honorem fuerit evectus, interposito sacramento de religiose retinendis iis, quae in praesenti Constitutione decreta sunt.

Contrariis quibuscumque, etiam speciali vel specialissima mentione dignis, minime obstantibus.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae inhibitionis, mandati, declarationis, innodationis, voluntatis, admonitionis, hortationis, praecepti infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum Eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno incarnationis Dominicae millesimo nongentesimo quarto, die XX Ianuarii, Pontificatus Nostri anno primo ».

1° Nullum dubium quin *sub gravi* lata fuerit eiusmodi de *Veto* prohibitio, cum agatur de re suapte natura gravissima. Id etiam ex ipsis Constitutionis verbis nec non ex adiecta iuris sanctione luculentissime liquet.

2° Poena contra delinquentes statuta est excommunicatio ipso facto incurrenda speciali modo futuro Pontifici reservata; a qua scilicet uni dumtaxat eligendo Papae, praeterquam in mortis articulo, absolvendi facultas est.

3° Excommunicatio afficit Cardinales, Secretarium Sacri Collegii, et alios omnes qui in Conclavi partem habent, nimirum Conclavistas, magistros caeremoniarum et inservientes.

4° Ceterae quaecumque personae, v. gr. principes eorumque legati, praedicta excommunicatione, si deliquerint, haud innodantur.

5° Prohibitio extenditur ad omnes interventus, intercessiones et alios quoslibet modos, quibus laica potestas cuislibet gradus ac ordinis sese in Pontificis electione immiscere voluerit.

6° Cardinales aliique in Conclavi partem habentes excommunicatione plectuntur, sive munus recipiant *Veto* etiam sub forma simplicis desiderii ponendi, sive *Veto* quovis modo cognitum pandant aut universo Cardinalium Collegio aut singulis Eminentissimis Patribus. Hae conditiones non copulative requiruntur, sed disiunctive dumtaxat.

7° Ut incurratur excommunicatio sufficit *Veto* quocumque modo patefiat, sive *scripto* sive *oretenus*, sive *proxime* sive *remote*, sive *directe* sive *indirecte*, sive *per se* sive *per alios*.

8° Cardinales, Secretarius S. Collegii aliique in conclavi partem habentes sub excommunicationis poena prohibentur *Veto* a supremo alicuius civitatis rectore prolatum patefacere sive *ante Conclave* sive *ipso perdurante*, ut constat ex Const. « *Vacante Sede Apostolica* » tit. II. cap. IV. n. 81.

9° Eiusmodi porro exclusivae revelatio fieri debet Sacro Collegio aut ceteris Cardinalibus; nam si aliis forte fiat personis, nulla censura incurritur, etsi citra culpam gravem id peragi nequeat.

10° Quamvis censura Cardinales tantum aliosque in Conclavi partem habentes afficiat, prohibitio tamen quascumque respicit personas et quaslibet dignitates, principes ipsos ac reges et imperatores; tamque late protenditur ut ne simplex quidem desiderium patefieri possit, nec preces intercessionesve scripto vel ore, mediate aut immediate interponi valeant.

CAPUT VII.

De iis quae sequuntur electionem canonice factam.

ARTICULUS I.

De consensu electi seu de acceptatione.

Bibliographia: Bonacina, op. cit., p. 47; Camarda, op. cit. p. 149 s.; Meuschen, op. cit. p. 53; Passerini, op. cit., p. 67 s.; Sarnesius, *De consensu ab electo Papa praestando*, p. 6 ss.

Lector, *Le conclave*, p. 265 ss.; eiusdem auctoris, *L'élection papale*, p. 265 ss.

Summarium: 1. Necessitas acceptationis ex parte electi ac vis iuridica eiusdem. — 2. Num Ecclesia vel S. Cardinalium Collegium primatialem potestatem tribuat electo. — 3. Ritus quo electo statim post electionem obsequium exhibetur. — 4. Ritus quo electi consensus exquiritur. — 5. Nomen Pontifici electo assumendum. — 6. Attestatio authentica de electione et acceptatione. — 7. De electo extra sacrum Collegium seu Conclave. — 8. Quid electus ante coronationem agere valeat. — 9. Obedientia seu adoratio a Cardinalibus electo praestanda. — 10. Num excipi possit contra electum. — 11. Num certa fide constare possit de R. Pontificis legitimitate.

1. **Necessitas acceptationis ex parte electi ac vis iuridica eiusdem.** — In quavis electione, etiam praelatorum inferiorum, electi consensus necessario requiritur. Sane obligationes haud imponendae sunt, nisi quisque suapte voluntate acceptet eisque ferendis se parem exhibeat.

Quin imo si de iurisdictionis agatur potestate, alio quoque sub respectu consensus electi absolute exigitur, quatenus scilicet iurisdictio in vinculo morali sita est, quod Superiorem inter ac subditum existit, quodque a voluntate prorsus dependet, ita ut voluntatis assensu deficiente, conceptus ipse iurisdictionis plane evanescat. Haec omnia potiori ratione applicanda veniunt electioni Pontificis. Re quidem vera nulla in mundo datur Pon-

tificatu excellentior dignitas, nullum sublimius officium nullumque profecto gravius munus. Quapropter si consensum electi in quavis etiam minoris momenti electione requiri oportet, dubitandum non est quin a fortiori is qui in Romanum Antistitem assumitur sua ipsamet voluntate pontificium munus acceptare teneatur.

Immerito Bonacina (1) putat Sedem Apostolicam vacuam dici amplius non posse post electionem canonice factam, etsi electus nondum acceptaverit. Immerito profecto id asseritur; nam electus ante acceptationem, nulla potestate gaudet nulloque iure pollet; qua de causa cum ipse legitimus Pastor et caput Ecclesiae nequaquam sit, Apostolica Sedes vacua procul dubio censenda est.

Vis iuridica acceptationis tanta est ut ab ea exclusive electionis valor dependeat. Sane, ubi primum electus acceptaverit, illico fit legitimus Pontifex Romanus ac supremam in universam Ecclesiam assequitur potestatem, etsi forte episcopus vel presbyter nondum sit.

Acris olim adfuit controversia num electus cogi possit ad consensum praestandum, vel saltem Cardinales praecipere valeant ut electus quam primum acceptet vel respuat electionem. Dubitandum haud est quin consensus cadere nequeat sub lege aut praecepto, quia sive lex sive praeceptum vim non habet nisi quoad subditos; iam vero dum electus consentit non est subditus. Ne regularis quidem potest a superiore compelli ad acceptandum Pontificatum, quidquid aliter nonnulli auctores putent; quorum rationes expenduntur a Passerino (2). Religiosus vir praelato obnoxius non est nisi quod illa quae statum religiosum attingit; ergo Praelatus subditum regularem adigere nequaquam valet. Quin imo religiosus non tenetur consensum Superioris requirere, ut merito docent Suarez (3), Barbosa (4), Sanchez (5), allique.

Id de rigore iuris dictum volumus; etenim quam maxime decet, ut ipsa ratio manifesto suadet, subditum regularem Supe-

---

(1) *De electione Pontif.*, qu. II, n. 9.
(2) Op. cit. p. 155.
(3) To. III, *de relig.* lib. X, cap. X, n. 8.
(4) In cap. *Quum sit necessarium*, q. 18 n. 2.
(5) Op. cit., lib. VII, cap. XXIX, n. 58.

rioris consensum exposcere, si forte contingat eum in Romanum Pontificem eligi.

Cardinales tempus procul dubio constituere valent, intra quod electus consensum praestare teneatur, seu terminum constituere, quo transacto, cesset ipso facto quodlibet ius electi. In hanc sententiam maior saniorque theologorum et canonistarum pars olim conveniebat; hodie vero haec doctrina certa plane est, cum Pius X diserte decernat: « *Hoc consensu praestito intra terminum*, quatenus opus sit, *prudenti arbitrio Cardinalium per maiorem votorum numerum determinandum* ... » (1).

Eiusmodi quod attinet terminum praefigendum animadvertimus:

a) Cardinales non semper teneri illum statuere, sed tantum cum rerum necessitas postulat, quod contingit v. gr. si electus extra Conclave et a fortiori si extra Urbem degat;

b) ius terminum praefigendi ipsis Cardinalibus, Conclavi durante, competere, per maiorem relative suffragiorum pluralitatem;

c) longius vel brevius definiri posse terminum pro temporum et locorum adiunctis;

d) disertis clarisque verbis quolibet in casu determinandum esse. Etsi Constitutio Pii X expresse haud statuat termino praefixo eam inesse vim, ut electus, eo elapso, quodvis ius amittat in ordine ad factam designationem, nihilominus id manifesto liquet ex mente legislatoris nec non ex ipsamet iuridica termini natura.

2. **Num Ecclesia vel S. Cardinalium Collegium tribuat electo primatialem potestatem.** — Suprema potestas immediate a Deo confertur, non autem ab Ecclesia aut a Sacro Cardinalium Collegio.

Cardinalium enim coetus, Sede vacante, iurisdictione in Ecclesiam haudquaquam fruitur, ut pluries animadvertimus; ideoque cum ipse careat, eamdem conferre minime valet iuxta tritum iuris effatum: « *Nemo dat quod non habet* ». Duo siquidem in hac re sunt plane distinguenda. Alterum est designatio personae: alterum collatio potestatis; quae duo interdum coniunguntur, v. gr.

(1) Tit. II, cap. VII, n. 88.

cum Christus Petrum designavit et elegit eique potestatem contulit; interdum separantur, ut v. gr. cum rex aliquem in episcopum nominat, personam quidem designat; potestas vero non a rege sed ab uno Pontifice, approbando regiam nominationem, confertur.

Actio Cardinalium est quodammodo extrinseca; in eo enim tota versatur ut designet personam; qua designata, plane cessat purpuratorum Patrum quodlibet munus. Collatio potestatis ex parte Dei seu Christi, Ecclesiae auctoris, a priori concessione facta Petro originem habet; quin imo moraliter eadem cum illa est. Nam Christus una perrenique voluntate statuit eam Petro concessurum fore, et omnibus *legitimis* eius successoribus, seu *rite et canonice designatis*; qua voluntate posita, vi necessitatis cuiusdam hypotheticae confertur electo in Romanum Pontificem potestas, id est vi legis divinae de primatu divi Petri perpetuo in Ecclesia duraturo (1).

Iure meritoque proinde Innocentius III (2) declarat « *Potestas nostra non est ex homine, sed ex Deo* ».

Non desunt explicitae declarationes quae hanc doctrinam luculenter confirmant.

Sane Nicolaus II (3) declaravit, electum ante consecrationem seu inthronizationem obtinere « auctoritatem regendi Romanam Ecclesiam et disponendi omnes facultates illius, quod beatum Gregorium ante suam consecrationem cognovimus fecisse ».

Clemens V vero (4) excommunicatione eos innodatos declarat, qui Litteras a Romano Pontifice ante suam incoronationem concessas impugnare audent.

Consuetudo proinde caeremonialis dumtaxat est, quod nonnisi coronatus Pontifex Lateranensis Ecclesiae possessionem capiat, et quod ante consecrationem et coronationem nec Pontificatus

---

(1) Cfr. BALLERINI, *De potest. eccl.*, cap. IX, § 1, n. 1; FAGNAN, in cap. IV, X, *de elect.* I, 6, n. 32; Card. CAIET. in opus. I, *de potestate Papae*, cap. XIV; BARBOSA; *Ius. eccl.* lib. I, n. 47; PETRA, to. IV, in *Constit. V, Clementis VI*, n. 15; SUAREZ, *De fide*, disp. X, sect. IV, n. 3; BELLARM., *De Rom. Pontif.* lib. II, cap. XII.

(2) Cap. 13, X, *de iud.*, II, 1.

(3) C. 1, D. II, 23.

(4) Cap. 4, *de sent. excomm. V. 10, in Extrav. comm.*

annum in literis scribat, nec simpliciter Episcopum se nominet, sed tantum in hanc formam subscribat: « *Data suscepti a Nobis Apostolatus officii anno... N. electus Episcopus* ». Item nec integra Bulla uti solet. Post coronationem vero Episcopum simpliciter se appellat, Pontificatus annum a die coronationis numerat ac integra utitur bulla.

Romanus Pontifex igitur statim post electionem canonice factam et acceptatam ante consecrationem vel coronationem aut captam possessionem Basilicae Lateranensis, plene ac perfecte iurisdictionis primatum assequitur.

Quidam haeretici erraverunt dicentes electum haud esse verum Papam, nisi sit probus; confirmantque assertionem ex facto Christi, qui Petrum prius de dilectione interrogavit, imo putarunt non fore verum Papam, nisi praedestinatum. Sic opinati sunt Ioannes Wiclephus et Ioannes Hus, quorum absurda doctrina proscripta fuit in Concilio Const. Sess. VIII et XV. Et merito quidem; nam potestas iurisdictionis et ordinis non supponit necessario in subiecto gratiam et innocentiam.

Perbelle hinc Suarez (1) animadvertit: « Itaque certum est, ut Deus conferat infallibiliter hanc dignitatem, nihil aliud requiri, quam personam simpliciter capacem eius legitime electam fuisse, sive digna sit, sive indigna: nam Deus ob maius Ecclesiae bonum ita statuit, atque exequitur, quia multo esset maius Ecclesiae incommodum carere saepius vero capite, semperque posse de illo dubitare, quam habere interdum infirmum. Neque in hoc est eadem ratio de Deo et hominibus; tum quia homo est tantum dispensator, Deus vere Dominus; tum etiam quia certo constare potest, quando homo confirmat praesentationem, in Deo autem constare non posset absque speciali revelatione, quam non oportuit iugem esse in Ecclesia; tum denique quia homo nequit insufficientiam alterius hominis electi supplere instar Dei, qui per pravum vel indoctum Pontificem potest, si velit, aeque bene providere Ecclesiae, ac per alium quantumlibet dotibus ornatum ».

Porro Christus a Petro poposcit amoris attestationem, non quia fundare vellet primatum in charitate, tamquam necessario

(1) L. c.

fundamento, sed gratia exempli, ut pastores intelligerent, quales esse deberent, et rectores ab eis oporteret eligi. Ita passim interpretati sunt Sancti Patres, Augustinus (1), Chrysos. (2), Leo papa (3).

3. **Ritus quo electo statim post electionem obsequium exhibetur.** — Ubi primum e scrutinio constet de canonice acta electione, ultimus Cardinalis ex Ordine Diaconorum advocet Praefectum Caeremoniarum; qui, Aulam scrutinii ingressus, ceteris coadiuvantibus Caeremoniariis, curet dimitti seu flecti baldachinos sedes Cardinalium adornantes, ita ut unus maneat baldachinus erectus, is nempe qui electi sedem adornat (4): « Il Prefetto delle cerimonie, entrato nell'aula, faccia immediatamente abbassare tutti i baldacchini che sovrastano ai seggi degli Eminentissimi Cardinali, all'infuori di quello che sovrasta al seggio dell'eletto ».

4. **Ritus quo electi consensus exquiritur.** — Ius consensum electi requirendi ad Cardinalem Decanum nomine totius sacri Collegii spectat. Decanus, comitantibus Ordinum Capitibus, ad sedem electi pergit eumque reverenter sic interrogat: « *Acceptas ne electionem de te canonice factam in Summum Pontificem?* » Responsum quavis forma proferri potest; illud autem statim per caeremoniarum Praefectum aliis Cardinalibus significandum est.

Quaeri heic potest an electus acceptare teneatur, vel nuncium citra culpam mittere valeat pontificiae dignitati.

Si quaestio sit resolvenda iure canonico inspecto, nullum dubium quin electo per se haudquaquam acceptandi officium incumbat; si vero quaestio sit resolvenda iure naturali seu divino attento, id est theologiae moralis principiis perpensis, quamplurima adiuncta sunt pensanda.

Pius X (5) electum in Pontificem ita perbelle adhortatur: « Electum vero haeredem et Successorem Nostrum rogamus, ne muneris arduitate deterritus ab eodem subeundo se retrahat, at potius divinae voluntatis consilio humiliter se subiiciat; nam

(1) *De agone christ.*, c. 30.
(2) Lib. II, *de sacerdotio.*
(3) *Serm. 3 de assumpt.*
(4) Novaes, op. cit., p. 28.
(5) Tit. II, cap. VI, n. 86.

Deus qui imponit onus, manum etiam Ipse supponet, ne ei ferendo sit impar; et ne sub magnitudine gratiae succumbat infirmus, dabit virtutem qui contulit dignitatem » Iisdem fere verbis usus fuerat Leo XIII Constit. « *Praedecessores Nostri* ».

Quid iuris si electus acceptare renueret? Invitus nemo suscipere tenetur munus pontificium; ideoque si ab eodem subeundo reapse quis se retraheret, etiam post consilia ac preces et suasiones ex parte Decani aliorumque Cardinalium, Eminentissimi Patres statim procedere deberent ad novam electionem peragendam, iis omnibus adamussim servatis quae in primo scrutinio praestita fuerunt.

5. **Nomen Pontifici electo assumendum.** — Consensu habito, Decanus Sacri Collegii ab electo requirit quodnam nomen assumere ipse velit, quod vix panditum elata ac intelligibili voce Cardinalibus electoribus significat.

Primus qui novum assumpsit nomen fuit Ioannes XII, die 16 dec. 955 Romae electus. Quidam auctores, contra putant Marinum I (16 dec. 882) et Adrianum III (17 maii 884) ac Stephanum VI (12 sept. 885) consuetudinem de nomine mutando primos induxisse. At perperam id asseri hodierni de re historica scriptores luculenter ostendunt.

Eiusmodi consuetudo seu mos haudquaquam talis est, ut Pontifex electus illam illumve sequi adigatur. Sane Adrianus VI (1522) et Marcellus II (1555) nomen baptismale servarunt.

Quodvis nomen assumi valet; ordinario assumitur nomen Papae protectoris vel Sancti quem peculiari devotione electus prosequitur. Non desunt qui affirment nomen Petri assumi non posse. Quid videtur dicendum? De rigore iuris nullum dubium quin assumi valeat, cum nulla extet lex id vetans; attamen reverentiae causa decet, Petri nomine relicto, aliud assumi (1).

Iuxta antiquum ritum, ceu tradit Angelus de Nuce (2), non ipse electus nomen sibi assumebat, sed ab aliis illi imponebatur. Variis quidem exemplis id probari posset, quae passim occurrunt in Romanorum Pontificum vitis, qui post annum Christi mille-

---

(1) Cfr. BARON. a. 955, n. 4; CATELAN. *Sacrarum caeremoniarum*, etc. p. 71; SANDIN. *in Vitis RR. Pontificum*, annot. II ad Ioannem XII.

(2) Cfr. LEO HOSTIEN. *Chron.*, lib. III, cap. 66.

simum claruerunt, relatis a Platina, Panvinio, Ciaconio, Pagio et aliis.

Porro quinam nomen imponerent, non unus idemque ordo semper fuit. Aliquando enim ipse clerus vel populus, qui suis suffragiis elegerat, nomen imponebat; aliquando Cardinalis prior diaconorum; aliquando Cardinalium Collegium. Ex praescripto antiqui Romani Ordinis XII, auctore Cencio (1), « prior Diaconorum ipsum (electum nempe Pontificem) de pluviali rubeo ammantat, et eidem electo nomen imponit ». Id tamen ipsius electi arbitrio factum fuisse iure opinamur.

6. **Attestatio authentica de electione atque acceptatione.** — Praefecto caeremoniarum utpote Protonotario Apostolico, vel S. Collegii Secretario scripta relatio conficienda est, ex qua authentice de acta electione ac subsecuta acceptatione plane constet. Eiusmodi relatio testibus saltem duobus subsignanda est et in archivo Sedis Apostolicae servanda.

7. **De electo extra Collegium seu Conclave.** — « Quod si electus esset aliquis extra Collegium, et tamen in Urbe vel in loco vicino, antequam Patres exeant e Conclavi, vocetur nomine Collegii, ab aliquibus Praelatis, et introductus in Conclavi a Priore Episcoporum, intimetur ei electio, et requiratur eius consensus; quo habito, omnia fiant, quae de electo praesente superius dicta sunt. Si autem non consentiret, iterum ad novam electionem faciendam procedant. Si autem canonice electus esset absens, ita quod per aliquos dies eius praesentia haberi non posset, Patres, publicata eius electione et destinata ad electum idonea legatione, conclavi exeant.

« Legati cum mandatis et authenticis documentis nominato electionem insinuent et consensum exquirant; acceptantem, Summum Pontificem salutent, et habitu Pontificali exornent, referantque Patribus; deinde reliqua peraguntur, ut novo electo et Collegio videbitur. Si autem acceptare noluerit, iterum Domini Cardinales in Conclave revertantur ad novam electionem peragendam » (2).

Compertum cuique est Antistites maximos nedum ex sacro

---

(1) Cap. 48.

(2) *Caeremoniale Romanum*, lib. I, tit. I, § 37.

Cardinalium Collegio, verum etiam ex quocumque ordine episcopali seu presbyterali aut clericali, nec non laicali ipsomet assumi posse stricto iure. Nec desunt exempla.

Sic. v. gr. Clemens IV (5 febr. 1265); item Gregorius X (1 sept. 1271). Cardinales, qui iam tribus ferme annis dissidentes fuerant, demum per viam compromissi Viterbii degentes in Romanum Pontificem renuntiarunt Thealdum seu Thebaldum Vicecomitem Placentinum, Archidiaconum Leodiensem, extra Collegium Cardinalium, qui absens in Syria apud Ptolemaidem, religionis gratia, tunc versabatur.

Pariter Coelestinus V (5 iul. 1294). Sane post diuturnam ac perniciosam Cardinalium dissensionem, Perusii Pontifex creatus fuit vir quidam sanctissimus Sulmone in eremo degens. Ad eum sacrum Cardinalium Collegium « archiepiscopum Lugdunensem, Episcopos duos, duosque Apostolicae Sedis notarios » misit (1), qui eum rogarent ut assensum praeberet ac Perusium se conferre dignaretur. Item Clemens V (5 iun. 1305) et Adrianus VI (9 ian. 1522) absentes electi fuere.

Si forte contingat aliquem in Pontificem maximum renuntiari extra Collegium degentem, haec attendi servarique debent hodierna inspecta disciplina:

a) Sive electus in Urbe aut in loco vicino commoretur, sive in loco dissito, seu longe absit, Cardinales e Conclavi ne exeant, antequam nuncium receperint de consensu ab electo praestito necne. Sane per viam ferream communicationes hodie facillimas esse, nemo est qui ignoret. Si electus acceptaverit, Conclave aperiatur atque exinde Cardinales egrediantur; sin consentire abnuerit, Emi Patres illico procedant ad novam electionem peragendam.

b) Ad electum longe absentem documentum authenticum de acta electione, subsignatum a Decano sacri Collegii nec non a duobus testibus seu a Secretario eiusdem Collegii et a Praefecto Caeremoniarum, transmitti debet.

c) Eiusmodi documentum ad electum deferatur per memoratum sacri Collegii Secretarium et Praefectum Caeremoniarum,

---

(1) IACOBUS Card. STEPHANESCUS, *in praefat. ad acta S. Petri Coelestini*, part. II, n. 11.

eosdem comitantibus nonnullis Praelatis a Collegio specialiter designatis.

d) De consensu obtento vel minus, documentum scripto exaretur, ad Cardinales in Conclavi adhuc degentes deferendum.

e) Si electus acceptaverit, nulla interiecta mora ad Urbem accedat ibique coram sacro Cardinalium Collegio consensum renovet, servatis servandis, ac novum documentum conficiatur.

8. **Quid electus ante coronationem agere valeat.** — « Ante coronationem suam electus Romanus Pontifex consistoria tenere non consuevit, neque provisiones aliquas Ecclesiarum facere. Si tamen aliquo impedimento coronationem diutius differre oporteret, et urgeret necessitas, Ecclesiis recte posset providere, et omnia quae essent pro utilitate reipublicae peragere; et hoc tempore, Bulla plumbea Litterarum suarum ab una tantum parte imprimetur, ubi sunt capita Apostolorum; ab alia autem, ubi literae sui nominis imprimi solent, nihil erit. In principio, si prius erat Episcopus consecratus, scriberetur *Innocentius Episcopus Servus*, etc. ut alias. Si autem non esset consecratus Episcopus, scriberetur *Innocentius electus Servus servorum Dei*. In fine autem Litterarum, ante datam adduntur haec verba: *Nec mireris, quod Bulla exprimens nomen nostrum non est appensa praesentibus. Nam ii, qui fuerunt hactenus electi in Romanos Pontifices, ante suae consecrationis et benedictionis solemnia in suis bullandis Litteris modum huiusmodi observare consueverunt.* In data autem loco *Pontificatus Nostri*, dicitur *suscepti a Nobis Apostolatus officio anno primo* » (1).

Non defuerunt olim auctores qui contendere ausi fuerint Romanum Pontificem ante consecrationem et coronationem nullo iure nullaque potestate frui Ecclesiam gubernandi. Quam inepte id putatum fuerit, nemo profecto est qui ignoret.

Sane electus in Antistitem maximum, ubi primum consensum praestiterit electioni, statim a Christo Domino (non autem a sacro Cardinalium Collegio vel ab Ecclesia) supremam ac universam accipit Primatus iurisdictionem pro christiana republica pascenda regendaque. Quod indubie accidit, etiamsi electus

---

(1) *Caeremoniale Romanum*, lib. I, tit. I, § 38.

nonnisi tonsura sit forte insignitus, imo etsi ad laicum statum adhuc pertineat.

Antiquis temporibus, donec electus consecratus fuisset, rerum gerendarum potestas penes eos manere solebat, qui, Sede vacante, Ecclesiam administrabant, seu penes archipresbyterum, archidiaconum et primicerium notariorum.

Hac de re quamplura exstant historica documenta (1).

Nicolaus II in can. I Romani Concilii, ut suprema auctoritate errori et controversiae viam occluderet, decernendum solemniter censuit: « Plane postquam electio facta fuerit, si bellica tempestas, vel qualiscumque hominum conatus malignatis studio restiterit, ut is, qui electus est, in Apostolica Sede iuxta consuetudinem inthronizari non valeat, obtinet auctoritatem regendi Romanam Ecclesiam, et disponendi omnes facultates illius. Quod B. Gregorius ante suam ordinationem fecisse cognovimus ». Quidam auctores, Garnerius (2) et Catalanus (3), docent Gregorium M. nonnisi « clero annuente res administrasse ante ordinationem », ita ut contendere videantur ius administrandi ad beatum Gregorium spectasse non vi electionis canonice factae, sed tantum ex populi benevolo assensu. At perperam plane. Consensus populi, si revera adfuerit, eo sensu congruus necessariusque dici potest, quatenus dissensiones ac tumultus sic vitarentur, cum de re ageretur quae consuetudini seu praxi iamdiu receptae adversabatur.

Clemens V (4) ut errores adhuc pervicaciter grassantes solemni iudicio proscriberet e medioque auferret, haec statuenda censuit: « Quia nonnulli.... asserere non verentur, quod Summus Pontifex ante suae coronationis insignia se non debet intromittere de provisionibus, reservationibus, dispensationibus et aliis gratiis faciendis, nec se in Literis Episcopum simpliciter, sed electum Episcopum scribere, nec etiam uti Bulla, in qua nomen exprimatur ipsius; Nos talium temeritates compescere cupientes, singulos, qui occasione huiusmodi aliquas Litteras quae

---

(1) Baron. ad an. 596, n. 6 ss.; Pagius, *in Vita S. Gregorii M*, n. 3 ss.; Bedá, *Historiae Gentis Anglorum*, lib. II, cap. 9; Sandinius, *in notis ad vitam Joannis papae IV, Benedicti II et aliorum.*

(2) In tit. I. *libri diurni RR. Pontificum.*

(3) Op. cit., p. 82, n. 4.

(4) Cfr., c. ult. lib. V. extrav. comm. *de sententia excommunicationis.*

a Nobis ante donationis nostrae insignia emanarunt, ausi fuerint impugnare, excommunicationis sententia innodamus ».

Proinde dubitandum haud est quin pleno absolutoque iure valeat Pontifex, nondum consecratus, apostolico fungi munere.

Mos ut *Bulla plumbea Litterarum suarum ab una tantum parte* imprimatur, *ubi sunt capita Apostolorum; ab alia autem, ubi sunt litterae sui nominis, nihil extet*, laudabilis quidem est; verum Papa illum pro lubitu retinere immutareve potest. Re sane vera aliquando constat immutatum fuisse (1).

Item mos, quem Caeremoniale recenset, ut scilicet in principio Litterarum, si electus est Episcopus consecratus, scribatur, exempli gratia, *Pius Episcopus Servus*, etc.; sin autem consecratus non est, scribatur, *Pius electus Servus Servorum Dei*, antiquus est (2); quem tamen Papa servare nequaquam adigitur.

Haec consulto animadvertenda ducimus, cum plures rerum historicarum scriptores Romanis Pontificibus consuetudini seu praxi receptae omnino esse deferendum contendant.

Urbanus IV primus fuit qui numerum ordinis adiecit, habito scilicet respectu ad Pontifices decessores eodem nomine insignitos. Itaque hodie haec est officialis Romani Pontificis subsignatio: *Pius papa decimus.*

Quamplura de voce *papae* inquiri possunt tum historice quum iuridice seu theologice.

Si etymon vocis spectetur, papa idem est ac *pater patrum*, ut notat Glossa communiter recepta (3). Videtur Siricius primus fuisse qui nomen papae assumpserit; nihilominus etiam post Siricium eiusmodi nomen commune fuit episcopis et Pontificibus. Gregorius VII in Concilio Romano an. 1076 illud Antistiti Maximo exclusive reservavit. Decrevit sane « ut papae nomen unicum esset in universo christiano orbe nec liceret alicui seipsum vel alium eo nomine appellare » (4).

9. **Obedientia seu reverentia a Cardinalibus electo praestanda.** — Statim post acceptationem, electus in sacrarium du-

---

(1) Cfr. MABILLON. l. c.

(2) Cfr. MABILLON. op. cit. II, p. 584; CATALAN. l. c., n. 9.

(3) *Prooem. Clement. verb. Papa.*

(4) Cfr. P. SOLLER. *Hist. chronol. Patriarch. Alexandr.* p. 256 ss.

citur, ibique, duobus Diaconis Cardinalibus adiuvantibus, indumenta papalia sumit. Dein ad altare ducitur, ubi in cornu Evangelii sistens *obedientiam*, ut aiunt, a Cardinalibus in Conclavi praesentibus recipit. Quae *obedientia* sic praestatur: Cardinales, Ordinum dignitate servata, ac primus quidem Decanus, singuli vel bini ad altare accedunt; coram electo genua flectunt; eiusdem pedes ac manus et os deosculantur, seu osculum pacis accipiunt.

In codice ms. 1804, quem ipsi perspeximus, haec recensentur vestes papales electo assumendae pro prima Cardinalium reverentia: « L'eletto indossi sottana e calze bianche, scarpe rosse con la croce, rocchetto, mozzetta, stola e zucchetto bianco ». Nulla mentio occurrit de pluviali Attamen congruum plane est ut etiam pluviale induat iuxta praescriptum *Caeremonialis Romani*.

« His peractis, ducitur electus in sacrarium, et a Diaconis Cardinalibus exuitur vestimentis communibus quae ex antiqua consuetudine cedunt clericis caeremoniarum, induiturque papali habitu, toga scilicet lanea albi coloris, caligis rubeis, sandaliis rubeis aurea cruce ornatis, cingulo rubeo cum aureis fibulis, bireto etiam rubeo, et demum mundo nitido rochetto; deinde imponunt ei amictum, albam longam, cingulum, et stolam ornatam cum perlis pendentem a collo, si est presbyter aut Episcopus. Si autem esset diaconus, stola sit super humerum sinistrum in formam diaconi. Si sit subdiaconus, vel infra, non ponatur ei stola; et ita indutus educunt, ac super praedictam sedem rursus sedere iubent, ibique supplicationes complures signat. Demum, dum Cardinales depositis croceis et parvis caputiis, cappas suas reassumunt, imponunt novo Pontifici pluviale rubeum pretiosum et mitram auro et geminis ornatam illumque sedere faciunt super altare, cui Cardinales omnes reverentiam exhibent per ordinem, pedes, manus, et os deosculantes » (1).

Romanus Ordo XII a Cencio Camerario editus (2), ritum in nonnullis diversum, minimi tamen momenti, refert.

Item *Caeremoniale* Gregorii papae X hunc ritum, recenset:

---

(1) Ita *Caeremoniale Romanum*, lib. I. tit. I, § 25.

(2) Cap. 48.

« Prior Diaconorum..... ponit ei (novo Pontifici) mantum et dicit: *Investio te de Papatu Romano, ut praesis Urbi et Orbi* » (1).

Gregorius VII nedum *Papae*, nomen, at etiam pedum osculum uni Antistiti Maximo reservavit (2).

10. **An excipi possit contra electionem Papae.** — Exceptio alia est de iure tantum, alia de iure et de facto. Illa in eo consistit ut obiiciatur nullitas, electum tamen in possessione relinquendo usque ad prolatum definitivum iudicium: haec contra habetur cum electo denegatur obedientia ac ipse a Papatu dejicitur.

Vera exceptio dari nequit, at sola oppositio nullitatis ad effectum excludendi electum a Pontificatu. Sane exceptio vera seu stricte iudicialis nonnisi coram iudice competenti proponi valet id est coram legitimo superiore, qui in casu profecto deest.

Oppositionem nullitatis vero quod attinet, distinguendum est an electio impugnetur ex defectu eligentium vel potius electi, vel demum ex vitio formae. Ex parte eligentium excipi potest actualis furor seu amentia electionis tempore aut defectus diaconalis Ordinis, nisi de peculiari constet privilegio expresse tributo, vel renuntiatio in manibus R. Pontificis facta aut canonica depositio. Verum, si dempto Cardinali qui huiusmodi laborat defectu, duae e tribus suffragiorum partibus adhuc habeantur, electio valida est. Haec oppositio ipso Conclavi durante admittitur; non vero deinceps.

Ex parte electi excipi possunt defectus qui de iure divino vel naturali irritam faciant electionem. Quo in casu admittitur exceptio de iure, at non de iure et de facto.

Olim excipiendi erat facultas contra electum simoniace ex Constit. « *Cum tam divino* » Iulii II, nec non contra electum

---

(1) Osculum pedum antiquitus nedum pro Papa, sed pro aliis etiam Episcopis, imo et pro presbyteris adhiberi consuevit, teste Hieronym. (*epist. 6 ad Pammachium*).

(2) Cfr. CATALAN., *Comment. in Pontif. Rom.*, to. II, tit. XXIV, § 1, n. 3; J. SLEVAN., *De adoratione et osculatione pedum Summi Pontificis*, Venetiis 1745; MAYER. *De osculo pedum Pontificis Romani*, Lipsiae 1712; A. SAUS., *De Summi Pontificis deosculatione pedum*, Parisiis 1628; STEPH. ESTEV, *De osculatione pedum Romani Pontificis*, Venetiis 1578; C. CENNI, *De osculo pedum R. P.*, in *Dissertazioni postume*, p. 131; POUYARD, *Dissertazione sopra l'anteriorità del bacio dei piedi dei Sommi Pontefici*, Roma, 1807.

haereticum ex Constit. « *Cum ex Apostolo* » Pauli IV. Hodie contra simoniace electum haudquaquam excipi valet, cum simonia, etsi iure divino ac humano prohibita, nihilominus electionem non irritet (1).

De electione haeretici recole quae superius dicta fuere.

Ex parte formae tandem excipi valent omnes defectus qui nullam ipso iure electionem reddunt. Eiusmodi exceptio nonnisi, Conclavi durante, per se fieri potest; per accidens tamen nil vetat quominus et deinceps proponatur, modo tamen certo ac indubie de nullitate constet.

Quavis occurrente nullitatis oppositione, ius causam agendi unius S. Cardinalium Collegii erit, non autem Concilii generalis aut Episcoporum coetus, ut perperam quidam auctores contendunt (2).

11. **An certa fide constare possit de legitimitate Pontificis.** — Quaerimus an verus Pontifex visibilis sit in individuo et determinate ita ut non solum fide teneamus esse in Ecclesia Pontificem, qui Romae suam habet sedem, sed etiam hominem, quem oculis cernimus.

In triplicem Auctores abeunt sententiam.

1° Nonnulli putant quadam tantum morali certitudine nos agnoscere hunc esse verum Pontificem. Ita opinantur Albertin. (3), Caiet. (4), Cordub. (5).

Porro argumenta quibus innituntur haec sunt:

a) Numquam Deus revelavit hunc esse verum Pontificem; iamvero, deficiente revelatione, eo ipso deest quoque fides; proinde si non habetur fides, necessario admittenda est moralis certitudo, cum physicae certitudini locus haudquaquam sit.

b) Legitimitas Pontificis est res plane humana et contingens, utpote quae ex paucorum hominum testimonio pendet et ex plurimis circumstantiis sane dubiis, v. gr. an electus sit baptizatus, an rite ordinatus, etc.

---

(1) Cfr. Constit. « *Vacante Sede Apostolica* », tit. II. cap. VI, n. 79.
(2) Cfr. Passerini, op. cit., p. 459.
(3) Op. cit., qu. 5.
(4) 2-2 qu. I. art. 3.
(5) Lib. I, qu. 17, § 2.

c) Ex mente Ecclesiae constat eos qui verum Pontificem in individuo negant, non censeri haereticos; ideoque Sancti Patres dicunt eos non contra fidem errare, sed tantum contra charitatem, quatenus scilicet vinculum unitatis rescindunt.

d) Historia teste, aliquando Pontifex reputatus est, qui talis non erat; agitur ergo de re cui potest reapse subesse falsum.

2° Quidam de fide esse putant, hunc hominem, quem fideles ut caput Ecclesiae devotione ac obedientia prosequuntur, esse verum legitimumque Pontificem. Hanc sententiam profitetur Suarez (1), afferendis rationibus fretus.

a) Ex Bulla Martini V apud Concil. Constantien. haeretici, qui catholicae Ecclesiae reconciliari volunt, in primis interrogandi sunt, an credant Papam canonice electum, qui pro tempore sit (eius nomine expresso), esse successorem Petri et suprema in universam Ecclesiam potiri potestate. Praeterea haud distinguunt Concilia « inter verum Pontificem in communi, et hunc, qui nunc sedet cum omni consensione Ecclesiae, sed eadem veneratione ac fide complectuntur: sic certe Chalcedonense Concilium recipit nominatim Leonem Papam, sexta Synodus Agathonem, Milevitan. Innocentium III; et sic de ceteris » (2).

b) Si numquam catholica fide constaret, hunc esse verum Pontificem, consequenter neque constare posset, hoc esse verum concilium, quod non minus haereticum foret, quam si quis negaret vera esse quatuor evangelia, ut Gregorius Magnus merito dicit. Re quidem vera concilium formaliter includit Pontificem, cum unus dumtaxat legitimus Pontifex illud cogere valeat, ei praeesse eiusque acta adprobare.

c) « Immo neque catholica veritas et certitudo huius numero Ecclesiae posset recte consistere, quia haec maxime pendet ex coniunctione cum vero capite, requiritque veros ac legitimos sacerdotes, pastores et ecclesiasticam hierarchiam: at haec omnia pendent ex eo, quod verus et legitimus Pontifex in individuo sit certus, et qua ratione possum dubitare de hoc Pontifice, potero et de antecessore, atque adeo de tota retro serie, ergo de

---

(1) *De fide, disp. X, sect. V.*

(2) Cfr. SUAREZ, l. c.

veritate episcoporum et cardinalium, qui ab his creati sunt, atque ita ruet tota certitudo verae Ecclesiae, et hierarchici ordinis; quomodo argumentantur haeretici contendentes a tempore saltem Urbani papae defecisse veram successionem: hinc enim satis sibi videntur inferre, iam non posse esse certum, an vere Summo Pontifici succedatur, aut ubi gentium vera Ecclesia visibilis extet » (1).

d) Romano Pontifici ius est definiendi res fidei et obligandi subditos ut definita credant. Impossibile autem est, ut quis teneatur ad credendum ea, quae hic vir seu Pontifex definit tamquam divinitus revelata, nisi etiam teneatur ad credendum de fide hunc virum id est Pontificem habere a Deo ius definiendi et assistentiam Spiritus Sancti nec non potestatem obligandi fideles ut firmiter credant quae ipse definit, nisi scilicet teneatur credere hunc virum esse verum Papam divi Petri Successorem.

3° Tandem alii auctores docent legitimitatem Pontificis in individuo esse factum theologicum, ideoque, non fide divina eamdem esse credendam, sed theologica tantum.

Argumenta quae in medium afferunt patroni postremae sententiae haec sunt:

a) Legitima Pontificis existentia in individuo nequit esse obiectum fidei, cum divinitus revelata haud sit, neque obiectum simpliciter moralis cuiusdam certitudinis, cum quodvis dubium suapte natura excludere debeat.

b) Cognitio Pontificis in individuo est factum intime ac necessario connexum cum perpetuitate primatus in legitimos Petri successores transferendi. Iamvero facta quae cum aliqua veritate divinitus revelata connectuntur, theologica vocari solent. Ergo.

Si rationes hinc inde a patronis allatae intimius perpendantur, liquido patet tertiam a secunda differre verbis potius quam re. Sane vis quaestionis tota in eo est, ut clare determinetur quid nomine veniat *facti theologici*, et quodnam sit reapse *obiectum materiale* fidei divinae. Qua de re plura tradunt principes theologiae dogmaticae (1).

---

(1) SUAREZ, l. c.

(2) Cfr. FRANZELIN, *De Trad.* th. XII, schol. I; DE LUGO, disp. 20, n. 106; SUAREZ, disp. 5, sect. 6, n. 4 ss.; BILLOT, *De Ecclesia*, th. XVIII.

Tertiam nos sententiam profitemur, priori prorsus reiecta, cuius argumenta facile diluuntur. Etenim ex eo quod existentia veri Pontificis in individuo non sit revelata, minime sequitur eamdem nonnisi morali certitudine esse credendam; nam praeter fidem divinam stricto sensu ac moralem certitudinem, habetur fides seu certitudo theologica. Id quoad primum.

Secundum quod attinet, respondemus, veritatem, de qua agimus, pendere quidem ab humano testimonio, sicuti fides a praedicante pendet; id autem minime vetare quominus fides seu certitudo theologica inde profluat ob necessariùm cum dogmate nexum.

Quoad quartum argumentum animadvertimus, numquam decursu temporum accidisse ut universa Ecclesia tanquam verum Pontificem reputaverit, qui reapse talis non erat. Contigit quidem aliquando, quamplures fideles non agnovisse verum et certum pastorem; conspirasse autem totam Ecclesiam in unum falsum caput, existimando scilicet verum esse Papam, qui verus non esset, numquam accidit (1).

De tertio argumento non est cur disseramus, cum secundam dumtaxat, non autem postremam attingat sententiam.

ARTICULUS II.

De proclamatione, veneratione ac benedictione.

Bibliographia: Iacobus Caietanus, *Libri Caeremoniarum*: cap. *de investitione Papatus;* Cassander G., *Romanus Ordo,* Coloniae, 1561; Hittorpius M., *Romanus Ordo,* Coloniae, 1568; Georgius D., *De liturgia R. Pontificis,* Romae 1731: Mabillonius, *Mus. Ital.,* II, p. 221; Catalanus Ioseph, *Sacrarum Caeremoniarum sive rituum ecclesiasticorum sanctae romanae Ecclesiae libri tres* etc., Romae, 1750; Patricius, *Caeremoniale,* lib. I, p. 28 ss.; Ioan. Bapt. Gatticus, *Acta selecta caeremonialia S. R. E. ex variis codicibus et diariis saeculi XV, XVI et XVII aucta et illustrata,* Romae, 1753.

Summarium: 1. Proclamatio electionis. — 2. Aperitio conclavis, signa laetitiae, benedictio Urbi et Orbi. — 3. Secunda ac tertia obedientia a Cardinalibus Pontifici praestanda.

---

(1) Cfr. Suarez, l. c., n. 8.

1. **Proclamatio electionis.** — Proclamatio est actus quo populo expectanti solemni quadam forma significatur quinam sit novus Pontifex in Conclavi delectus. Mos proclamationem faciendi iamdiu invaluit. Sub una aliave forma nullo non tempore in usu fuit proclamatio. Ea profecto aetate, qua electio in Basilica seu Patriarchio Lateranensi fiebat, novus Papa coram clero populoque Urbis publicabatur. At vera publicatio nonnisi a Conclavis origine, id est a saeculo XIII, ortum habet, ut vix non omnes de re historica scriptores fatentur.

Olim ius publicandi novum Pontificem ad Sacri Collegii Decanum seu ad Cardinalem dignitate potiorem spectabat. Inde a saeculo XVII eiusmodi ius Priori Cardinali ex ordine Diaconorum exclusive reservatum fuit. Quae consuetudo hodie quoque viget. Nam Constitutio saepius citata decernit: « Deinde populo expectanti novus Romanus Pontifex a Priore Diaconorum publicatur ». (1).

Clericus Caeremoniarum crucem papalem capit, et procedit; eum sequuntur Cardinalis Diaconus, conclavistae et ceremoniarum magistri. Cum ad locum designatum pervenerint, Cardinalis populum expectantem ita alloquitur: « *Annuntio vobis gaudium magnum: habemus Pontificem Eminentissimum Cardinalem Iosephum Sarto, qui sibi nomen imposuit Pium decimum* ».

Si Conclave in Aedibus Vaticanis celebretur, haec publicatio fit ex fenestra Basilicae S. Petri; si alibi celebrari contingat, publicatio fit aut in Ecclesia cathedrali aut alio quovis loco, quo populus convenerit.

Ubi primum facta fuerit proclamatio, omnium Urbis ecclesiarum campanulae pulsantur.

Nulla iuridica publicationi inest vis, cum nonnisi mere caeremonia extrinseca sit. Proinde in sententiam eorum nequaquam convenire possumus, qui putant ad validitatem electionis ipsam requiri, ita ut, ea omissa, Pontifex electus tamquam verus Papa habendus non sit et christifideles citra culpam possint obedientiam eidem detrectare. Quam inepte haec similiave affirmentur, nemo est qui non videat, cum, prout diximus ac probavimus supra,

---

(1) Tit. II, cap. VII, n. 89.

statim post acceptationem Pontifex plenam actu absolutamque iurisdictionem in universum orbem acquirat ac exercere valeat.

2. **Aperitio Conclavis, signa laetitiae, benedictio Urbi et Orbi.** — « Dum haec aguntur, portae conclavis omnes aperiuntur, repagula, murique ostiorum et fenestrarum deiiciuntur; pulsantur campanae, et signa laetitiae omnis generis eduntur. Pontifex novus, praecedente cruce et Cardinalibus ad ecclesiam S. Petri descendit, et prostratus ante altare sine mitra aliquamdiu orat, agitque gratias Deo et beatis Apostolis. Tum surgens a Cardinalibus super altare ad sedendum constituitur cum mitra, et Prior Episcoporum genuflexus incipit: *Te Deum laudamus*, quem hymnum cantores prosequuntur. Interim Cardinales pedes electi, manus et os deosculantur servato ordine; quod et alii, qui adsunt, Praelati et Nobiles faciunt. Finito hymno, idem Prior Episcoporum stans a cornu sinistro altaris, ubi Epistola legitur, dicit super electum *Pater noster;* deinde, *Et ne nos* etc. ℣. *Salvum fac Domine Servum tuum Electum nostrum.* ℟. *Deus meus sperantem in te.* ℣. *Mitte ei, Domine, auxilium de sancto.* ℟. *Et de Sion tuere eum.* ℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* Oremus. *Omnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo N. electo in Summum Pontificem, et dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis aeternae ut te donante tibi placita cupiat et tota virtute perficiat. Per Christum Dominum nostrum. Amen.*

« His servatis descendit Electus de altari et versus ad populum solemniter benedicit dicens: *Sit nomen Domini benedictum*, etc. Tum eodem ordine revertitur ad Cameram papalem, et ibi acquiescit; et Domini Cardinales revertuntur ad propria » (1).

Ubi primum facta fuerit electionis proclamatio per Cardinalem Priorem ex ordine Diaconorum, conclave aperitur. De qua aperitione, sicut de clausura diximus, scripto authentica attestatio conficienda est, servatis servandis.

In vitis RR. Pontificum passim occurrunt publicae laetitiae signa occasione novi delecti Pontificis exhibita, ceu tradunt Platina, Panvinius, Ciaconius, Catalanus aliique rerum pontificalium

(1) *Caeremoniale Rom.* lib. I, tit. I, §. 26.

scriptores. At abusum quoque irrepsisse constat maxime detestabilem, expoliandi scilicet cellam electi, et aliquando etiam domum ipsam.

Hodie, ob immutatam rerum ac temporum conditionem, solemnis benedictio Urbi et Orbi dari ab electo solet ex lodia, vulgo *loggia*, interiori Basilicae S. Petri. Nil vetat porro quominus eadem benedictio ex lodia exteriori detur pro electi prudenti iudicio, ut liquido compertum est aliquando exinde datam reipsa fuisse.

3. **Secunda ac tertia reverentia a Cardinalibus Pontifici praestanda.** — Si electio R. Pontificis locum habeat in Aedibus Vaticanis, secunda *reverentia* seu *obedientia*, ut nonnullis auctoribus nuncupare placet, in Sacello Sixtino peragitur; per eamque actus quodammodo significatur, quo electus Papa Palatii Apostolici possessionem capit. Tertia demum praestari solet in Basilica S. Petri ad altare Confessionis; ac per eam, ceu tradit *Ordo Romanus XII*, possessio significatur, quam Pontifex sumit sepulcri Apostolorum in signum perpetuitatis Primatus, hoc est constantis legitimaeque successionis.

Eiusmodi *obedientia* passim ab auctoribus nuncupari solet, vi etymologica inspecta, *adoratio;* et merito quidem. Perperam autem protestantes exinde calumnias ac dicteria in catholicam fidem iniiciunt.

ARTICULUS III.

De ordinatione et consecratione electi.

Bibliographia: Baron, ad an. 261, n. 11; Jacob Caietanus, l. c., p. 45; Catalanus, op. cit., p. 53 ss.; eiusdem auctoris, *Comm. in Pontif. Roman.*, to. II, tit. XXIV, § 1, n. 3; Cassander G., l. c.; C. Cenni, *De osculo pedum Romani Pontificis*, p. 181; Gatticus, op. cit., p. 123 ss.; Georgius, op. cit. I, p. 63 s.; St. Estev., *De osculatione pedum Romani Pontificis*, Venetiis, 1578; Hittorpius M., l. c.; Mabillonius, *Comm. in Ord. Rom.*, p. 112; Mayer, *De osculo pedum Summi Pontificis*, Venetiis, 1731; Pagius, *Breviarium*, etc. II, p. 125; Sausanius, *De Summi Pontificis deosculatione pedum*, Parisiis, 1628; J. Slevanius, *De adoratione et osculatione pedum Summi Pontificis*, Venetiis, 1745; Sams, *De ritu consecrationis R. Pontificis*, Paris, 1750; Varnesius, *De Papae consecratione*, Venetiis, 1763.

ADAMI, *Della consacrazione del nuovo Pontefice*, Romae, 1840; MORONI, l. c.; POUYARD, op. cit., p. 8 ss.

Summarium: 1. De promotione electi ad sacros Ordines, si illis careat. — 2. De electi Pontificis ordinatione in subdiaconum. — 3. De promotione ad diaconatum. — 4. De electi ordinatione in presbyterum. — 5. De collatione Ordinum minorum, si fortasse iisdem careat electus. — 6. Consecratio electi in Episcopum, sine benedictione et coronatione. — 7. Ad quos spectet consecratio R. Pontificis. — 8. Ritus consecrationis episcopalis sine benedictione et coronatione. — 9. Ritus episcopalis consecrationis, una cum benedictione et consecratione. — 10. Ex Cappella S. Gregorii ad altare proceditur; quidam ritus explentur, antequam electus ad altare accedat. — 11. De benedictione electi Pontificis, iam consecrati Episcopi.

1. De promotione electi ad sacros Ordines, si illis careat. — « Si electus in Romanum Pontificem non esset in sacris Ordinibus constitutus.... statuta per eum die ante diem Coronationis, per aliquem Episcopum Cardinalem, vel alium, si magis placet, ordinetur, et ad omnes Ordines etiam presbyteratum poterit in eadem die simul, vel interpellatis (1) diebus promoveri, ut placuerit. In promotione autem haec servabuntur. Convenient in loco, ubi ordinatio fieri debet, electus Pontifex cum duobus diaconis, et aliquibus presbyteris Cardinalibus, subdiacono et acolythis apostolicis, et omnes convenientibus sibi et tempori paramentis ornentur. Deinde Episcopus consecrator cum suis ministris paretur; paretur etiam ante altare credentia pro consecratore, et credentia pro Pontifice electo cum rebus opportunis ad ordinationem » (2).

Nemo est qui ignoret stricto iure laicos ipsos in Romanos Pontifices eligi posse, cum nulla profecto extet lex id expresse vetans. Qua de re mentem nostram alibi pandidimus quoad Decretum Stephani III, qui presbyteris et diaconis Cardinalibus dicitur reservasse Romanum Pontificatum.

Neque, historia teste, desunt exempla mere clericorum, subdiaconorum, imo et laicorum, qui Sedem Apostolicam obtinuerunt, ut referunt conditores ecclesiasticorum Annalium, ac praesertim Baronius inter eos facile princeps.

---

(1) Sic habetur in textu, loco *interpolatis*.

(2) *Caeremoniale Romanum*, lib. I, tit. II, § 1.

Sandinus (1) docet Ioannem XIX primum fuisse qui « nullis ordinibus sacris initiatus Pontificium munus suscepit ».

Porro quidquid sit de memorati Pontificis electione, quem nonnulli auctores (at immerito) putant ante Pontificatum adeptum extitisse Episcopum Portuensem (2), indubie constat ex historicis documentis olim etiam mere clericos aut subdiaconos in Romanos Pontifices creatos fuisse. De hoc fidem faciunt Ciaconius, Panvinius aliique auctores in vitis Romanorum Pontificum, nec non Cohellius (3).

Item extra controversiam penes canonistas ac rerum historicarum scriptores est electio diaconorum in Antistites maximos.

Iamdiu tamen optima profecto ratione mos invaluit ut Papa nonnisi e Cardinalium Collegio assumatur. Qui mos - sedulo animadverti oportet – neve iuris scripti neve iuris consuetudinarii vim habet, ita ut nostra quoque aetate valida ac licita foret, servatis servandis, electio Episcopi aut presbyteri extra Collegium assumpti.

Sixtus V Const. « *Romanus Pontifex* » haec habet: « Ex eorum corpore, numero et Collegio ille ipse, qui cunctis Pastoribus est praeficiendus, ac totius dominici gregis curam habiturus, Summus Pontifex deligatur ».

Item Benedictus XIV (4) merito animadvertit, congruum omnimo esse, ut ex S. R. E. Cardinalibus Romanus Pontifex desumatur.

Quibus praemissis, nonnulla supersunt generatim dicenda de electi in Romanum Pontificem ordinatione.

1° Ordines quolibet die, sive festo sive feriali, electus recipere valet. Cum enim suprema iam fruatur iurisdictione, nullum dubium quin a lege interstitiorum ac ab aliis conditionibus iure canonico pro sacra statutis ordinatione dispensare valeat.

2° Ordinatio fieri debet ante coronationem non utique ad validitatem aut liceitatem, sed ex praxi iamdiu merito recepta.

---

(1) In notis ad vitam Ioannis XIX.

(2) Ciacon., op. cit., vita Ioannis XIX; Glaber Rodulphus, op. cit., lib. IV, cap. 1; Pagius, l. c.

(3) *Notitia Cardinalatus*, cap. VII.

(4) *De Servorum Dei beatificatione et Beatorum canonizatione*, cap. XXXIII, n. 11.

3° Ordines a quovis Episcopo catholico conferri possunt; congruum tamen est ut Episcopus Cardinalis eosdem conferat.

4° Ritus peculiares in sacra ordinatione servari oportet; in iis tamen, de quibus expresse cautum haud fuerit lege speciali, consueti ritus serventur.

Iuxta superius dicta, ambigendum non est quin summo iure ab hoc vel illo ritu Papa ordinandus dispensare valeat, modo de iis non agatur quae essentiam sacramenti attingant.

2. **De electi Pontificis ordinatione in subdiaconum.** — « Electus ordinandus ad subdiaconatum in sede sua in loco convenienti constituta primo lavet manus; tum supra rochettum paretur amictu, ita tamen ut possit imponi supra caput, cum tempus erit, alba, et cingulo, deinde pluviale, quod post collum remittit, ut totum retro dependeat; tum mitram accipiat, tempori congruam. Cum omnia parata erunt, Electus accedit ad altare, procumbet ad orationem sine mitra, et surgens faciet confessionem cum ordinatore; deinde revertetur ad sedem suam, et leget introitum etc. ut alias; et Ordinator procedet in Missa more consueto usque ad collectam ante Epistolam exclusive. Tunc Electus super faldistorium procumbet sine mitra; Ordinator autem in scabello ad eius sinistram cum mitra, et fiet Litania per subdiaconum; et cum perventum fuerit ad locum consuetum, surget Ordinator et benedicet Electum tertio dicens: *ut electum* etc. ut in Ordinario. Deinde iterum procumbet, et finietur Litania. Tum Electus, sumpta mitra, revertitur ad sedem suam, et Ordinator accedet ad eum et sedenti cum mitra ipse stans dat Electo calicem vacuum cum patena, et mox urceolos cum vino et acqua, bacile et manutergium. Quae omnia Electus tanget ambabus manibus, Ordinatore dicente: *Vide huiusmodi ministerium* etc. Deinde successive etiam cum mitra Ordinator dicit: *Oremus. Deum Patrem nostrum* etc. Tum deposita mitra dicit: *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Et interim etiam Electus surgit sine mitra; et Ordinator prosequitur: *Domine sancte Pater omnipotens aeternae Deus* etc. Qua finita oratione, Electus sedet sine mitra, et Ordinator accepta mitra, imponit amictum super caput electi, dicens: *Accipe amictum* etc., qui mox reassumit mitram, et Ordinator imponit illi manipulum in brachio sinistro, dicens: *Accipe manipulum* etc. Tum surgit Electus, extrahitur sibi mitra et

pluviale, et Ordinator induit eum tunicella, dicens: *Induat te Dominus veste* etc. Sedet deinde Electus cum mitra et Ordinator tradit illi librum Epistolarum, dicens: *Accipe librum Epistolarum* etc. Finita ordinatione subdiaconatus, si Electus non vult ulterius procedere, reassumit pluviale, et finitur Missa more consueto » (1).

In antiquis iam Romanae Ecclesiae Caeremonialibus cautum erat, ut electus in Antistitem maximum, in quocumque Ordine constitutus, promoveretur ad maiores Ordines secundum formam, qua alii ordinantur, hoc tamen salvo, quod ipse Electus, amictu et alba indutus, et cingulo succinctus, cum manipulo, si esset subdiaconus, cum stola super laevam si diaconus esset, sederet in faldistorio suo *tenens mantum sive pluviale non indutum, sed post collum, et mitram in capite tempori congruam;* et dum ordinaretur, Ordinator veniret coram ipso, et orationes debitas diceret (2).

Memoratum Caeremoniale praescribit etiam ut « dum Electus ordinatur, Diaconus Cardinalis et Subdiaconus assistent ei in lavando manus et induendo, sicut alias fieri consuevit, dum Papa celebrat, et erunt induti vestimentis sacris debitis, et eidem Electo postmodum duo debent assistere Diaconi Cardinales, qui ei serviant, ut est moris, et isti etiam vestibus sacris congruis erunt vestiti; alii Cardinales cuiuscumque Ordinis non erunt induti. Ordinator vero habebit suos ministros, qui ei in diaconatu et subdiaconatur et aliis ministrent ».

Haec etiam, nonnullis exceptis, in Caeremoniali quod hodie adhibetur, expressa inveniuntur.

3. **De promotione ad diaconatum.** — « Si vero placuerit ad diaconatum procedere, Ordinator apud altare in suo faldistorio prosequitur Collectam diei cum oratione pro Ordinando sub eodem *Per Dominum nostrum* etc.; et dicetur Epistola suo ordine. Qua finita, si Electus ante electionem erat subdiaconus, paretur in principio, sicut diximus, addito manipulo, et finita Epistola procumbat in faldistorio, et fiet Litania. Si autem tunc ordinatus est, finita Epistola surgat, et deponat tunicellam, et

(1) *Caeremoniale Romanum*, l. c.
(2) Cfr. *Caeremoniale* ms. XIII; cod. piersanctian.

iterum sedeat cum mitra et pluviali a collo; Ordinator autem ad eum accedit, et stans cum mitra dimissis aliis rebus, dicit: *Oremus. Dilectissimi Deum Patrem omnipotentem* etc. Et cum pervenerit ad *Per omnia saecula*, in praefatione, deponit mitram, et prosequitur praefationem usque ad eum locum, ubi dicitur *et quae sunt agenda concedere;* tunc Electo sine mitra sedenti imponit ipse solus dexteram manum super caput, dicens: *Accipe Spiritum Sanctum ad robur* etc. Deinde prosequitur praefationem usque in finem. Tunc deposito pluviali et mitra ab assistentibus, Electo stanti Ordinator cum mitra ponit illi stolam super humerum sinistrum dicens: *Accipe stolam candidam* etc. Deinde induit eum dalmatica dicens: *Induat te Dominus* etc. Et mox tradit illi sedenti Evangeliorum librum dicens: *Accipe potestatem* etc. Quo facto, Electo sine mitra surgente, Ordinator, deposita mitra, versus ad altare dicit: *Oremus*; et ministri: *Flectamus genua* etc. Et ipse prosequitur versus ad Electum: *Exaudi Domine* etc. *Domine sancte Pater* etc. His completis, si noluerit ad ulteriora procedere, Missa suo ordine finitur. Si autem ad presbyteratum tunc erit promovendus, Ordinator revertetur ad suum faldistorium, et leget Graduale, et *Alleluia*, sive Tractum; et postea procedet ad Ordinem sacerdotalem, ut sequitur. Quod si Electus erat prius Diaconus, parabuntur omnia ut supra, et ipsi addetur stola super laevam in formam Diaconi » (1).

Quaedam omitti solent cum electus in Pontificem Romanum ad maiorem aliquem Ordinem promovetur. In ceteris consuetum Caeremoniale observari oportet.

Nonnulla praecipue hac de re sunt animadvertenda, scilicet: *a*) ab Electo nullum servitium in altari praestandum esse Episcopo ordinatori; *b*) nec Epistolam ipsi nec Evangelium esse canendum; *c*) neque ante receptionem Ordinis postulationem – *Postulat mater Ecclesia* etc. – esse faciendam; nam ex eo quod iam legitime summum Pontificatum obtinuerit, satis superque constat ipsum dignum esse qui ad sacros Ordines promoveatur (2).

---

(1) *Caeremoniale Romanum*, lib. I, tit. II, § 2.

(2) Cfr. *Caeremoniale* Gregorii Papae X iussu editum, apud MABILLON. *Musaei Italici*, to. II.

Controvertitur inter historicos et canonistas an aevo antiquiori is, qui ex Diacono ad Pontificatum assumebatur, mox, presbyterii gradu omisso, Pontifex ordinaretur.

Mabillonius (1) expresse affirmat; item Edmundus Martène (2), quam sententiam amplecti videntur Catalanus (3) et Moroni (4).

Negat contra eruditus Lupus (5).

Mabillonius putat morem promovendi diaconum ad Pontificatum, omisso presbyterali gradu, abrogatum fuisse tempore intermedio Nicolaum I inter et Gregorium VII; addit vero, id contigisse occasione Photii obiectionum, quarum una erat, quod Romani per saltum Episcopos ordinarent (6).

Mabillonius – cuius auctoritate nituntur fere omnes hodierni patroni sententiae affirmantis – testimonium eruit ex libello II *Ordinis Romani*, ubi de Pontificis maximi electione haec dicuntur: « eligitur unus de Cardinalibus de qualicumque titulo fuerit; tantum ut a Praedecessore sit Pontifice ordinatus presbyter aut diaconus; nam Episcopus esse non poterit ».

In electi consecratione proinde – ait Mabillonius – nullum habetur discrimen inter diaconum et presbyterum, cum pro utroque unus ac idem consecrationis ritus statutus inveniatur. Quod ut facto confirmet, idem Mabillonius exemplum affert Stephani III (IV), Valentini et Nicolai, qui Pontifices per saltem ordinati dicuntur.

Verum ex allegatis verbis *Ordinis Romani* nil profecto eruitur in favorem opinionis Mabillonii, tum quia presbyteralis ordinatio nequaquam excluditur, tum quia antiquis temporibus fere iidem ritus, substantia excepta, servari solebant in presbyterali ordinatione et in consecratione episcopali, cum uno eodemque tempore contigisset utrumque Ordinem conferri.

4. De electi ordinatione in presbyterum — « Electus Pontifex in Ordine diaconatus existens, cum ad presbyteratum voluerit ordinari, parabitur ut supra diximus, et in Missa proce-

---

(1) L. c., cap XVIII.
(2) *De antiquis Ecclesiae ritibus*, lib. I, cap. VIII, art. 3, n. 9 ss.
(3) Op. cit., p. 88 ss.
(4) Op. cit. XVI, p. 310 s.
(5) Op. cit., to. III, *De octava Synodo generali*, cap. V, n. 7 ss.
(6) L. c.

detur usque ad *Alleluia*, sive Tractum exclusive, ut praedictum est, et tunc Pontifex electus paratus amictu, alba, cingulo, manipulo, stola in modum diaconi, et pluviali a collo retro pendente, procumbit super faldistorium ad Litaniam, si non est facta; et illa, ut praetermissum est in subdiaconatu, finita, revertitur ad sedem suam. Ordinator vero cum mitra ad Electum sedentem accedens manus ambas super caput Electi detectum imponit, nihil dicens; et idem faciunt omnes Episcopi, sive presbyteri Cardinales praesentes, accedentes tamen cum reverentia, et detectis capitibus. Deinde Ordinator stans cum mitra, extenta manu super Electum stantem dicit: *Oremus, dilectissimi Deum Patrem omnipotentem* etc. ut in Ordinario. Deinde deposita mitra, *Oremus;* ministri, *Flectamus genua*, *Levate;* et rursum, *Exaudi nos, quaesumus Domine;* et in fine expansis manibus dicit Praefationem, *Per omnia saecula saeculorum* etc. usque in finem. Deinde deponitur pluviale Electi, et Ordinator accedens cum mitra reflectit orarium Electo ante pectus in modum crucis: *Accipe iugum Domini* etc. Et mox imponit illi casulam ad scapulas a parte anteriori pendentem, dicens: *Accipe vestem sacerdotalem* etc. Post haec, deposita mitra, Ordinator super Electum dicit: *Deus sanctificationum omnium auctor* etc.; et finita oratione, genuflexus ad altare incipit hymnum *Veni Creator spiritus;* et similiter Electus genuflexus; et dicto primo versu surgit, et alii prosequuntur; ipse vero Ordinator accedit cum mitra ad Electum sedentem etiam cum mitra, et inungit ei ambas manus de Oleo sancto catechumenorum, producens cum pollice suo intincto duas lineas a pollice dextrae manus Electi ad indicem sinistrum, et a pollice sinistro ad indicem dextrum, et mox palmas, et reliqua intus perungit dicens: *Consecrare et sanctificare* etc. Manus Electi ita perunctae, una super alteram ponuntur, et in mappula a collo pendente, ut fit in Episcopis, reponuntur. Tunc Ordinator, deterso aliquantulum digito cum mica panis, tradit in manus Electi calicem cum vino et aqua, et patenam cum hostia, quae omnia Electus tangit, Ordinatore dicente: *Accipe potestatem offerre Sacrificium* etc. Quibus peractis, Electus in sua sede, et Ordinator in suo faldistorio lavabunt manus cum mica panis et aqua. Deinde legatur Evangelium more solito, et liber offeratur osculandus Electo. Tum Ordinator dicit: *Dominus vobiscum*, et offertorium:

et mox accedet ad Electum sedentem cum mitra, et ipse sine mitra accipiat de eius manibus offertorium, intorticia accensa, panem et vinum, ut est moris; et per singula osculatur manum Electi offerentis.

« Post haec revertitur Ordinator (1) ad faldistorium, et iterum tam ipse quam Electus lavant manus, et statim intrant ad altare. Electus accedit ad cornu altaris, ubi dicitur Epistola, et presbytero Cardinale ministrante, et serviente de libro, stans sine mitra, voce submissa omnia dicit cum Ordinatore, et cum ipso celebrat, signando et etiam verba consecrationis cum ipso proferendo, non tamen movet se de loco suo usque ad Communionem, et proceditur in Missa in omnibus, ut consuetum est; et post secretam de die dicitur secreta pro ordinato sub eodem, *Per Dominum*.

« Postquam Ordinator sumpserit sacram Eucharistiam, et partem Sanguinis Christi cum particula Corporis, quae erat intus, communicet Electum stantem in ipso cornu de Corpore et Sanguine Christi; et postea ambo purificentur cum vino, ut eis placuerit. His peractis, Electus revertitur ad sedem suam cum mitra, et Ordinator cum mitra lavat manus. Deinde accedens ad Electum stans sine mitra, dicit super Electum stantem sine mitra responsorium: *Iam non dicam vos servos* etc. Quo finito, Ordinator imponit ambas manus super eius caput dicens: *Accipe Spiritum Sanctum: quorum remiseris* etc. Et mox explicat casulam, quae in scapulis erat Electi, dicens: *Stola innocentiae induat te Dominus*. Quibus finitis, imponitur mitra Electo. Et tam Ordinator, quam alii Cardinales et Praelati assistentes recipiuntur ad osculum manus, pedis et oris Electi. Post haec Ordinator redibit ad altare, et perficiet Missam cum oratione pro ordinato; et dicto, *Ite Missa est*, vel, *Benedicamus Domino*, Electus crucem ante se habens stans sine mitra in medio altaris benedicet omnibus, dicendo: *Sit nomen Domini benedictum* etc. Et mox Ordinator sine mitra accedens versus Electum tertio genuflectens cum distantia convenienti ter dicet: *Ad multos annos;* et solus recipietur ad osculum oris; et sic expleta ordinatione exuet se vestibus sacris cum orationibus consuetis. Et hic modus de benedictione, et *Ad*

---

(1) In codice legitur *Ordinatus;* sed procul dubio est error amanuensium.

multos annos, servatur etiam si Ordines acciperet in pluribus diebus sigillatim » (1).

Inde ab edito Caeremoniali Gregorii X fere idem semper fuit ritus Pontificem electum ordinandi, ut scite animadvertit Catalanus (2).

Attamen nonnullae adsunt discriminis notae, quas referre supervacaneum ducimus.

De Communione sub utraque specie sumenda a Papa, in presbyterum ordinato, nulla habetur expressa mentio in Caeremoniali Gregorii papae X iussu edito, nec in quibusdam manuscriptis codicibus, quos ipsi perspeximus; nihilominus consuevisse olim presbyteros, saltem alicubi, in sua ipsorum ordinatione tum Corpus tum Sanguinem Christi in Missa accipere, clare eruitur ex ms. Pontificali Romano bibliothecae Colbertinae (3).

Olim mos erat ut ordinatio die sabbati fieret; consecratio vero episcopalis die dominico sequenti. Quodsi qualibet de causa consecrationem differri contigisset, Papa nec publice nec privatim Missam celebrare solebat.

5. **De collatione Ordinum minorum, si fortasse iisdem careat electus.** — « Haec ordinatio condecenter fieri poterit die sabbati praecedente diem dominicum consecrationis episcopalis. Quod si forte electus in Papam esset merus laicus, nam et laicus eligi potest, dummodo sit christianus et catholicus, accipit et primam tonsuram et minores Ordines, ut alii inferiores, nisi quod erit indutus cum rocchetto et manto post collum et mitra. Et in suo faldistorio recipiet instrumenta Ordinum et habitum, et non dicuntur monitiones sive exhortationes, sed a substantialibus incipitur » (4).

Nonnulla tantum adnotanda hac de re veniunt, cum partim dixerimus et partim alibi dicturi simus.

Ordines omnes, sive minores sive maiores, incipiendo scilicet a tonsura usque ad presbyteratum uno eodemque die conferri possunt.

---

(1) *Caeremoniale Romanum*, lib. I, tit. II, § 3.

(2) Op. cit., p. 92.

(3) Cfr. EDMUND. MARTENE, *De antiquis Ecclesiae ritibus*, lib. I, cap. VIII, art. 9, n. 19.

(4) *Caeremoniale Romanum*, lib. I, tit. II, § 4.

Caeremoniale diem sabbati commemorat; nullum tamen dubium quin quovis alio die, si casus ferat, Ordines conferri valeant.

Consulto Caeremoniale animadvertit laicum quoque in Romanum Pontificem eligi posse summo iure, *modo sit christianus et catholicus*, seu nedum sacro detersus lavacro, verum etiam membrum Ecclesiae Romanae, neve proinde haereticus neve schismaticus.

In tonsura et Ordinibus conferendis minoribus nonnisi substantialia servantur, ceteris omissis.

Quidam canonistae, ex. gr. Iacobus Cohellius (1), docent Cardinalitia dignitate ante ordinationem esse adornandum eum qui in Romanum Pontificem electus fuerit, quique forte de gremio Cardinalium haud sit.

Verum haec opinio erronea omnino est eamque vix non omnes reiiciunt auctores. Falso enim innititur supposito, quatenus scilicet contendit Romanos Pontifices e sacro Cardinalium Collegio esse assumendos; quam falsitatem ipsimet memorati canonistae expresse agnoscunt, cum fateri adigantur « Cardinalium Collegium non posse creare Cardinalem; permittendum tamen id illi esse, favore electionis Romani Pontificis, ut facilius et rectius procedat ».

Ceterum ex historia ne unum quidem exemplum afferri potest, eo quod iuris regula constans universalisque haec fuit, nimirum ut electio Cardinalium uni Antistiti maximo competeret; quae regula ex consuetudine iamdiu recepta, quamplurimis confirmata Constitutionibus Romanorum Pontificum, nullum hodie praebet ambigendi locum (2).

6. **Consecratio electi in Episcopum sine benedictione et coronatione.** — « Episcopalis consecratio electi in Romanum Pontificem, si prius non erat Episcopus, fieri debet secundum Maiorum nostrorum Constitutiones eadem die, qua benedicitur et coronatur. Sed quoniam nostris temporibus brevitatis studio alio die facta est ..... primo ponemus ordinem ipsius consecrationis episcopalis sine benedictione et coronatione; deinde consecrationem cum benedictione et coronatione » (3).

---

(1) *De Cardinalatus notitia*, cap. XVI, n. 1.

(2) Cfr. Fagnan. in cap. *Licet* VI. *de electione* etc. n. 6 ss.

(3) *Caeremoniale Romanum*, lib. I, tit. II, § 5.

Olim mos erat ut electus in Antistitem maximum eadem die consecrationem acciperet (si haud esset Episcopus) et coronationem. Dein praxis contraria inolevit, v. gr. in electione Sixti IV. Caeremoniale hodiernum decernit ut, nisi aliter causae iustae intercedant vel adiuncta ferant, eadem die consecratio et coronatio locum habeat. Postremum exemplum praebet Gregorius XVI, qui die 6 febr. 1831 in Episcopum consecratus fuit atque solemniter coronatus (1).

7. Ad quem spectet consecratio Romani Pontificis. — « Consecratio Romani Pontificis secundum antiquas Patrum constitutiones spectare solebat ad Episcopum Ostiensem, qui etiam pallio in ea consecratione utebatur. Assistebant ei Portuensis et Albanensis Episcopi, et hi tres in benedictione Pontificis, quando alias esset consecratus, tres speciales orationes super eum dicebant. Idem agebant in consecratione Romanorum imperatoris; sed, ut arbitror, ad tollendas contentiones, iam pridem introductum est ut prior Episcoporum Cardinalium cum duobus ex senioribus Episcopis id munus obire debeant » (2).

Iamdiu mos invaluit ut consecratio Romani Pontificis ad sacri Cardinalium Collegii Decanum spectet, qui sedem episcopalem Ostiensem ex more item iamdiu recepto obtinet.

De huiusmodi praxi seu consuetudine non una est auctorum sententia.

Quidam, ut Lupus (3), censent *ex apostolico instituto* ius consecrandi Pontificem maximum ad Episcopum Ostiensem spectare.

Alii (4) putant a S. Marco papa memoratum ius tributum fuisse.

Alii (5) contendunt ad priorem Episcoporum Cardinalium dictum ius spectare sive is Episcopus Ostiensis dioeceseos sit sive alterius cuiuscumque.

Hisce ad rem breviter praelibatis, certa ab incertis secernenda ducimus.

---

(1) Cfr. *Diario di Roma*, n. 11 an. 1831.

(2) *Caeremoniale Romanum*, lib. I, tit. II, § 12.

(3) Op. cit., to. IV, p. 128.

(4) Cfr. Jo. Frid. Mayer, *Dissertatio de Cardinali Decano*, p. 15.

(5) Cfr. Catalan. op. cit., p. 109. ss.; Cohell. *Notitia Cardinalatus*, p. 32; Marcell. *Sacrarum caeremoniarum* etc. I.. p. 46.

Nullum dubium quin vetera historiae monumenta perspicue tradant Antistites maximos a tribus Episcopis, inter quos primum locum Ostiensis obtinebat, inde a saeculo saltem IV consecrari solitos fuisse.

Attamen historico fundamento caret eorum opinio, qui censent eiusmodi praxim Marcum papam (336?) primum induxisse. Etenim *Liber Pontificalis*, cui profecto innituntur memoratae sententiae patroni, id unum tradit, nempe a Marco Papa praeceptum fuisse, « *ut Episcopus Ostiensis, qui consecrat Episcopum Urbis, Pallio uteretur* ».

Quibus ex verbis manifesto liquet Marcum papam ius *Pallii* quidem Episcopo Ostiensi tribuisse, non autem ius consecrandi Romanum Pontificem; nam verba – « *qui consecrat Episcopum Urbis* » – aperto ostendunt morem iam inolevisse ut Episcopus Ostiensis electum Pontificem consecraret. Quam praxim S. Marcus papa ratam habuit confirmavitque.

Perperam nonnulli auctores docent hanc consuetudinem haud semper viguisse, quatenus aliquando novus Papa, v. gr. Clemens XI, reapse ab alio Episcopo, non vero ab Ostiensi, consecratus fuit.

Id necessario contigit et contingere profecto potest, si – ut accidit occasione consecrationis Clementis XI – Episcopus Cardinalis Ostiensis senio vel infirmitate inhabilis sit ad consecrandum, aut ipsemet in Pontificem maximum forte eligatur.

Item minus recte quidam censent praxim iampridem inolevisse ut non habeatur « *ratio Ecclesiarum, sed prioritatis episcopalis* » quoad ius novum Papam consecrandi. Episcopus Ostiensis ex veteri sat consuetudine est Decanus Sacri Cardinalium Collegii, qui praeterea est prior Episcoporum Suburbicariorum, vel *iure* vel *fictione iuris*.

Sane Episcopatus Suburbicarii conferuntur « *ratione prioritatis episcopalis* » (1) ita quidem ut ascensus detur per optionem canonice faciendam. Porro si contingat aliquem e Cardinalibus Episcopis Suburbicariis optioni iuri renunciare, alii succedunt, ordine prioritatis servato. Ex quo sequitur quod si quis vi optionis Episcopatum Ostiensem vel Portuensem obtineat, ipso facto

(1) Cfr. BULLAS « *Decet Romanum* » Pauli III; « *Si de restituendis* » Gregorii XIV: « *Nobis super* » Pauli V: « *Ne de iurisdictione* » Innocentii X.

fiat Decanus vel Subdecanus Sacri Collegii, etsi hic illeve prior Episcoporum Cardinalium ratione temporis minime sit.

Cardinalis Episcopus Ostiensis iure Pallii gaudet ex memorata concessione Marci papae. Merito auctores tradunt hunc Episcopum primum fuisse, qui eiusmodi privilegium sit assecutus. Pallium enim nonnisi patriarchis et archiepiscopis competit (1).

Nihilominus Romani Pontifices consueverunt illud etiam nonnullis Episcopis concedere, vel meritorum intuitu, vel dioeceseos magnitudine seu praestantia, aut alia quavis iusta causa (2).

Privilegium competens Decano Sacri Collegii ordinandi et consecrandi electum Pontificem, Pius X nuperrima Const. ratum habuit firmavitque hisce verbis (3): « Quod si electus nondum sit presbyter vel Episcopus, a Decano Collegii Cardinalium ordinabitur et consecrabitur ».

Ut obiectum, de quo loquimur, rite absolvatur, triplex quaestio occurrit solvenda:

1° Ius ad Cardinalem Episcopum Ostiensem spectans consecrandi electum Pontificem, estne divinum vel saltem apostolicum, aut potius mere humanum seu pontificium?

2° Quid iuris si Ecclesia Ostiensis vacet?

3° An, et quinam alii Episcopi consecrationi Romani Pontificis adsistere debeant?

Ad 1um. Sententia, quam Lupus (4) tuetur, contendens « apostolicum institutum » esse, ut delectus Papa ab Episcopo Ostiensi consecretur, quovis caret historico ac iuridico fundamento. Caret *historico* fundamento, quia Apostolorum tempore dioecesis Ostiensis ne existebat quidem; praeterea nedum monumenta hac de re desiderantur, verum potius constat Apostolos nil reipsa decrevisse quoad ritus seu caeremonias Romani Pontificis consecrationem respicientes. Caret fundamento *iuridico*, quia Antistiti maximo plenum competit ius ea moderandi quae, praeter substantialia, consecrationem seu ordinationem respiciunt. Porro compertis-

---

(1) Cfr. CATALAN. *Pontificale Romanum, ab Urbano VIII recognitum, prolegomenis et commentariis illustratum*, to. I, tit. XIV.

(2) Cfr. Card. BONA, *Rerum liturgicarum* lib. I, cap. XXIV. n. 16.

(3) Tit. II, cap. VII, n. 90.

(4) L. c.

simum cuique est, privilegium, de quo in casu, neve consecrationis validitatem attingere neve liceitatem.

Proinde ambigendum haud est, quin agatur de iure seu privilegio a Romanis Pontificibus concesso, qui citra iniuriam illud auferre profecto possent.

Ad 2um. Vetera Ecclesiae romanae monumenta aperto ostendunt privilegium consecrandi Antistitem maximum ita Episcopo Ostiensi fuisse proprium, ut si hic eligeretur Pontifex vel consecrationi adesse non posset, archipresbyter Ostiensis seu suffraganeus eius loco interesse deberet.

Sane Gaufredus Prior Vasiensis (1) sic loquitur de coronatione (2) Lucii III, antea Episcopi Ostensis: « Feria III^{a} eligitur Humbaldus, qui Pontifex erat Ostiae et Veliternensis Urbium. Sequenti dominica prima septembris, anni scilicet MCLXXXI, coronatur et insignitur a Theodino Episcopo Portuensi, et *ab archipresbytero Ostiensi iuxta consuetudinem*, et ab universo populo et clero laudatur, Lucius III Lucensis Tuscus vocatus ».

Sedulo animadvertenda sunt verba « *iuxta consuetudinem* », quippe quae clare innuunt morem iamdiu receptum fuisse ut, deficiente quamlibet ob causam Episcopo Ostiensi, archipresbyter eiusdem Ecclesiae electi Pontificis interesset consecrationi et coronationi.

Item *Ordo Romanus XII* (3) haec refert: « In proxima die dominica electus cum omnibus Ordinibus sacri Palatii et Nobilibus Romanis vadit ad Ecclesiam b. Petri, ubi ad altare maius, prout in Ordine continetur, ab Episcopo Ostiensi specialiter, et ab aliis Episcopis de Curia consecratur; hoc addito, quod si forte Episcopus Ostiensis praesens non fuerit, *archipresbyter Ostiensis*, *seu Veliternus* interesse debeat consecrationi ».

Eadem, mutatis verbis, referuntur in *Ordine Romano XIV* (4).

Haud satis historice constat quo praecise tempore eiusmodi privilegium tributum fuerit archipresbytero Ostiensi.

---

(1) *Chron.* I, 165.

(2) Qui gaudet iure consecrandi Pontificem, habet etiam ius partes gerendi in coronatione, ut infra dicemus.

(3) Cfr. MABILLON., op. cit., to. II, cap. 48.

(4) Cfr. MABILLON., l. c.; CATALAN., op. cit., p. 110, IV.

Pagius in praefatione ad vitas Romanorum Pontificum (1) putat, teste Anastasio bibliothecario, in electione Pelagii papae (an. 555) archipresbyterum Ostiensem memoratum obtinuisse privilegium, ex eo nempe quod « cum non essent Episcopi, qui eum ordinarent, inventi sunt duo Episcopi, Ioannes de Perusio, et Bonus de Ferentino, et Andreas presbyter de Ostia, et ordinaverunt eum Pontificem ».

Hanc sententiam sequi videtur etiam Catalanus (2).

At, ni fallimur, solido caret historico fundamento dicta sententia, cum ex allegatis verbis nil profecto erui possit.

Porro hodie ob immutatam Ecclesiae disciplinam, si contingat Episcopum Ostiensem in Romanum Pontificem eligi aut quomodolibet impediri quominus consecrationi electi Papae intersit, privilegium hunc consecrandi non pertinet ad archipresbyterum Ostiensem, verum ad Sub-Decanum sacri Cardinalium Collegii, seu ad Episcopum Portuensem et S. Rufinae, nisi aliter Pontifex pro sua, qua pollet, auctoritate decernat.

Ad 3nm. Quidam auctores docuerunt et docent usque ad saeculum VII consecrari Pontifices solitos fuisse ab uno dumtaxat Episcopo, quin alii etiam duo Antistites adsisterent.

Haec quaestio - quidquid perperam nonnulli theologi et canonistae effutiant (3) - non ita magni est momenti, ut agi videatur de validitate vel minus consecrationis. Compertum sane est, ad validitatem consecrationis unum plane sufficere Episcopum, ita ut si plures intersint Episcopi consecrationi, unus dumtaxat ex eis *consecrator* re ipsa sit, alii vero nonnisi *adsistentes* stricte loquendo.

Ex veteribus Romanae Ecclesiae monumentis variisque scriptoribus liquet iam ab initio morem inolevisse ut quis a tribus Episcopis Praesul consecraretur.

Mabillonius (4) scite adnotat, ordinationes Antistitum a tribus Episcopis etiam ante Nicoenum Concilium Romae factas fuisse ; et probat ex facto Novati, qui, ut scribit Cornelius papa

---

(1) Pag. 5, n. VIII.
(2) L. c., n. VI.
(3) MALHERBE, *Sacra liturgia,* lib. I, cap. III, n. 6 ss.
(4) L. c., cap. 18.

ad Fabium Antiochenum apud Eusebium (1), accitos Romam tres Episcopos tumulentos, hora decima inclusos, adumbrata quadam et inani manuum impositione, Episcopatum sibi tradere coegit, « unico contentus quidem futurus, si unus ad consecrandum Romanum Antistitem tunc suffecisset ».

Hac de re nullum prostat hodie penes eruditos dubium, ita ut supervacaneum putemus diutius immorari in quaestione tractanda quae adversarios ipsos nunc patronos habet (2).

Inde a Leone II (a. 682), testibus Ciaconio et Anastasio bibliothecario, in vita eiusdem, mos paulatim receptus fuisse videtur ut una cum Episcopo Ostiensi etiam Episcopi Portuensis et Albanensis consecrationi Romani Pontificis interessent.

De hac consuetudine expresse loquitur *Ordo Romanus* XI, XIII et XIV. Etsi aliquando derogatum fuerit memoratae praxi, nihilominus constans eadem perseveravit generatim loquendo, ut ex vitis Romanorum Pontificum clare eruitur.

Etiam hodierna attenta disciplina, Cardinales Episcopi Portuensis et Albanensis privilegio gaudent adsistendi consecrationi Antistitis maximi, utpote qui *episcopali prioritate* aliis Eminentissimis Patribus praestare censentur (3).

8. **Ritus consecrationis episcopalis, sine benedictione et coronatione.** — Episcopalis consecratio electi in Romanum Pontificem, ut Caeremoniale animadvertit (4), fieri solet eadem die, qua benedicitur et coronatur.

Quodsi, brevitatis gratia, consecratio episcopalis fiat sine benedictione et coronatione, hunc ordinem servandum praecipit idem Caeremoniale (5).

« Si igitur electo placet consecrari ante solemnia coronationis et privatim, hoc poterit fieri, quando ei placebit, sed convenientius die dominico, vel festivo, et fiet hoc modo.

« Die praestituto et in loco ipsi electo commodo tam Consecrator quam electus parabuntur omnibus paramentis pontifica-

---

(1) Op. cit., lib. VI, cap. 35.

(2) Cfr. CATALAN., *Romani Pontificalis* to. I, tit. XIII; MABILLON., l. c.; SCHERER, op. cit., I, p. 148 ss.

(3) Cfr. VILLIMIN. *De R. Pontificis consecratione*, p. 65 ss.

(4) Lib. I, tit. II. *De ordinatione et consecratione novi Pontificis*, § 5.

(5) L. c. § 6.

libus cum psalmis *Quam dilecta* etc. et aliis orationibus consuetis. Electus chirothecas et annulum tantum non decipiet, alia autem omnia. Assistunt ad minus duo vel tres diaconi, et unus presbyter Cardinalis et cum ipso Consecratore, si est Episcopus Cardinalis, ut decet, duo alii Episcopi Cardinales, reliqui subdiaconi et acolythi apostolici, et praelati domestici omnes cum paramentis sibi convenientibus. De praelatis tamen paratis praeter Cardinales non est necessarium, sed fiet pro libito Pontificis. — Parentur duae credentiae, una pro electo, et altera pro consecrante, et unum altare tantum. Pro electo paretur sedes ornata in loco competenti, et faldistorium ante altare; pro consecrante faldistorium consuetum in cornu epistolae; pro aliis scabella consueta. In credentiis parentur opportuna ad consecrationem et ad celebrationem Missae pro utrisque, cum luminaribus opportunis in altari et credentia. — Paratis omnibus rebus, electus accedat ad altare, et deposita mitra procumbat super faldistorium. Orabit et surget; et, remoto faldistorio, faciet confessionem cum consecratore a sinistra sibi assistente. Finita confessione, electus cum mitra revertetur ad sedem suam. Consecrator accedet ad altare, osculabitur, incensabit, si placuerit, more solito; et reversus ad suum faldistorium leget *Introitum* et *Kyrie eleison*, et alia usque ad *alleluia*, sive ad ultimum versum Tractus exclusive, et cum oratione diei dicitur oratio pro electo, ut supra. — Idem faciet electus in sua sede cum suis assistentibus versus ad altare.

« His dictis, electus procumbet cum mitra in faldistorio ante altare, Consecrator ab eius sinistris super aliquo scabello, alii autem in suis scabellis; et per unum ex subdiaconis fit litania; nam examinatio antiqua SS. Patrum et alia praecedentia omittuntur. Cum ventum erit ad locum, ubi dicitur *Ut hunc electum*, surgit consecrator non tamen cum baculo, et versus ad electum tertio dicit signans *Ut hunc electum* etc. Et alii omnes Episcopi Cardinales cum suis libris procumbentes, tamen erecta aliquantulum facie, idem faciant. Finita litania, surgunt omnes et electus revertitur ad sedem suam, et sedet cum mitra. Consecrator venit ante eum et, aliis praetermissis, stans cum mitra simul eum adiuvantibus Episcopis assistentibus Cardinalibus, imponit librum Evangeliorum supra cervicem electi sine mitra sedentis (nam tunc mitra ei abstrahitur, quam duo Diaconi retinent usque in finem),

et consecrator atque assistentes Episcopi ponunt ambas manus super caput electi dicentes: *Accipe Spiritum Sanctum;* quod tamen consecrator alte dicit, alii submisse, ut alia omnia; si aderunt alii Episcopi parati, poterunt et ipsi manus imponere et omnia legere ut Cardinales assistentes. Deinde surgit electus, et diaconi assistentes retinent librum super illius spatulis; consecrator autem sine mitra dicit super eum orationem: *Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, et inclinato super hunc famulum tuum cornu gratiae sacerdotalis bene ✠ dictionis tuae in eum infunde virtutem. Per Dominum nostrum* etc. Deinde voce mediocri extensis manibus ante pectus dicat hanc praefationem: *Per omnia saecula* etc. (iuxta ordinarium)... *Vere dignum et iustum est, aequum et salutare Nos tibi semper et ubique gratias agere; Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus: honor omnium dignitatum, quae gloriae tuae sacris famulantur ordinibus: Deus, qui per Moysen famulum tuum secreti familiaris affatu inter caetera coelestis documenta culturae, de habitu quoque indumenti sacerdotalis instituens, electum Aaron mystico amictu vestiri inter sacra iussisti, ut intelligentiae sensum de exemplis priorum caperet secutura posteritas, ne eruditio doctrinae tuae ulli deesset aetati. Cum et apud veteres reverentiam ipsam sanctificationum species obtineret, et apud nos certiora essent experimenta rerum, quam aenigmata figurarum, illius namque sacerdotii anterioris habitus nostrae mentis ornatus est, et pontificalem gloriam, iam non nobis honor commendat vestium, sed splendor animarum. Quia et illa, quae tunc carnalibus blandiebantur obtutibus, ea potius quae in ipsis erant, intelligenda poscebant. Et idcirco huic famulo tuo N. quem Apostolicae Sedis praesulem et primatem omnium, qui in orbe terrarum sunt, sacerdotum, et universalis Ecclesiae doctorem dedisti, atque ad summum sacerdotii ministerium elegisti, hanc, quaesumus Domine, gratiam largiaris, ut quicquid illa velamina in fulgore auri, in nitore gemmarum, et in multimodi operis varietate signabant, hoc in eius moribus actibusque clarescat: comple in sacerdote tuo ministerii tui summam, et ornamentis totius glorificationis instructum, coelestis ungenti rore sanctifica.*

« Tunc consecrator genuflexus et sine mitra versus ad altare, incipit hymnum *Veni creator Spiritus*, et tam electus quam alii

genuflectunt eodem modo. Finito primo versu, surgunt omnes et chorus prosequitur hymnum. Interim caput electi sedentis in sua sede circumligatur panniculo lineo subtili per Diaconum, ne oleum fluat super capillos, ita ut panniculi extremitates retro super cervicem pendeant. – Deinde consecrator accedens ad electum cum mitra et intincto pollice dextrae manus in sacro chrismate tans ungit caput electi sedentis, formans primum signum crucis, quo coronam totam amplectatur. Deinde ungat reliquum coronae dicendo: *Ungatur et consecretur caput tuum coelesti bene✠dictione in ordine Pontificali. In nomine Patris ✠, et Filii ✠, et Spiritus Sancti ✠. Amen. Pax tibi, et cum spiritu tuo.* – Et absterso aliquantulum pollice cum mica panis, deposita mitra, prosequatur praefationem, incipiens: *Hoc, Domine, copiose in caput eius influat, hoc in oris subiecta decurrat, hoc in totius corporis extrema descendat, ut tui Spiritus virtus et interiora eius repleat et exteriora eius circum tegat: abundet in eo constantia fidei, puritas dilectionis, sinceritas pacis: sint speciosi munere tuo pedes eius ad evangelizandum pacem, ad evangelizandum bona tua. Da ei, Domine, ministerium reconciliationis in verbo et in factis, in virtute signorum et prodigiorum: sit sermo eius, ut praedicatio, non in persuasibilibus sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis. Da ei, Domine, claves regni coelorum ut utatur, non ut glorietur, potestate, quam tribuis in aedificationem, non in destructionem: quodcumque ligaverit super terram, sit ligatum et in coelis, et quodcumque solverit in terra, sit solutum et in coelis: quorum detinuerit peccata, detenta sint, et quorum dimiserit, tu dimittas. Qui maledixerit ei, sit ille maledictus; et qui benedixerit ei, in benedictionibus repleatur: sit fidelis servus et prudens, quem constituas tu, Domine, super familiam tuam, ut det illi cibum in tempore opportuno, et exhibeat omnem hominem perfectum. Sit solitudine non piger; sit spiritu fervens: oderit superbiam; humilitatem ac veritatem diligat, neque eam unquam deserat aut laudibus aut timore superatus: non ponat lucem tenebras, nec tenebras lucem: non dicat malum bonum, nec bonum malum: sit sapientibus et insipientibus debitor, ut fructum de profectu omnium consequatur. Tribuas ei, Domine, cathedram pontificalem ad regendam Ecclesiam tuam, et plebem tuae sortis intra mundi limites universi: sis ei auctoritas, sis ei potestas,*

sis ei firmitas. Multiplica super eum bene ✠ dictionem et gratiam tuam, ut ad exorandum semper misericordiam tuam tuo munere idoneus, et tua gratia possit esse devotus. Per Dominum nostrum Jesum Christum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Resp. *Amen.*

« Post haec consecrator inchoat, schola prosequente, antiphonam: *Unguentum in capite quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius; mandavit Dominus benedictionem in saeculum. Ecce quam bonum, et quam iucundum habitare fratres in unum. Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron. Quod descendit in oram vestimenti eius, sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion. Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, et vitam usque in saeculum. Gloria Patri et Filio* etc. *Sicut erat* etc. - Deinde repetatur antiphona: *Unguentum in capite* etc. – Interim imponitur mappula ad collum electi sedentis, supra quam imponit postea manus; et consecrator inungit illi manus cum sacro chrismate, ut fit aliis Episcopis, dicens: *Ungantur manus istae de loco sanctificato et chrismate sanctificationis, sicut unxit Samuel David regem et prophetam, ita ungantur et confirmentur: in nomine Dei Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus Sancti ✠, facientes imaginem sanctae crucis Salvatoris nostri, qui nos a morte redemit, et ad regna coelorum perduxit. Exaudi nos, pie Pater, omnipotens aeterne Deus, ut quod te rogamus, exoremus per Christum Dominum nostrum. Amen.* - **Oremus.** *Deus pater Domini nostri Jesu Christi, qui te ad Pontificatus sublimari voluit dignitatem, ipse, qui per Samuelem David in regem et prophetam inunxit, te nostro ministerio chrismate et mysticae delibutionis liquore perfundat, et spiritualis bene ✠ dictionis ubertate fecundet, ut quicquid benedixeris, benedicatur, et quicquid sanctificaveris, sanctificetur, et consecratae manus istae vel pollicis impositio cunctis proficiat ad salutem per eundem Christum Dominum nostrum* » (1).

Dein proceditur ad solemnem annuli benedictionem.

« Electus manus inunctas simul inunctas in mappula pendenti a collo reponit; baculus non datur; sed mox consecrator,

(1) *Caeremoniale Romanum*, lib. I, tit. II, § 6.

deposita mitra, benedicit annulum pretiosum imponendo electo dicens: *Creator et Conservator humani generis, dator gratiae spiritualis, largitor aeternae salutis: tu, Domine, emitte tuam bene ✠ dictionem super hunc annulum, ut quicumque hoc sacrosancto Fidei signo insignitus incesserit in virtute coelestis defensionis, ad aeternam sibi proficiat salutem. Per Christum Dominum nostrum. Amen.* – Electus etiam surgit dum dicitur oratio; annulum ipsum interea tenet manu dextera aliquis acolythus ante consecratorem genuflexus. Consecrator, dicta oratione, aspergit annulum aqua benedicta, et illum imponit in digito annullari dextrae manus electi sedentis, dicens: *Accipe annulum fidei, scilicet signaculum, quatenus sponsam Dei, sanctam videlicet Ecclesiam, intemerata fide ornatus illibate custodias. Amen.* Et dum imponit, osculatur manum electi. – Deinde, adiuvantibus Episcopis assistentibus, librum Evangeliorum ab eius spatulis removens, dat ad manus electi sedentis, dicens: *Accipe Evangelium: et vade, praedica populo tibi commisso; potens est enim Deus augere tibi gratiam suam. Qui vivit et regnat cum Deo Patre, in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.*

« His peractis, consecrator redit ad suum faldistorium, et lavat manus: electo autem sedenti in sua sede Diaconus Cardinalis tergit caput cum medulla panis diligenter, et cum panno mundo. Deinde cum pectine eburneo mundat, et componit capillos, et imponit illi mitram; et tunc electus lavat manus cum mica panis et bene mundat. Quibus finitis, tam consecrator quam alii omnes Cardinales praesentes osculantur pedem, manum et os domini electi. Alii autem praelati parati pedem et manum; alii inferiorem pedem tantum. – Et mox consecrator prosequitur Missam usque ad lectum *Offertorium*. Et idem facit electus Pontifex in sua sede stans. Dicto *Offertorio*, consecrator accedit ad electum sine mitra, et de eius manu accipit offertorium, intorticia, panes, et vini vasa duo; et ad unumquodque istorum osculatur manum electi. Tunc revertitur ad suum faldistorium, et lavat manus tam ipse quam electus, et intrat ad altare. Similiter dominus electus accedit ad altare, et ponit se ad cornu epistolae, presbytero Cardinale ministrante librum; et ibi sine mitra simul cum consecratore celebrabit, signando et omnia

dicendo submissa voce ut consecrator; non tamen se loco movebit usque ad communionem, quam sumet sub utraque specie stans in ipso cornu aliquantulum procedens.

« Finita Missa, non imponuntur chirothecae neque mitra, quam habet cum illis benedictionibus consuetis; neque inthronizatur electus, sed stans in medio altaris sine mitra, habens ante se crucem papalem, benedicit dicens: *Sit nomen Domini benedictum*. Et, resumpta mitra, vadit ad sedem suam, et sedet. Consecrator accedit versus dominum electum, et tertio genuflectens dicit: *Ad multos annos*, ut dictum est in presbytero. Et omnes deinde exeunt se sacris vestibus cum orationibus consuetis » (1).

9. **Ritus episcopalis consecrationis, una cum benedictione et coronatione.** — « Primo ordinabuntur omnia ad huiusmodi solemnitatem opportuna convenienti tempore, quae ex lectione huius ordinationis facile colligi poterunt; et tandem constituto die dominico, Pontifex, si est in cubiculo, summo mane ad cameram paramenti ingreditur (2). Ibi a Diaconis Cardinalibus, subdiaconis acolythis et aliis officialibus consuetis paratur amictu, alba longa, cingulo, stola, pluviali rubeo, et mitra pretiosa. Cardinales alii circumsistunt, et omnes Praelati et Officiales cum suis cappis laneis. Sic electus Pontifex paratus, cruce praecedente, progreditur ad sanctum Petrum ordine alias consueto, Diaconis Cardinalibus hinc et inde fimbrias pluvialis sustinentibus. Caudam autem pluvialis portabit nobilior laicus, qui erit in curia, etiam si esset imperator vel rex; supra eum octo nobiles sive oratores portant umbraculum hastilibus octo sustentatum (3), quod hodie baldachinum appellant; ante eum duo servientes armorum portant faldistorium cum magno cussino; fererius tapetum, et parvum scabellum ac cussinum » (4).

---

(1) *Caeremoniale Romanum*, lib. I, tit. II, § 7.

(2) Quae, usque ad verba *Cantores*, etc., exponuntur, servanda sunt etiam in coronatione novi Pontificis, sine eiusdem episcopali consecratione.

(3) Ante Const. nuperrimam « *Sapienti consilio* » baldachinus deferri solebat a referendariis papalis Signaturae iustitiae; post memoratam Const., eorumdem munus competere putamus Officialibus Signaturae Apostolicae et S. R. Rotae.

(4) *Caeremoniale Romanum*, lib. I, tit. II, § 9.

Dein proceditur ad Basilicam S. Petri; ibique Pontifex recipit ad osculum pedis canonicos seu Capitulum eiusdem Basilicae.

« Cum Papa electus pervenerit super sede *gestatoria* ad portam ultimam Palatii, quae est in capite porticus ecclesiae S. Petri, in plano apud cussinum magnum, et ad pedes parvum scabellum, et sedens ibi Electus recipit ad osculum pedis canonicos et capitulum basilicae S. Petri. Deinde surgens intrat Ecclesiam per portam, quae est in medio, et progressus usque ad secundum circulum porphyreticum, detracta mitra, orat versus ad altare supra faldistorium a supradictis ibi paratum, et tunc supra scabellum parvum ponitur parvus cussinus.

« Facta oratione, surgit, reassumit mitram, et pergit ad Capellam S. Gregorii, quae dicitur Capella S. Andreae, et sedens in sede sibi parata, recipit omnes Cardinales, et alios Praelatos cum suis cappis ad reverentiam: Cardinales ad manus sub auri phrygio, Praelatos ad pedis osculum. Tunc surgens sine mitra, adstante cruce papali, benedicit populo, dicens: *Sit nomen Domini* etc. Subdiaconus dicturus Epistolam, deposita cruce post benedictionem, capit omnia sua paramenta, et simul cum eo acolythi exuunt cappas, et induunt superpelliceo super rochettum, ad partem se retrahentes. Sedet deinde Electus aliquantulum cum mitra; et iterum surgens sine mitra versus ad altare sub silentio dicit: *Pater noster* etc. Tum alte incipit pro Tertia: *Deus in adiutorium* etc. Et sic stat quousque incipiatur psalmus: *Legem pone.* Inde sedet cum mitra, et assistentibus Episcopis cum libro, adiuvantibus hinc inde Diaconis, ut moris est, incipit psalmum: *Quam dilecta.* Interim Subdiaconus Apostolicus lecturus Epistolam, ut diximus, paratus omnibus suis paramentis, ex altari subministrante Sacrista, accipit sandalia, quae reverenter portat ad Electum, sequentibus illum acolythis cum superpelliceis, et ea simul cum Cubiculario Camerae imponit pedibus suae Sanctitatis. Impositis sandaliis, Diaconus lecturus Evangelium cum duobus aliis Diaconis, qui assistent Papae, capiunt paramenta sua; ille amictum, albam, cingulum, stolam, dalmaticam; manipulum vero post capiet in altari; alii vero duo capient amictum et dalmaticas tantum. Induti reverenter simul ad Electum accedent, qui, finitis psalmis, cum dicitur Capitulum pro Tertia, surgit cum mitra, et finitis versiculis, deposita mitra et adstantibus duobus cerofe-

rariis, dicit: *Dominus vobiscum,* et orationem pro Tertia. Librum prior Episcoporum Cardinalium, qui ei assistere debet, sustinet supra caput; Episcopi vero assistentes iuvant, et tenent candelam accensam.

« Dicto *Dominus vobiscum* post orationem, liber removetur, ceroferarii discedunt; et dicto a cantoribus *Benedicamus Domino,* Papa sedet cum mitra et lavat manus, Episcopo Cardinale adiuvante, et reliqua ut alias. Lotis manibus, Episcopus Cardinalis redit ad locum suum, et Papa deponit mitram, pluviale et stolam; et Diacono lecturo Evangelium ante se stante, induitur consuetis paramentis, quae per acolythos hoc ordine portantur ex altari, et ipsi Diacono porriguntur. Duo Diaconi assistentes, et post eos duo Subdiaconi adiuvant vestientem. Primum, portatur manipulus cum subcinctorio, crux pectoralis, phanon, stola, tunicella, dalmatica, chirothecae, planeta, mitra auriphrigiata. Annulus autem non datur, si non est consecratus Episcopus; quem si esset consecratus Episcopus, Cardinalis Episcopus assistens imponeret » (1).

Historice constat iam olim canonicos et Capitulum basilicae S. Petri recipi consuevisse ad osculum pedis Summi Pontificis, ubi is recens electus, pontificiam coronam accepturus, perveniebat ad extremam Palatii ianuam, quae erat in capite porticus ipsius basilicae (2).

Qui mos constanter servatus fuit, quamvis cum nonnullis variationibus sive quoad locum, sive quoad tempus et modum, ut manifesto patet ex *Ordine Romano* XIII et XIV. Auctores quidam censent eiusmodi morem inde ab Innocentii VIII coronatione inolevisse, teste Burcardo (3).

At alii auctores id inficiari videntur (4), quia, aiunt, documenta plane desunt, et ex Burcardi testimonio id potius colligitur, scilicet consuetudinem admittendi canonicos basilicae S. Petri ad osculum pedis tempore Innocentii VIII extitisse.

Haec consuetudo nedum in consecratione novi Pontificis ser-

---

(1) *Caeremoniale Romanum,* l. c., § 10.
(2) Cfr. CATALAN., op. cit., p. 106, n. I.
(3) *Caerem.,* § CLXXXIV ss.
(4) Cfr. MARCELL., *De ritibus romanae Ecclesiae,* lib. II, cap. V, n. 6 ss.

vatur, verum etiam in eiusdem coronatione, et quidem nostris etiam temporibus, ut ex. gr. scimus eam servatam fuisse in electione Gregorii XVI (1), Pii IX (2), Leonis XIII et Pii X (3).

Ad solemnia consecrationis et coronationis per *intimationem*, ut aiunt, domi exemplari dimisso, Apost. Sedis Caerem. Praefecto faciendam, vocari debent omnes et singuli Emi et Rmi DD. S. R. E. Cardinales, Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi tam Solio assistentes quam non assistentes, Vice-Camerarius S. R. E., Antistes Pontificiae Domui praepositus, Magister Sacri Palatii, Abbates Generales Ordinum (locum in Capella habentes), S. R. Rotae Auditores, S. R. C. Clerici, Sacri Consistorii Advocati, Poenitentiarii Vaticanae Basilicae, Procuratores tam Ordinum Regularium quam Sacri Palatii Apostolici, Cubicularii et Officiales ceterique de more.

Votantes Signaturae in acolythorum officio ministrare debent; item Referendarii praesto sint oportet baldachini hastis sustinendis.

Iure, quo nunc regimur, suppressis tum Signaturae votantibus, tum Referendariis, quaeri peropportune potest, quibusnam competat eorumdem agere partes.

Munus votantium suppleant Auditores S. R. Rotae; munus Referendariorum Officiales Signaturae Apostolicae aut S. R. Rotae.

10. **Ex Cappella S. Gregorii ad altare proceditur; quidam ritus explentur, antequam electus ad altare accedat.** — « Paratis omnibus Ordinibus, Pontifex incensum mittet in thuribulum, et Prior Diaconorum cum ferula processionem ad altare maius ordinabit hoc modo: Familiares Papae, minores Nobiles, Cubicularii; Nobiles maiores, et Barones, Conservatores et Oratores laici, et non Praelati; Secretarii, et advocati mixtim, ita ut duo antiquiores ex utroque ordine sint in digniori loco; acolythi, clerici Camerae, Auditores, acolythus thuriferarius, acolythi ceroferarii, qui septem numero esse deberent; Subdiaconus cum cruce papali, et aliis Subdiaconis; Subdiaconi duo, latinus et graecus cum libris Evangeliorum; Diaconus graecus; et nota, quod pro Epistola et Evangelio in lingua graeca solebant vocari in hac

(1) *Diario di Roma*, n. 11, an. 1831.
(2) *Diario di Roma*, n. 50, an. 1846.
(3) *Osservatore Romano*, 9 agosto 1903.

celebritate monachi ex monasterio Cryptae ferratae. Deinde Abbates forenses, Episcopi, Archiepiscopi, Oratores, Praelati, Abbates Urbis, qui in hoc die sunt privilegiati, Episcopi assistentes Papae, Patriarchae; Diaconi, Presbyteri et Episcopi Cardinales; Diaconi duo assistentes, et inter eos medius Diaconus lecturus Evangelium; demum ipse Pontifex, qui si pedibus suis incedet, ipsi Diaconi assistentes fimbrias pluvialis portabunt, et maior Princeps caudam. Octo nobiles seu Oratores baldachinum supra eius caput ferent. Deinde sequetur Auditor, qui mitram ministrat medius inter duos Cubiculares secretos, et inter eos est Secretarius Papae, si non est Praelatus. Deinde Protonotarii et Curiales Clerici non parati.

« Ante Pontificem immediate minister caeremoniarum praecedit cum duabus arundinibus, super alteram stupam, super alteram vero candelam ardentem portans. Et cum Pontifex Capellam S. Gregorii exierit Caeremoniarius ad eum conversus, ignem stipae immittit, et genuflexus alta voce dicit: *Pater sancte, sic transit gloria mundi;* quod tertio facit distincto aequali spatio, antequam perveniant ad portam Capellae.

« Procedunt deinde omnes per navim ipsius Capellae S. Gregorii, ubi sepulcra sunt Romanorum Pontificum, et cum illam exierint, flectunt ad dextram, et per portam, quae est ante altare, ingrediuntur Capellam, et ascendunt etiam ad dexteram, antequam Papa cancellos Capellae intret. Tres ultimi Presbyteri Cardinales veniunt ei obviam, et osculantur os et pectus Pontificis a seniori incipientes; deinde ante Diaconos assistentes procedunt. Cum autem perventum fuerit ad altare, Pontifex, deposita mitra, facit orationem super faldistorium; deinde surgens remoto faldistorio, facit confessionem more solito, stans hoc ordine: a Pontificis dextra stat Episcopus Cardinalis Consecrator, vel assistens, si non est Consecrator; et post eum Diaconus Cardinalis assistens: a sinistra stat Diaconus Cardinalis lecturus Evangelium, et post eum Diaconus Cardinalis assistens; post quem genuflexus manet subdiaconus latinus cum libro Evangeliorum, et manipulo Pontificis, quem illi imponit dicto *Indulgentiam* etc. Interim cantores cantant *Introitum* Missae, et *Kyrie eleison.*

« Et haec quidem supradicta circa descensum ex palatio ad ecclesiam, et quae in capella S. Gregorii et usque ad factam

confessionem superius dicta sunt, praeterquam de parando consecrante, servantur etiam quando electus Episcopus non est consecrandus, sed benedicendus, et coronandus tantum » (1).

« Cantores (2), ut finierint *Kyrie eleison*, quiescent. Electus procumbet super faldistorium ante altare: ad eius dexteram Consecrator, et ad sinistram Diaconus Evangelii super scabella: Diaconi assistentes post Pontificem, duo Episcopi Cardinales seniores hinc inde super scabella; alii omnes, ubi commodum erit, genuflexi procumbent omnes cum mitris in capite; et Diaconus Evangelii incipiet sine mitra litaniam, et omnes respondent replicando. Cum perventum fuerit ad locum ubi dicitur, *ut hunc electum*, et etiam tertio dicitur ab eodem Diacono, et tam Consecrator quam omnes alii in episcopali dignitate constituti praesentes et parati, erecto capite et extensa dextera, non tamen moventes se de locis suis benedicunt consecrandum tertio, ut in ordinario. Finita litania, omnes surgunt, et Consecrator stat ad infimum gradum sedis Papalis vertens faciem ad altare, medius inter duos seniores Episcopos Cardinales, qui etiam stolam habere debent, et librum. Electus Pontifex ante eum stabit medius inter assistentes Diaconos vertens faciem suam ad faciem Consecrantis. Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchae, qui aderunt parati cum suis libris, omnes accedent, et circulum facient, et omnia cum Consecratore dicent voce tamen submissa, depositis mitris et omnibus stantibus.

« Episcopus Cardinalis a sinistris super Pontificem dicit hanc orationem: *Oremus. Adesto supplicationibus nostris, omnipotens Deus, ut quod humilitatis nostrae gerendum est ministerio, tuae virtutis compleatur effectu.* — Deinde Episcopus consecrator dicit orationem cum nota *Oremus. Propitiare, quaesumus, Domine, supplicationibus nostris, et inclinato super hunc famulum tuum cornu sacerdotalis gratiae benedictionis tuae infunde in eum virtutem. Per Dominum nostrum* etc. Qua finita usque *in unitate Spiritus sancti Deus,* ponit librum Evangeliorum apertum inter cervicem et spatulas electi, quem Diaconi Cardinales retinent usque ad finem; et tam Consecrator quam alii duo Episcopi Cardinales ponunt primo manus super eius caput nihil dicentes; et

(1) *Caeremoniale Romanum*, l. c. § 14.

(2) Hoc caput praetermittitur, sit Papa sit iam Episcopus consecratus.

similiter faciunt omnes praesentes parati in Episcopatus ordine constituti. Consecrator autem extensis manibus dicit *Praefationem* consuetam: *Per omnia saecula saeculorum* etc. *Honor omnium dignitatum* etc. (ut supra notavimus quum electus Papa consecratur alio die quam isto). Et ungit Electi caput, deinde manus. Tum imponit ei annulum, et demum dat ei librum Evangeliorum; et tandem ambo lavantur et mundantur, ut diximus plene in eodem loco. — Pontifex sedet in faldistorio sibi parato in plano inter sedem eminentem et altare, dum lavat Consecrator in alio loco sibi commodo, et lotus deponit paramenta pontificalia, et cum pluviali ac mitra assistit Pontifici, ut prius. — His finitis, non dicuntur illae tres orationes, quae dici solent, quando electus non consecratur, quia erat Episcopus. Sed mox, mundatis manibus et capite, ducitur ante altare, et de manu prioris diaconorum accipit Pallium de corpore et altari sancti Petri sumptum, ut inferius dicemus.

« Et haec quidem omnia – ab eo loco ubi incipit, *Cantores, ut finierint Kyrie eleison* – dimittuntur, si electus erat prius consecratus Episcopus. Si electus Pontifex, iam Episcopus, est tantum benedicendus et coronandus hac die, hoc modo proceditur » (1).

11. **De benedictione electi Pontificis, iam consecrati Episcopi.** — « Servatis omnibus, quae supra diximus, usque ad cantatum *Introitum* et *Kyrie eleison*, Papa, facta confessione, accipit immediate mitram, et sedet in sede, sine faldistorio sibi parato inter sedem eminentem et altare, vertens faciem ad ipsum altare. Et tres primi Episcopi accedunt ad Pontificem, et faciem ante illius faciem tenentes sine mitra, illorum iunior super Pontificem stantem sine mitra ipse in medio duorum stans, primam dicit Orationem, videlicet: *Oremus. Deus, qui adesse non dedignaris, ubicumque devota mente invocaris, adesto, quaesumus, invocationibus nostris, et huic famulo tuo N. quem ad culmen apostolicum iudicium tuae plebis elegisti, ubertatem supernae benedictionis infunde, ut sentiat se tuo munere ad hunc apicem pervenisse.* Secundam dicit immediate secundus Episcopus Car-

(1) *Caeremoniale Romanum*, l. c., § 15.

dinalis, stans et ipse in medio, videlicet: *Supplicationibus nostris, omnipotens Deus, effectum consuetae pietatis impende, et gratia spiritus sancti famulum tuum N. perfunde, ut qui in capite Ecclesiarum nostrae servitutis ministerio constituitur tuae virtutis soliditate roboretur.*

Et tertio antiquior, id est prior Episcoporum Cardinalium in eodem loco stans, videlicet: *Deus, qui Apostolum tuum Petrum inter ceteros Apostolos, primatum tenere voluisti, eique universae christianitatis molem super humeros imposuisti, respice, quaesumus, propitius hunc famulum tuum N. quem de humili cathedra violenter sublatum in thronum eiusdem Apostolorum principis sublimamus, ut sicut profectibus tantae dignitatis augetur, ita virtutum meritis cumuletur, quatenus ecclesiasticae universitatis onus, Te adiuvante, digne ferat. Et a Te qui es beatitudo tuorum vicem meritam recipiat, per Christum Dominum nostrum. Amen.*

« Dictis orationibus, Papa etiam sine mitra accedit ad altare, et prior Diaconorum, secundo adiuvante, videlicet partem Pallii pendentem elevantem, capit Pallium de altari, et imponit Pontifici, et solus dicit: *Accipe Pallium, scilicet plenitudinem pontificalis officii ad honorem omnipotentis Dei, gloriosissimae Virginis Mariae eius Matris, beatorum Apostolorum Petri et Pauli, et sanctae Romanae Ecclesiae.* Et firmat cum spinulis (1).

« Accepto Pallio, Pontifex accedit ad altare sine mitra, illud osculatur primum, et deinde librum Evangeliorum, quem subdiaconus a sinistra parte offert; imponit incensum in thuribulum, Diacono Evangelii offerente naviculam, incensat altare more solito; et accepta mitra, in cornu altaris stans, a Diacono incensatur, et non recipit Diaconum tunc ad osculum, ut alias, sed ascendit ad cathedram eminentem, et sedens recipit ad reverentiam Cardinales et Praelatos omnes paratos: Cardinales ad osculum pedis, manus et oris, alios paratos ad osculum pedis et manus. Finita reverentia, surgit Papa sine mitra, et legit *Introitum* et *Kyrie eleison*, sustinente librum Cardinali Episcopo, cum aliis assistentibus. Deinde in voce dicit *Gloria in excelsis Deo*, etc. *Pax vobis*, et Orationes opportunas, videlicet de die, de Spiritu sancto,

(1) Quidam codices habent: et subdiaconus pallium firmat cum spinulis.

et ultimo dicit secrete Orationem pro se, quae habetur in consecratione Episcoporum » (1).

De laudibus faciendis Pontifici ante Epistolam.

« Dictis Orationibus, sedet Pontifex, et prior Diaconorum cum ferula descendit ad confessionem beati Petri cum subdiaconis, auditoribus, scriniariis, id est secretariis, et advocatis, quibus in duas acies distributis, ita ut in qualibet acie sint ex omnium ordine, faciunt laudes Pontifici, stantes capitibus detectis, Papa et omnibus aliis sedentibus in locis suis. Prior Diaconorum incipit solus alta voce, quasi legendo: *Exaudi Christe;* subdiaconi, auditores, scriniarii et advocati respondent: *Domino nostro N. a Deo decreto summo Pontifici, et universali Papae vita.* Et sic tertio dicitur per Priorem, et totiens per illos respondetur. Subsequenter idem prior Diaconorum dicet: *Salvator mundi;* et illi respondebunt: *Tu illum adiuva;* et sic ter dicetur, et ter respondebitur. Deinde idem Prior dicit: *Sancta Maria*; et illi respondebunt: *Tu illum adiuva*; et bis dicetur, et bis respondebitur. Inde Prior idem subiunget *Sancte Michael*, et illi respondebunt: *Tu illum adiuva.* Et nunc deinceps semel dicetur, et semel respondebitur.

Sequitur Prior:

Sancte Michael,	*Tu illum adiuva*
Sancte Gabriel,	»
Santce Raphael,	»
Sancte Ioannes Baptista,	»
Sancte Petre,	»
Sancte Paule,	»
Sancte Andrea,	»
Sancte Stephane,	»
Sancte Leo,	»
Sancte Gregori,	»
Sancte Benedicte,	»
Sancte Basili,	»
Sancte Sabba,	»
Sancta Agnes,	»
Sancta Cecilia,	»
Sancta Lucia,	»

(1) *Caeremoniale Romanum*, l. c., § 16.

« Finitis laudibus, dicitur Epistola latine, et deinde graece; et proceditur in Missa, ut alias usque ad finem. Datur benedictio, sed non publicantur tunc indulgentiae » (1).

ARTICULUS IV.

De coronatione, inthronizatione ac de possessione capienda Basilicae Lateranensis.

Bibliographia: Castelli, *De R. Pontifice inthronizando*, p. 40 ss.; Catalanus, op. cit., p. 63 ss.; Gatticus, op. cit., p. 83 ss.; eiusdem auctoris, *Diaria caeremonialia*, part. I, *De R. Pontifice*, tit. III, n XIII; Firms, *De inthronizationis ritu*, p. 15 ss; Mabillonius, *Mus. Ital.*, to. II, cap. 18, p. 110 ss.; Marangoni, *Chronologia RR. Pontificum superstes pariete australi basilicae S. Pauli viae Ostiensis*, p. 7 s.; Meuschen, *Caeremonialia elect. et coronationis P. R.*, Frankfurt, 1732; Nicol. Aleman. *De parietinis Lateranensibus*, II, n. 14; Martène, *De antiq. rit.* I, *de mitra pontificali*; Mazaronius, *De tribus pontificiis coronis*, p. 13 ss.; Papebrochius, *in Conat. ad S. Silvestr.* I, n. 5; Pagius, l. c.; Sirleti, *Coronae aureae super mytram*, Romae, 1765.

Cancellieri F., *Storia dei solenni possessi dei Sommi Pontefici*, p. 14 ss.; Novaes I., *Il sacro rito antico e moderno della elezione, coronazione e solenne possesso del Sommo Pontefice*, p. 18 ss.

Summarium: 1. Coronatio. — 2. Ritus coronationis. — 3. Inthronizatio. — 4. Possessio capienda Basilicae Lateranensis.

1. **Coronatio.** — Clariss. Pagius (1), putat primam coronationem Summorum Pontificum « eam videri, quae facta est a Nicolao Papa I in Romanum Pontificem electo et consecrato anno MCCCLVIII ».

Sententiam Pagi quamplures auctores sequuntur, in historia Romanorum Antistitum maxime versati.

Catalanus tamen (2) aliique, auctoritate innixi *Romani Ordinis* IX, n. VI – quem Mabillonius putat scriptum fuisse Leonis III tempore (3) – censet longe ante Nicolaum I coronari consuevisse Romanos Pontifices.

---

(1) *Caeremoniale Romanum*, l. c., § 17.
(2) *In vita Nicolai I.*
(3) Op. cit., p. 119, n. 11.
(4) *Mus. Ital.*, to. II, p. 125.

Nonnulli auctores contendunt id confirmari ex *donatione Constantini*. At minus recte. Quovis enim sub respectu eiusmodi consideretur documentum, historico scilicet aut iuridico, memoratae opinioni nequaquam suffragatur (1).

Ab initio facta fuisse coronatio videtur in Basilica Lateranensi; postea vero, hoc est inde a Paschali II (2) coronari Papa semper consuevit in Basilica Vaticana, e qua coronatus ad Lateranum processionaliter pergebat.

Quamplura extant documenta de solemni Antistitum Romanorum coronatione. Sic v. gr. de coronatione Innocentii VIII egregie disserit Antonius Petri; de coronatione Pii II Burcardus; de coronatione Leonis X Paris de Grassis; de coronatione Hadriani VI Blasius de Martinellis; de coronatione Pauli IV Nicolaus Colaine (3).

2. **Ritus coronationis.** — Praemissa benedictione, de qua supra (4), proceditur ad coronationem. « Pontifex reassumptis chirothecis et annulis cum omnibus paramentis suis, in quibus celebraverat, et cum Cardinalibus, Praelatis et Officialibus omnibus, ut in Missa paratis, procedit ad suggestum super gradus Basilicae Apostolorum Principis ex materia constructum, et ornatum, ibique in sede eminenti sibi parata sedet, et cum omnes Praelati convenerint et populus ex Basilica in plateam exierit, Diaconus a sinistris deponit mitram consuetam e capite Pontificis et Diaconus a dextris Tiaram, quod *Regnum* appellant, et Triplici corona ornatum, Pontificis capiti imponit, populo acclamante, *Kyrie eleison*; et Diaconus a dextris latine, a sinistris vero vulgariter publicant plenarias indulgentias » (5). Solemnia coronationis fieri debent ad tramitem *Caeremonialis Romani*, lib. I, tit. II, iuxta ea quae tradidimus in praecedenti articulo.

Pontifex, Missa completa, super suggestu sedit, adstante Sacro Cardinalium Collegio adstantibusque aliis de more Praelatis.

---

(1) Cfr. Muratori, *Script. ital.* III; Labbe, *Concil.* I, 456 s.

(2) Pandulphus, *in vita Paschalis II;* Cencius, *Ordo Roman.* XII, cap. XLVIII, n. 82.

(3) Cfr. Ms. Basilicae Vat., fol. 2; Gattic., *Acta selecta caeremonialia S. R. E. ex variis codicibus et diariis saeculi* XV, XVI, XVII *aucta et illustrata*, part. I, tit. III, n. 3 ss.

(4) Cfr. p. 583, 589 ss.

(5) *Caeremoniale Romanum*, l. c., § 18.

Chorus solemniter canit: *Corona aurea super caput eius*, etc. Dein Cardinalis Decanus elata voce dicit: *Pater noster*, etc. Quo secreto recitato, idem Cardinalis sic prosequitur: ℣. *Cantemus Domino.* ℟. *Gloriose enim magnificatus est.* ℣. *Buccinate in neomenia tuba.* ℟. *In insigni die solemnitatis vestrae.* ℣. *Iubilate Deo omnis terra.* ℟. *Servite Domino in laetitia.* ℣. *Domine exaudi*, etc. – *Dominus vobiscum*, etc.

Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, dignitas sacerdotii et auctor regni, da gratiam famulo tuo N. Pontifici nostro Ecclesiam tuam fructuose regendi, ut qui tua clementia pater regum et rector omnium fidelium constituitur et coronatur, salubri tua dispositione cuncta bene gubernet. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

Quibus expletis, Prior Cardinalis ex Ordine Diaconorum ad Antistitem maximum accedit eiusque capiti tiaram imponit, haec verba proferens: *Accipe tiaram tribus coronis ornatam, et scias te esse patrem principum et regum, rectorem orbis, in terra vicarium Salvatoris nostri Iesu Christi, cui est honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.*

Const. Pii X privilegium Priori Diaconorum Cardinali competens ratum habet firmatque his verbis: « Tandem per Decanum Cardinalem Diaconum coronatur » (1).

Ritus, ut Papa *corona* exornetur (quae passim a veteribus historicis et canonistis *regnum* appellatur), perantiquus est. Sane Codex Vaticanus n. 1560 de Alexandro III a. 1159 electo, sic refert: « Praeeunte Spiritus sancti gratia, consecratus est in Summum Pontificem, et secundum solitum Ecclesiae morem, *regno* de more insignitus, mitra turbinata scilicet cum corona ».

Compertum plane est, R. Pontificem « diversas habere mitras, quibus diversis temporibus utitur, scilicet unam albam totam, unam cum aurifrisio in titulo sine circulo, et mitram aurifrisiatam in circulo et in titulo » (2).

Animadvertendum est, has mitras omnino distingui a *phrygio* seu *regno* quo Papa coronatur. Phrygium enim, ceu tradunt eruditi auctores, vocari solebat *regnum* aut *corona* vel *mitra turbinata cum corona* (3); quam *tiaram pontificalem* nunc dicimus.

---

(1) Tit. II, cap. VII, n. 91.
(2) *Caeremoniale* Gregorii X, n. XII.
(3) *Ord. Roman.* XIV, cap. XIX; Pagius, in *Vita Alexandri III.*

Antiquis temporibus una tantum constabat *regnum* corona, cui Bonifacius VIII secundam, Clemens V tertiam addidit (1).

Cum Ecclesia in militantem, purgantem et triumphantem dividatur, seu triplex regnum una comprehendat, ideo pontificalis tiara triplici corona iure adornari consuevit, ut suprema imperii, qua Pontifex gaudet iurisdictione, visibili etiam signo indicetur.

Quae de origine tiarae tradunt Novaes (2), Papebrochius (3), Bollandistae (4), Moroni (5), aliique auctores quovis carere historico fundamento critica hodierna censet.

De coronatione extra Urbem sermo occurrit in Cod. Vaticano, n. 4737.

Coronatio aliquando sine pompa facta fuit. Sane Marcellus II, testé Io. Francisco Firmano, « facta consecratione voluit coronari absque pompa aliqua, et sine expensis in pulpito seu lodia benedictionum in platea S. Petri » (6).

Coronationis caeremonia rite completa, Pontifex solemnem benedictionem una cum plenaria Indulgentia elargitur.

3. **Inthronizatio.** — Inde a saeculo XV inthronizatio locum haud habet, vel melius cum ipsa coronatione confunditur. Porro ea erat immissio quodammodo in Pontificatum, teste Pagio (7); et fiebat in Basilica Vaticana, ubi Pontifex super cathedram Petri solemniter collocari solebat.

De inthronizationis ritu saec. IX egregie loquitur Mabillonius (8).

Controvertitur quinam Papa inthronizatus primum fuerit. Nonnulli auctores censent fuisse Ioannem V a. 685; alii Cononem a. 686; quidam Gregorium III a. 731 (9); alii demum,

---

(1) ARMELLINI, *Lezioni di archeologia cristiana*, p. 420; PAGIUS, l. c.; MARTÈNE, *De antiq. rit. I, de mitra pontificali*; MAZARONIUS, *De tribus pontificiis coronis*, p. 13; SIRLETI, *Coronae aureae super mytram*, p. 18.

(2) *Dissertazioni*, to. II, *dissert.* 5.

(3) *In Conat. ad S. Silvestr.*, I, n. 5.

(4) *Acta SS. maii*, to. IV, die 19, p. 467.

(5) Op. cit., VII, p. 161.

(6) Cod. Vat., n. 4731.

(7) L. c.

(8) *Mus. It.*, to. II, cap. 18, p. 116 ss.

(9) Cfr. MARANGONI, *Chronol. RR. Pontif.*, p. 7 ss.

ut L. Lector (1), Clementem II. Postrema sententia quavis caret historica probabilitate; nam saeculo VIII vel saltem IX inthronizandi Romanos Pontifices consuetudinem viguisse, quamplura documenta aperto testantur (2).

Quae tradit Moroni (3) neve iuridico neve historico nituntur solido fundamento.

4. Possessio capienda Basilicae Lateranensis. — Veteri iam aevo mos invaluit ut Papa, statim post coronationem, Basilicae Lateranensis possessionem caperet. Eiusmodi caeremonia ab historicarum rerum scriptoribus *processus* vel *processio* aut *equitatio* passim nuncupatur.

Sicut enim parochi possessionem capiunt ecclesiae parochialis et Episcopi ecclesiae cathedralis, ita Antistes maximus possessionem iure capere coepit Basilicae Lateranensis, quippe quae est « *omnium urbis et orbis Ecclesiarum mater et caput* ».

Quamplura extant documenta de solemni capta possessione, quae tamen allegare supervacaneum ducimus (4).

Quandoque uno eodemque die coronatio et possessio fieri consueverunt; quandoque pro temporis ac rerum circumstantiis distinctis diebus.

Caeremoniale Romanum (5) fuse loquitur de processione seu possessione capienda, singulas caeremonias peragi consuetas referens.

Cum ab aula recesserit huiusmodi processio ob temporum mutata adiuncta, pretium operis haud est ut in ritibus exponendis immoremur; eo vel magis quia saepius memorata Pii X Constitutio, quae hodiernum ius constituit, ne verbum quidem habet de processione ad Basilicam Lateranensem.

---

(1) *L'élection Papale*, p. 337; *Le Conclave*, p. 688.

(2) FIRMS, *De inthronizationis ritu*, p. 25 s.; CASTELLI, *De R. Pontifice inthronizando*, p. 46.

(3) Op. cit., XVI, p. 308.

(4) Cfr. ms. Basilicae Vat., fol. 2; GATTIC., op. cit., part. I, tit. III, n. III ss.; CANCELLIERI, *Storia dei solenni possessi dei Sommi Pontefici*, p. 18 ss.; NOVAES, op. cit., p. 24 s.

(5) Lib. I, tit. II, § 19 ss.

INDEX

LIBER II.

DE CURIA ROMANA "SEDE VACANTE"

CAPUT I.

De Sede vacante in genere.

ARTICULUS I. *Quotuplici modo S. Sedem vacare contingat* . . Pag. 3
1. Modus ordinarius 4
2. Modus extraordinarius . . . . . ib.
3. Quaestiones 6

ARTICULUS II. *Num R. Pontifex deponi possit a Cardinalibus vel a generali Concilio* 8
1. Opininiones erroneae . . . . . ib.
2. Quaestio de Papa haeretico 9
3. Doctrina catholica tenenda 10

ARTICULUS III. *Num contingat Sedem Apostolicam vacare ob R. Pontificis amentiam* 13
1. Sententiae Auctorum . . . . . ib.
2. Quaenam ex iis praeferenda. 14

ARTICULUS IV. *Num vacans censeatur Apostolica Sedes, si Papa dubius sit* 15
1. Quaestio historica 16
2. Quaestio iuridica . . . . . ib.
3. Quo sensu generale Concilium intervenire queat. 17

ARTICULUS V. *Pontificiae Constitutiones quae vacantem Apostolicam Sedem respiciunt* 18
1. Ius antiquum. . . . . ib.
2. Ius novu 20

CAPUT II.

De potestate Sacri Cardinalium Collegii.

ARTICULUS I. *De potestate Sacri Collegii ante Gregorium X* . . . 21
1. Quaestio historica . . . . . ib.
2. Quaestio iuridica 22
3. Variae Auctorum sententiae 23
ARTICULUS II. *De potestate S. Collegii post Gregorium. X* . . . 24
1. Constitutio Gregorii X. . . . . ib.
2. Decretum Clementis V. 25
3. Constitutio Pii IV 26
4. Const. « *Inter cetera* » Alexandri VII . . . 28
5. Const. « *Apostolatus officium* » Clementis XII ib.
ARTICULUS III. *De potestate S. Collegii iure hodierno inspecto.* . . 30
1. Const. « *Vacante Sede Apostolica* » Pii X . ib.
2. Const. « *Praedecessores Nostri* » Leonis XIII 63
3. Instructio Constitutioni Leonis XIII adiecta, vulgo *Regolamento* 72
4. Potestas in specie S. Collegii iuxta ius hodiernum 77

CAPUT III.

De potestate SS. Congregationum.

ARTICULUS I. *De potestate SS. Congregationum in genere* 79
1. Principia iuris. . . . . ib.
2. Doctrina canonica 80
ARTICULUS II. *De potestate SS. Congregationum in specie.* . . . 81
1. Ius antiquum . . . . . ib.
2. Ius novum 82

CAPUT IV.

De Tribunalibus S. Sedis.

ARTICULUS I. *De Sacra Poenitentiaria* 84
1. Ius antiquum . . . . . ib.
2. Ius novum 85
ARTICULUS II. *De Sacra Romana Rota* 89
1. Ius antiquum . . . . . ib.
2. Ius novum 90

ARTICULUS III. *De Signatura Apostolica* 90
1. Ius antiquum 91
2. Ius novum . . . . . ib.

CAPUT V.

De ceteris S. Sedis Officiis.

ARTICULUS I. *De Cancellaria ac Dataria Apostolica.* 92
1. Cancellaria . . . . . ib.
2. Dataria Apostolica 93
ARTICULUS II. *De Camera Apostolica* . . . . . ib.
1. Ius antiquum . . . . . ib.
2. Ius novum 95
ARTICULUS III. *Secretaria Status, Secretaria Brevium ad Principes et Epistolarum Latinarum.* 98
1. Secretaria Status. . . . . ib.
2. Secretaria Brevium ad Principes et Epistolarum latinarum. 99

CAPUT VI.

De quibusdam aliis Officiis.

ARTICULUS I. *Decanus S. Collegii* 100
1. Decanus S. Collegii . . . . . ib.
2. Munus eiusdem, Sede Apostolica vacante . . ib.
ARTICULUS II. *Cardinalis in Urbe Vicarius* 101
1. Ius antiquum . . . . . ib.
2. Ius novum 102
ARTICULUS III. *Eleemosynarius Summi Pontificis* . . . . . ib.
1. Munus in se . . . . . ib.
2. Munus, Sede Apostolica vacante 103
ARTICULUS IV. *Legati, Nuntii, Delegati Apostolici* 104
1. Legati. 105
2. Nuntii. 106
3. Delegati Apostolici 107

CAPUT VII.

De Cardinalium Congregationibus.

ARTICULUS I. *Duplex Congregatio* 108
1. Verba Const. « *Vacante Sede Apostolica* » . . ib.
2. Explicatio 109

ARTICULUS II. *Munera duplicis Congregationis praedictae* 110
1. Verba Constitutionis Pii X . . . . . ib.
2. Explicatio 111

CAPUT VIII.

De iis quae Sede vacante occurrunt.

ARTICULUS I. *De annulo Piscatoris ac de Plumbo frangendo* . . 114
1. Annulus Piscatoris 115
2. Plumbum Cancellariae Apostolicae 116
ARTICULUS II. *De iure numismata cudendi* 118
1. De iure Card. Camerarii . . . . . ib.
2. De iure quorumdam aliorum . . . . . ib.
3. Origo historica. 119
ARTICULUS III. *De exsequiis Pontificis defuncti* . . . . . ib.
1. Cadaver Pontificis defuncti . . . . . ib.
2. Eiusdem praecordia 124
3. Ritus funerum. 125
4. Oratio in laudem Pontificis defuncti. . . . 128
ARTICULUS IV. *De precibus ad Deum fundendis vacationis tempore*. 129
1. Quid praeceperit Gregorius X 130
2. Quid statuerit Pius X. 131
3. Explicatio iuridica . . . . . ib.
ARTICULUS V. *De relationibus S. Collegii cum Coetu diplomatico* . 134
1. Cum quibusnam Statibus S. Collegio liceat communicare . . . . . ib.
2. In specie quoad Gubernium italicum. . . . 135
ARTICULUS VI. *De iis quae in specie Cardinales respiciunt* . . . 136
1. Quid agere prohibeantur Cardinales . . . . ib.
2. Quomodo se gerere debeant Cardinales. . . 137
ARTICULUS VII. *De custodia Palatii Apostolici, de Musaeis et Bibliotheca* . . . . . ib.
1. De custodia Palatii Apostolici . . . . . ib.
2. De Musaeis, Archivis et Bibliotheca. . . . 138

LIBER III.

DE ROMANI PONTIFICIS ELECTIONE

CAPUT I.

Quaestio iuridica.

ARTICULUS I. *An conveniens fuerit Pontificem Romanum carnali successione propagari.* 139
1. Ratio successionis quoad Pontifices antiqui foederis . . . . . ib.
2. Discrimen inter Ecclesiam Christi et Synagogam 140
3. Rationes quae omnino excludunt carnalem successionem . . . . . ib.
ARTICULUS II. *An Pontifex R. ab hominibus sit eligendus* 142
1. Errores . . . . . ib.
2. Catholica doctrina 143
3. Solutio difficultatum. 144
ARTICULUS III. *Num conveniat R. Pontificem immediate a Deo eligi* 146
1. Status quaestionis . . . . . ib.
2. Errores Ioannis Wiclefi et Ioannis Hus . . 147
3. Sophismata Iaconii . . . . . ib.
4. Catholica doctrina 148
ARTICULUS IV. *Num Christus formam electionis determinaverit* . . 149
1. Electio Summi Pontificis arduum et grave negotium est 150
2. Quā forma Christus sibi successorem elegerit ib.
3. Principium theologicum . . . . . ib.
4. Conclusio. 151
ARTICULUS V. *Num Papa per sortes, vel potius per veram propriamque electionem designandus sit* 152
1. Ius divinum et naturale . . . . . ib.
2. Ius ecclesiasticum 153
3. Opiniones erroneae . . . . . ib.
4. Doctrina catholica . . . . . ib.
ARTICULUS VI. *Num iure divino electio Papae ad Episcopos spectet.* 155
1. Opiniones erroneae . . . . . ib.
2. Rationum momenta quibus innituntur . . . 156
ARTICULUS VII. *Num electio Papae oecumenico Concilio competat* . 159
1. Sententia Turrecrematae et Petri Paludani . ib.

2. Sententia Antonii, Decii, Hostiensis et quorumdam aliorum 159
3. Sententia Victoriae et Corvinii . . . . . ib.
4. Catholica doctrina 160
ARTICULUS VIII. *Num electio R. P. ad populum iure divino spectet.* 162
1. Errores . . . . . ib.
2. Doctrina catholica 169
ARTICULUS IX. *R. P. competit potestas formam electionis determinandi* 178
1. Errores 179
2. Doctrina catholica . . . . . ib.
ARTICULUS X. *Num R. P. valeat formam electionis determinare cum decreto irritante* 182
1. Argumenta pro sententia negativa . . . . ib.
2. Argumenta pro sententia affirmativa. . . . ib.
3. Quaenam sententia sit praeferenda 182
ARTICULUS XI. *Num et quo sensu R. P. formam electionis mutare valeat* 184
1. Errores . . . . . ib.
2. Doctrina catholica . . . . . ib.
ARTICULUS XII. *Num ipsius R. P. sit successorem sibi eligere.* . . 185
1. Factum divi Petri 187
2. Factum Felicis IV 193
3. Factum Bonifacii II 198
4. Quaedam alia historica facta. 201
5. Status quaestionis 202
6. Doctrina theologorum et canonistarum . . . ib.
7. Variae theologorum et canonistarum sententiae 211
8. Argumenta quibus unaquaeque innititur . . 212
9. Quaenam sententia sit amplectenda 220
ARTICULUS XIII. *Num R. P. valeat coadiutorem sibi eligere* . . . 224
1. Status quaestionis . . . . . ib.
2. Quaedam facta historica 225
3. Declaratio Pii IV 226
4. Doctrina amplectenda 227

CAPUT II.

Quaestio historica.

ARTICULUS I. *De variis epochis electionem R. P. respicientibus* . . 228
1. Epocha I 229
2. » II 230
3. » III . . . . . ib.

4. » IV 231
5. » V 232
6. » VI . . . . . ib.
7. » VII. 233
8. » VIII . . . . . ib.

ARTICULUS II. *Num ius eligendi RR. Pontifices olim principibus concessum fuerit* 234
1. Decretum Odoacris 235
2. Concessio ab Adriano I in favorem Caroli M. facta 236
3. Decretum Stephani IV. 240
4. Decretum Eugenii II 241
5. Decretum Leonis IV 242
6. Decretum Ioannis IX . . . . . ib.
7. Concessio Ioannis X. 243
8. Diploma Othonis imperatoris . . . . . ib.
9. Constitutio Leonis VIII 245
10. Diploma Henrici imperatoris. 247
11. Concessio a Clemente II in favorem Henrici II facta 248

ARTICULUS III. *De R. P. electione prioribus Ecclesiae saeculis* . . 251
1. An et quomodo clerus partem habuerit in electione . . . . . ib.
2. Num et quo sensu populus comitiis pro eligendo Pontifice interfuerit 254
3. Num Senatus etiam partem distinctim habuerit in electione R. Pontificis 259

ARTICULUS IV. *Historica synopsis de R. P. electione sub imperatoribus Romanis et sub Gothorum dominatione* . . 260
1. De R. P. electione sub imperatoribus Romanis 261
2. Sub Gothorum imperio. 263
3. Sub imperio byzantino. 266

ARTICULUS V. *Electio RR. Pontificum sub Francorum et Germanorum regibus* 271
1. Electio RR. Pontificum saeculo IX 274
2. Saeculo X 283
3. Saeculo XI 290
4. Saeculo XII 297
5. Saeculo XIII 301
6. Saeculo XIV. 304
7. Schisma occidentale 306

2. Sententia Antonii, Decii, Hostiensis et quorumdam aliorum 159
3. Sententia Victoriae et Corvinii . . . . . ib.
4. Catholica doctrina 160
ARTICULUS VIII. *Num electio R. P. ad populum iure divino spectet.* 162
1. Errores . . . . . ib.
2. Doctrina catholica 169
ARTICULUS IX. *R. P. competit potestas formam electionis determinandi* 178
1. Errores 179
2. Doctrina catholica . . . . . ib.
ARTICULUS X. *Num R. P. valeat formam electionis determinare cum decreto irritante* 182
1. Argumenta pro sententia negativa . . . . ib.
2. Argumenta pro sententia affirmativa . . . . ib.
3. Quaenam sententia sit praeferenda 182
ARTICULUS XI. *Num et quo sensu R. P. formam electionis mutare valeat* 184
1. Errores . . . . . ib.
2. Doctrina catholica . . . . . ib.
ARTICULUS XII. *Num ipsius R. P. sit successorem sibi eligere.* . . 185
1. Factum divi Petri 187
2. Factum Felicis IV 193
3. Factum Bonifacii II 198
4. Quaedam alia historica facta. 201
5. Status quaestionis 202
6. Doctrina theologorum et canonistarum . . . ib.
7. Variae theologorum et canonistarum sententiae 211
8. Argumenta quibus unaquaeque innititur . . 212
9. Quaenam sententia sit amplectenda 220
ARTICULUS XIII. *Num R. P. valeat coadiutorem sibi eligere* . . . 224
1. Status quaestionis . . . . . ib.
2. Quaedam facta historica 225
3. Declaratio Pii IV 226
4. Doctrina amplectenda 227

CAPUT II.

Quaestio historica.

ARTICULUS I. *De variis epochis electionem R. P. respicientibus* . . 228
1. Epocha I 229
2. » II 230
3. » III . . . . . ib.

CAPUT III.

De Conclavi.

ARTICULUS I. *Historica origo ac evolutio* 317
1. Origo historica. 318
2. Const. « *Ubi periculum* » Gregorii X . . . 320
3. Adriani V Allocutio consistorialis, Constitutio Ioannis XX et Constitutiones Coelestini V 321
4. Const. « *Ne Romani* » Clementis V 322
5. Const. « *Licet* » Clementis VI 323
6. Bulla « *Periculis et detrimentis* » Gregorii X et Concilium Constantiense . . . . . ib.
7. Const. « *Cum tam divino* » Iulii II . . . . ib.
8. Const. « *Cum secundum* » Pauli IV 324
ARTICULUS II. *Canonica legislatio de conclavi aevo recentiori inducta* 325
1. Const. « *In eligendis* » Pii IV 326
2. Const. « *Aeterni Patris* » Gregorii XV . . . 329
3. Const. « *Decet* » Gregorii XV 331
4. Const. « *Ad R. Pontificis* » Urbani VIII . . 332
5. Bulla « *Inter cetera* » Alexandri VII. . . . ib.
6. Breve Alexandri VIII et Bulla Innocentii XII ib.
7. Const. « *Apostolatus officium* » Clementis XII 333
8. Chirographum « *Avendo Noi* » eiusdem Clementis XII 336
ARTICULUS III. *De Conclavi a Pio VI usque ad Pium X* 339
1. Breve « *Attentis peculiaribus* » Pii VI . . . 340
2. Bulla « *Christi Ecclesiae* » Pii VI. . . . . ib.
3. Bulla « *Quum Nos* » Pii VI 341
4. Bulla « *Quae potissimum* » Pii VII ac peculiaris Instructio eiusdem Pontificis. 343
5. Bulla « *Cum Romanis* » Pii IX. . . . . ib.
6. Bulla « *In hac sublimi* » Pii IX 344
7. Bulla « *Licet per Apostolicas* » Pii IX. . . 346
8. Bulla « *Consulturi* » Pii IX 347
9. Const. « *Praedecessores Nostri* » Leonis XIII 350
10. Instructio, vulgo *Regolamento* Constitutioni « *Praedecessores Nostri* » adiecta 354
11. Const. « *Commissum Nobis* » Pii X 356
12. Const. « *Vacante Sede Apostolica* » eiusdem Pii X 357
ARTICULUS IV. *De loco Conclavis* 357
1. De loco electionis tribus prioribus saeculis . 359

2. A saeculo IV usque ad saeculum X 359
3. A saeculo X usque ad Nicolaum II . . . . . ib.
4. A Nicolao II usque ad Gregorium X 360
5. A Gregorio X usque ad Clementem V . . . 361
6. A Clemente V usque ad Gregorium XI . . 362
7. A Gregorio XI usque ad Martinum V . . . 363
8. A Martino V usque ad Pium VII. . . . . ib.
9. A Pio VII usque ad tempora nostra. . . . 364
10. Praescriptio Pii IX ac Leonis XIII de electionis loco 365
11. Ius hodiernum. 366

ARTICULUS V. *De materiali forma Conclavis* 368
1. Ante Gregorium X . . . . . ib.
2. Post Gregorium X . . . . . ib.
3. Hodierna disciplina 369

ARTICULUS VI. *De expensis Conclavis* 373
1. Consuetudo vetus. . . . . ib.
2. Decretum Alexandri VIII. 374
3. Chirographum Clementis XII 375
4. Praxis hodierna 378

ARTICULUS VII. *De privilegiis et pensionibus seu emolumentis quae concedi aut solvi solent Conclavistis* . . . . . ib.
1. Origo primaeva historica 379
2. Origo iuridica . . . . . ib.
3. Leo X. 380
4. Sixtus V. . . . . ib.
5. Clemens VIII . . . . . ib.
6. Leo XI 382
7. Gregorius XIII . . . . . ib.
8. Paulus V. . . . . ib.
9. Gregorius XV . . . . . ib.
10. Urbanus VIII 383
11. Clemens XII . . . . . ib.
12. Pius VI 384
13. Leo XII et Pius VIII . . . . . ib.
14. Gregorius XVI, Pius IX et Leo XIII . . . 385
15. Pius X . . . . . ib.

ARTICULUS VIII. *De Conclavistis ac de aliis in Conclavi partem habentibus* 386
1. Ius antiquum 387
2. Ius novum 389
3. In quanam aetate conclavistae aliique servientes constituti sint oporteat. 391
4. Num laici inservientes iuramentum praestare teneantur. 392

5. Num viri religiosi munere fungi valeant conclavistarum vel inservientium 392
6. Quinam Praelati munus conclavistarum obire prohibeantur . . . . . ib.
7. Num conclavistis liceat e conclavi exire . . ib.
8. Quomodo inservientes sint eligendi 393
ARTICULUS IX. *De gubernatore, marescallo et praelatis, quibus conclavis custodia concreditur* . . . . . ib.
1. Gubernator 394
2. Marescallus 395
3. Praelati quibus Conclavis custodia concreditur. 396
ARTICULUS X. *De ingressu in Conclave* . . . . . ib.
1. Missa de Spiritu Sancto 397
2. Oratio de Pontifice eligendo. . . . . ib.
3. Ingressus in Conclave . . . . . ib.
4. Constitutiones pontificiae legendae ac iuramentum Cardinalibus praestandum 398
5. Sermo Cardinalis Decani 400
6. Distributio seu assignatio cellarum . . . . ib.
7. Iuramentum Conclavistis aliisque Conclavis Officialibus praestandum 401
8. Occlusio Conclavis . . . . . ib.
9. Perquisitio S. R. E. Camerario ac tribus Cardinalibus Capitibus facienda. 402
10. Recognitio conclavistarum . . . . . ib.
11. Conclavis structura . . . . . ib.
12. Cellae Cardinalium 403
13. Rotae Conclavis . . . . . ib.
14. Cappella 404
15. Cibus pro Cardinalibus. 405
16. Habitus Cardinalium 406
17. Cardinales pro custodia Conclavis deputati . ib.
18. Colloquia cum Cardinalibus aut aliis in Conclavi partem habentibus 407
19. Epistolae, ephemerides aliaque cuiusvis generis scripta . . . . . ib.
20. Secretarius S. Collegii Cardinalium 409
ARTICULUS XI. *De secreto servando.* . . . . . ib.
1. Quinam lege servandi secreti ligentur . . . ib.
2. In quibusnam rebus secretum servari oporteat. 410
3. Quamdiu obligatio de secreto servando perduret . . . . . ib.
4. Poena contra transgressores statuta . . . . ib.

CAPUT IV.

De electoribus Romani Pontificis.

ARTICULUS I. *De historica ac iuridica origine Sacri Cardinalium Collegii.* 411
1. Origo iuridica Cardinalium 412
2. Origo historica Cardinalium 415
3. Quonam tempore Cardinales suffragium distinctim ferre coeperint in R. P. electione. . 420
ARTICULUS II. *De iure proprio ac exclusivo Cardinalium* 421
1. Disciplina vetus et nova quoad electores Romani Pontificis. 422
2. Num ius ad Cardinales spectans Papam eligendi sit divinum vel humanum 425
3. Num eiusmodi ius auferri possit . . . . . ib.
4. Num Cardinales munus sibi concreditum detrectare valeant aut aliis exercendum committere ib.
5. Num Cardinalibus ius sit suffragium per procuratorem vel per epistolam ferendi . . . ib.
6. Num Sacrum Cardinalium Collegium electionis formam immutare valeat. 426
7. Quid iuris, si vacatio Apost. Sedis contingat perdurante celebratione generalis Concilii . ib.
8. Quid iuris, si omnes Cardinales dispersi, vel infirmi, aut praemortui sint . . . . . ib.
ARTICULUS III. *Quinam Cardinales suffragium ferre valeant in R. P. electione.* 428
1. Doctrina canonica . . . . . ib.
2. Quaestiones 428
ARTICULUS IV. *Quinam sit a Cardinalibus in R. Pontificem eligendus* 430
1. Auctorum opiniones 431
2. Doctrina catholica 433
3. Num haereticus vel schismaticus aut excommunicatus eligi possit 436
4. Quaenam aetas requiratur et quaenam discretio in eligendo . . . . . ib.
5. Num laici sint valide eligibiles. 437
6. Num Papa sit necessario e gremio Cardinalium assumendus . . . . . ib.
7. Num R. Pontifex italus sit oporteat . . . 438
8. Num e clero saeculari vel potius e regulari assumendus 439

CAPUT V.

De forma electionis R. Pontificis

ARTICULUS I. *De forma electionis ante Gregorium XV.* 440
1. Forma electionis primis Ecclesiae saeculis . . ib.
2. Forma electionis inde a Nicolao II 448
3. Bulla « *In eligendis* » Pii IV 451
ARTICULUS II. *De forma electionis iuxta Gregorium XV* 452
1. Const. « *Aeterni Patris* » Gregorii XV . . . 453
2. Caeremoniale eiusdem Pontificis 457
3. Const. « *Ad Romani Pontificis* » Urbani VIII 465
ARTICULUS III. *De forma electionis iuxta Const. Pii X, seu iure hodierno inspecto* 466
1. Varii electionis modi . . . . . ib.
2. Scrutinii ritus 469
3. Praeparatio schedularum . . . . . ib.
4. Extractio Scrutatorum, Deputatorum pro votis
5. Infirmorum, et Recognitorum 470
6. Complicatio schedularum . . . . . ib.
7. Obsignatio schedularum 472
8. Delatio schedulae, exhibitio iuramenti ac positio schedulae in calicem. . . . . ib.
9. Quomodo Cardinales infirmi suffragium ferant ib.
10. Permixtio et numeratio schedularum 473
11. Publicatio scrutinii 474
12. Schedularum in filum insertio ac earumdem depositio seorsum. . . . . ib.
13. Numeratio suffragiorum 475
14. Recognitio suffragiorum et schedularum combustio . . . . . ib.
15. Secundum scrutinium . . . . . ib.
16. Num invalida fiat electio, si quis suffragium sibi dederit 476
ARTICULUS IV. *De iis quae sunt vitanda in electione R. Pontificis* . ib.
1. Crimen simoniae 477
2. Tractatus de electione Pontificis, eo vivente et inconsulto 484
3. Veto seu Exclusiva 487
4. Pacta seu conventiones. . . . . ib.
5. Capitula 489
6. Alia quaedam in electione Papae vitanda. . ib.

CAPUT VI.

Origo historica atque evolutio « Exclusivae » seu « Veto ».

ARTICULUS I. *Epocha prima*. 491
1. Origo primaeva historica 493
2. Electio Pii III et Iulii II. 494
3. Electio Leonis X. . . . . ib.
4. Electio Adriani VI, Clementis VII e Pauli III 495
ARTICULUS II. *Epocha secunda* 496
1. Electio Iulii III . . . . . ib.
2. Electio Marcelli II et Pauli IV. 497
3. Electio Pii IV. . . . . ib.
ARTICULUS III. *Epocha tertia*. 499
1. Electio Pii V 500
2. Electio Gregorii XIII et Sixti V . . . . . ib.
3. Electio Urbani VII et Gregorii XIV . . . 501
4. Electio Innocentii IX et Clementis VIII . . ib.
ARTICULUS IV. *Epocha quarta* 503
1. Electio Leonis XI et Pauli V . . . . . ib.
2. Electio Gregorii XV. 505
3. Electio Urbani VIII et Innocentii X . . . 508
4. Electio Alexandri VII et Clementis IX . . 512
ARTICULUS V. *Epocha quinta* 516
1. Electio Clementis X et Innocentii XI . . . ib.
2. Electio Alexandri VIII et Innocentii XII. . 517
3. Electio Clementis XI, Innocentii XIII et Clementis XII 518
4. Electio Benedicti XIV, Clementis XIII, et Clementis XIV. 519
5. Electio Pii VI, Pii VII, Leonis XII et Pii VIII 520
6. Electio Gregorii XVI, Pii IX, Leonis XIII et Pii X 522
ARTICULUS VI. *De natura iuridica « Exclusivae »* 524
1. Evolutio iuridica « *Exclusivae* » 525
2. Sententiae Auctorum quoad naturam *Exclusivae* 529
3. Doctrina catholica 530
4. Const. « *Commissum Nobis* » Pii X 537

CAPUT VII.

De iis quae sequuntur electionem canonice factam.

ARTICULUS I. *De consensu electi seu acceptatione* 541
1. Necessitas acceptationis ex parte electi ac vis iuridica eiusdem . . . . . ib.
2. Num Ecclesia vel S. Cardinalium Collegium tribuat electo primatialem potestatem . . . 543
3. Ritus quo electo statim post electionem obsequium exhibetur 546
4. Ritus quo electi consensus exquiritur . . . ib.
5. Nomen Pontifici electo assumendum 547
6. Attestatio authentica de electione atque acceptatione 548
7. De electo extra Collegium seu Conclave . . ib.
8. Quid electus ante coronationem agere valeat. 550
9. Obedientia seu reverentia a Cardinalibus electo praestanda 552
10. An excipi possit contra electionem Papae . . 554
11. An certa fide constare possit de legitimitate Pontificis. 555
ARTICULUS II. *De proclamatione, veneratione ac benedictione* . . . 558
1. Proclamatio electionis 559
2. Aperitio Conclavis, signa laetitiae, benedictio Urbi et Orbi 560
3. Secunda ac tertia reverentia a Cardinalibus Pontifici praestanda 561
ARTICULUS III. *De ordinatione et consecratione electi* . . . . . ib.
1. De promotione electi ad sacros Ordines, si illis careat 562
2. De electi Pontificis ordinatione in subdiaconum 564
3. De promotione ad diaconatum 565
4. De electi ordinatione in presbyterum . . . 567
5. De collatione Ordinum minorum, si fortasse iisdem careat electus 570
6. Consecratio electi in Episcopum sine benedictione et coronatione 571
7. Ad quem spectet consecratio Romani Pontificis. 572
8. Ritus consecrationis episcopalis, sine benedictione et coronatione 577
9. Ritus episcopalis consecrationis, una cum benedictione et coronatione 583

10. Ex Cappella S. Gregorii ad altare proceditur; quidam ritus explentur, antequam electus ad altare accedat 586
11. De benedictione electi Pontificis, iam consecrati Episcopi 589
ARTICULUS IV. *De coronatione, inthronizatione ac de possessione capienda Basilicae Lateranensis* 592
1. Coronatio. . . . . ib.
2. Ritus coronationis 593
3. Inthronizatio 595
4. Possessio capienda Basilicae Lateranensis . . 596

INDEX ALPHABETICUS RERUM

A

Acceptatio, p. 541 ss.
Adoratio, p. 561.
Adsessor S. C. Consistorialis est vi muneris Secretarius S. Cardinalium Collegii, p. 409.
Adrianus I. Num ius Carolo M. tribuerit eligendi R. Pontificem, p. 236 ss.
Amentia. Num contingat S. Sedem vacare ob R. Pontificis amentiam, p. 13 ss.
Annulus Piscatoris, p. 115.
Aperitio Conclavis, p. 469.
Archiva. Cuinam competat eorumdem custodia, Sede vacante, p. 138.
Auctoritas S. Collegii, Sede vacante, ante Gregorium X, p. 24 ss; post Gregorium X, p. 24 s.; iure hodierno inspecto, p. 30 ss.; SS. Congregationum, p. 79 ss.; S. Poenitentiariae, p. 84 ss.: S. R. Rotae, p. 89 ss.; Signaturae Apostolicae, p. 91 s.; Cancellariae ac Datariae Apostolicae, p. 92; Camerae Apostolicae, p. 93 s.; Secretariae Status, Brevium ad Principes et Epistolarum latinarum, p. 98 s.; Cardinalis in Urbe Vicarii, p. 101.
Attestatio de obitu Pontificis, p. 96; de occlusione Conclavis, p. 401; de eiusdem aperitione, p. 560; de consensu electi, p. 548.

B

Benedictio electi, p. 589; Urbi et Orbi, p. 560 s.
Bibliotecae custodia cuinam competat, Sede Ap. vacante, p. 137.
Bonifacius II. Num a Felice IV tamquam successor electus fuerit, p. 133 ss.
Breve "Attentis peculiaribus" Pii IV, p. 340.
Bulla « *Christi Ecclesiae* » Pii VI, p. 340; « *Quum Nos* » eiusdem Pii VI, p. 341; « *Quae potissimum* » Pii VII, p. 343; « *Cum Romanis* » Pii IX, p. 343; « *In hac sublimi* » eiusdem Pii IX, p. 344; « *Licet per Apostolicas* », p. 346; « *Consulturi* », p. 347.

C

Cadaver Pontificis defuncti, p. 119.
Camera Apostolica, p. 93 ss.
Caeremoniale Gregorii XV, p. 457 ss.
Camerarius. Munus eiusdem, Sede vacante, p. 96.
Cancellaria Apostolica, p. 92.
Capitula, p. 489.
Capitulum Basilicae S. Petri, p. 585 s.
Cappella, p. 404.
Cardinales. Potestas, p. 21 ss.; Constitutiones pontificiae legendae ac iuramentum praestandum, p. 389; cellae Cardinalium, p. 403; cibus, p. 405; habitus, p. 406; pro custodia Conclavis deputati, p. 407; secretum servandum, p. 409 ss.; origo iuridica Cardinalium, p. 412 ss.; origo historica, p 415; quonam tempore Cardinales suffragium distictim ferre coeperint in R. P. electione, p. 420 s.; ius proprium et exclusivum eligendi R. Pontificem, p. 421 ss.; num eiusmodi ius sit divinum vel humanum, p. 425 num auferri valeat, p. 425; num suf-

fragium ferre possint per procuratorem aut per epistolam, p. 426; quid iuris, si omnes Cardinales sint dispersi vel infirmi aut praemortui, p. 426; quinam suffragium ferre valeant in electione R. Pontificis, p. 427 ss; quinam sit a Cardinalibus in R. Pontificem eligendus, p. 431 ss.; num S. Collegium tribuat electo primatialem potestatem, p. 543.

Carolus M. Num ius obtinuerit ab Adriano I eligendi R. P., p. 236 ss.

Cellae Conclavis, p. 400, 403.

Chirographum Clementis XII, p. 336 ss.

Cibus pro Cardinalibus aliisque in Conclavi degentibus, p. 405.

Coadiutor. Num R. P. valeat sibi coadiutorem eligere, p. 224 ss.

Coetus diplomaticus Relationes S. Collegii cum ipso, p. 134.

Clerus. An et quomodo clerus partem habuerit in electione R. Pontificis, p. 251 ss.

Collegium S. Cardinalium. V. *Cardinales.*

Compromissum, p 467.

Conclave. Historica origo ac evolutio, p. 317 ss.; canonica legislatio de conclavi aevo recentiori inducta, p. 325 ss.; de conclavi a Pio VI usque ad Pium X, p. 339 ss.; de loco conclavis, p. 357; de materiali forma conclavis, p. 368 ss.; de expensis conclavis, p. 373 ss.; de ingressu in conclave, p. 397 ss; occlusio Conclavis, p. 401; structura, p. 402; rotae, p. 403; Cardinales pro custodia Conclavis deputati, p. 406.

Conclavistae. Iuramentum ipsis praestandum, p. 43, 401; privilegia, pensiones seu emolumenta quae concedi aut solvi solent conclavistis, p. 378 ss.; quot admittantur in Conclave, p. 389; in quanam aetate constituti sint oporteat, p. 391; num viri religiosi fungi valeant conclavistarunm munere, p. 391; num viri religiosi fungi valeant conclavistarum munere, p. 392; quinam Praelati prohibeantur munere conclavistarum fungi, p. 392; num conclavistis liceat e conclavi exire, p. 392; quomodo eligendi, p. 393; recognitio, p. 402; secretum servandum, p. 409 ss.

Congregationes. Potestas in genere, p. 79 s.; potestas in specie, p. 81 ss.; duplex Cardinalium Congregatio, Sede vacante, p. 108 ss; munera duplicis huius Congregationis, p. 110 ss.

Consecratio R. Pontificis, p. 571 ss.; p. 583 ss.

Consensus electi, p. 541 ss.

Constitutio « *Ubi periculum* » Gregorii X, p. 24 s.; « *In eligendis* » Pii IV, p. 26; « *Inter cetera* » Alexandri VII, p. 28; « *Apostolatus officium* » Clementis XII, p. 29 s., « *Vacante Sede Apostolica* » Pii X; p. 30 ss.; « *Praedecessores Nostri* » Leonis XIII, p. 63 ss.; « *Commissum Nobis* » Pii X, p. 537.

Conventiones, p. 487 s.

Coronatio electi Pontificis, p. 583 ss.; p. 593 s.

D

Dataria Apostolica, p. 84.

Decanus S. Collegii, p. 100; sermo ipsi habendus, p. 400; consecratio electi Pontificis, p. 572 ss.

Decretum Odoacris, p. 235 s.; Stephani IV, p. 240 s.; Eugenii II, p. 241 s.; Leonis IV, p. 242; Ioannis IX, p. 242.

Delegati Apostolici, p. 104 ss.

Depositio. Num R. P. deponi valeat a Cardinalibus vel a generali Concilio, p. 8 s.

Diploma Ottonis imperatoris, p. 243 s.; Henrici, p. 247 s.

Designatio. Num Petrus sibi successorem designaverit, p. 187 ss.; num R. P. valeat sibi successorem eligere, p. 190 ss.

Disciplina vetus et nova quoad electores R. Pontificis, p 422 ss.

Distributio cellarum, p. 400.

E

Ecclesia. Num Ecclesia conferat electo Pontifici primatialem potestatem, p. 543 s.

Electio. Num conveniat R. Pontificem immediate a Deo eligi, p. 146 ss.; num Christus formam electionis determinaverit, p. 149 ss.; num Papa per sortem, vel potius per veram propriamque electionem nominandus sit, p. 152 ss.; num iure divino electio Papae ad Episcopos spectet, p. 155 ss.;

num electio Papae oecumenico competat Concilio, p. 159 ss.; num spectet ad populum, p. 162 ss.; R. Pontifici competit potestas formam electionis determinandi, p. 178 ss.; num R. P. valeat formam electionis determinare cum decreto irritante, p. 182 ss.; num et quo sensu R. P. formam electionis mutare valeat 184 s.; num R. P. successorem sibi eligere possit. p. 185 ss.; num R. P. valeat sibi coadiutorem eligere, p. 224 ss.; de variis epochis electionem Summi Pontificis respicientibus, p. 228 ss.; num ius eligendi RR. Pontifices olim principibus concessum fuerit, p. 234 ss.; de R. P. electione prioribus Ecclesiae saeculis, p. 251 ss.; sub imperatoribus romanis, Gothorum dominatione et imperio byzantino, p. 260 ss.; sub Francorum et Germanorum regibus, p. 271 ss.; de loco electionis, p. 358 ss.; num haereticus vel schismaticus eligi possit in R. Pontificem, p. 436; quaenam aetas et quaenam discretio in eligendo, p. 436; num laici sint valide eligibiles, p. 437; num e gremio Cardinalium sit Papa assumendus, p. 438; num italus sit oporteat, p. 438; num e clero saeculari vel potius regulari, p. 439; forma electionis, p. 440 ss.; varii electionis modi, p. 466 ss.; de electo extra Conclave, p. 548 s.

Electus. Consensus seu acceptatio, p. 541 s.; num ab Ecclesia vel a Cardinalibus recipiat potestatem, p. 543 ss.; nomen, p. 547 s.; quid agere valeat ante coronationem; p. 550 s.; ordinatio, et coronatio, p. 561 ss.; coronatio, p. 592.

Epochae. Quoad electionem R. P., p. 228 ss.; quoad *Veto*, p. 491 ss.

Exceptio. Num excipi possit contra electum Pontificem, p. 554.

Exclusiva. Origa historica et evolutio, p. 491 ss.; natura iuridica, p. 524 ss.

F

Felix IV. Num sibi successorem elegerit, p. 193 ss.

Fides. Num certa fide constare possit de legitimitate Pontificis, p. 555.

Forma electionis R. Pontificis, p. 440 ss.

Franci reges. Electio RR. Pontificum sub eorumdem dominatione, p. 271 ss.

Funera. Ritus, p. 125.

G

Germanici reges. Electio RR. Pontificum sub eorumdem dominatione, p. 271 ss.

Gothi. Electio R. P. sub eorumdem dominatione, p. 263 ss.

Gubernator Conclavis, p. 393 s.

Gubernium italicum. Relationes cum eodem ex parte S. Collegii p. 134 ss.

H

Habitus Cardinalium, p. 406.

I

Imperium. Electio R. P. sub imperio romano, p. 261 s; sub imperio Gothorum, p. 263; sub imperio byzantino, p. 266 ss.; sub Francorum et Germanorum dominatione, p. 271 ss.

Infirmarii, p. 470.

Infirmi Cardinales quomodo suffragia ferant, p. 472.

Inservientes Conclavi. Iuramentum, p. 43, 401; numerus, p. 389; aetas, p. 391; electio, p. 393.

Inspiratio. Electio R. P. per quasi inspirationem, p. 467.

Inthronizatio, p. 594 s.

Iuramentum, p. 392, 398, 401.

L

Laici. Num laici inservientes iuramentum praestare teneantur, p. 392.

Legati, p. 104 ss.

Legitimitas. Num certa fide constare possit de legitimitate Pontificis, p. 555 ss.

M

Marescallus Conclavis, p. 395.

Missa de Spiritu Sancto, p. 397.

Modus ordinarius et extraordinarius vacationis S. Sedis, p. 4 ss.

N

Nomen Pontifici electo assumendum, p. 547 s.
Novendiales, p. 125.
Numisma. Ius numismata cudendi, Sede vacante, p. 118.
Nuntii, p. 104 ss.

O

Obedientia, p. 552, 561.
Oratio pro Pontifice defuncto, p. 128; de Pontifice eligendo, p. 397.
Ordinatio electi Pontificis, p. 561 ss.
Osculum pedum, p. 554.
Ostiensis Episcopus. Ius consecrandi electum Pontificem, p. 572 ss.

P

Pacta. p. 487 s.
Palatium Apostolicum. Custodia, p. 137.
Plumbum Cancellariae Apost., p. 115 s.
Pontifex R. Obitus eiusdem, p. 4; renuntiatio, p. 7; num deponi valeat a Cardinalibus vel a generali Concilio, p. 8: num contingat S. Sedem vacare ob R. P. amentiam, p. 13 s.; num vacans censeatur S. Sedes, si Papa sit dubius, p. 15 s.; exsequiae Pontificis defuncti, p. 119 s.; oratio in laudem, p. 128; num conveniens fuerit R. P. carnali successione propagari, p. 139 ss.; num Papa ab hominibus sit eligendus, p. 142 ss.; num immediate a Deo, p. 146 ss.; num per sortes, p. 152 ss.; num ab Episcopis, p. 155 ss.; num a Concilio oecumenico, p. 159 ss; num a populo, p. 162 ss.; num formam electionis determinare valeat, p. 178 ss.; num sibi successorem eligere possit, p. 185 ss.; num coadiutiorem, p. 224 ss.; variae epochae electionem respicientes p. 228 ss.; synopsis electionis, p. 261 ss.; electio prioribus Ecclesiae saeculis, p. 251 ss.; sub imperatoribus Romanis et Gothorum dominatione, p. 260 ss.; sub Francorum et Germanorum regibus, p. 271 ss.; disciplina vetus et nova quoad electores R. Pontificis, p. 422 ss.; quinam sit a Cardinalibus in R. Pontificem eligendus, p. 430 ss.; forma electionis R. Pontificis, p. 440 ss.
Populus. Num electio R. P. iure divino ad populum spectet, p. 162 ss. num et quo sensu populus comitiis pro eligendo R. P. interfuerit, p. 254 ss.
Possessio capienda Basilicae Lateranensis, p. 596.
Potestas S. Cardinalium Collegii, Sede vacante, ante Gregorium X, p. 21 ss.; post Gregorium X, p. 24 ss.: iure hodierno inspecto, p. 30 ss.; SS. Congregationum, p. 79 ss.; S. Poenitentiariae, p. 84 s.; S. R. Rotae, p. 89 ss.; Signaturae Apostolicae, p. 91: Cancellariae ac Datariae Apostolicae, p. 92; Camerae Apostolicae, p. 93 s.: Secretariae Status, Brevium ad Principes et Epistolarum latinarum, p. 98 ss.; Decani S. Collegii, p. 100: Cardinalis in Urbe Vicarii, p. 101.
Poenitentiaria, p. 84 ss.
Praecordia Pontifici defuncti, p. 124.
Praelati, quibus Conclavis custodia committitur, p. 396.
Preces, Sede vacante, p. 129.
Principes. Num ius habuerint eligendi R. Pontificem, p. 234 ss.
Privilegia Conclavistarum, p. 378 et ss.
Proclamatio electionis, p. 558 ss.
Publicatio scrutinii, p. 474.

R

Recognitores, p. 470.
Referendarii papalis Signaturae iustitiae, p. 583, 586.
Renuntiatio. Num et quomodo R. P. renuntiare valeat, p. 7 s.
Rotae Conclavis, p. 403.
Rota S. R., p. 89 ss.: officiales, p. 583, 586.

S

Schedulae. Praeparatio, p. 469: sortitio seu extractio, p. 470: scriptio, p. 471; complicatio et obsignatio, p. 472: combustio, p. 475.
Schisma occidentale, p. 306 ss.
Scrutatores, p. 470.
Scrutinium. Electio per scrutinium, p. 469: ritus scrutinii, ibid.: actus eiusdem, ib.

Secretarius S. Collegii, p. 409.
Secretum servandum Cardinalibus, Conclavistis aliisque inserviontibus, p. 409 ss.
Sedes (S). Quotuplici modo S. Sedem vacare contingat, p. 13 ss.; num vacans censeatur S. Sedes, si Papa sit dubius, p. 15 s.; Constitutiones Pontificiae quae vacantem Apostolicam Sedem respiciunt, p. 18 ss.; de potestate S. Cardinalium Collegii, Sede vacante, p. 21 ss.
Senatus. Num partem habuerit in electione R. Pontificis, p. 259 s.
Signatura Apostolica, p. 91 ss.; p. 583, 586.
Simoniae crimen in electione R. Pontificis, p. 477 ss.
Suffragia. Quomodo Cardinales infirmi suffragia ferant, p. 472; numeratio suffragiorum, p. 475; num valida sit electio si quis sibi fuerit suffragatus, p. 476.

T

Tiara, p. 594 s
Tractatus de electione Pontificis, p. 484 ss.
Triregnum, p. 595.

V

Validitas. Quid requiratur ad validam R. P. electionem, p. 466; num valida sit electio si quis suffragium sibi tribuerit, p. 476.
Veneratio, p. 552, 561.
Veto. Origo historica et evolutio, p. 491 ss.; natura iuridica p. 524 ss.
Votantes Signaturae, p. 586.

IMPRIMATUR

FR. ALBERTUS LEPIDI O. P., S. P. A. Magister

IMPRIMATUR

FRANCISCUS FABERI, Vicariatus Urbis, *adsessor*

OFFICINA POLIGRAFICA EDITRICE EDUARDO MANNA - PIAZZA PIGNA, 53 - ROMA.